
ALMA COLLEGE
ST. JOE LIBRARY
Alma, California

MEDITATIONES

SACERDOTALES



APPROBATIONES

Ego, Præpositus Provincialis Societatis Jesu in Belgio, potestate ad hoc mihi facta ab Admodum Reverendo Patre Antonio Maria Anderledy, ejusdem Societatis Vicario Generali, facultatem concedo, ut opus cui titulus *Meditationes Sacerdotales, clero tam sæculari quam regulari accommodatæ*, a Patre Fr. X. Schouppe, S. J. conscriptum, et a deputatis censoribus rite recognitum atque approbatum, typis mandetur.

In quorum fidem has litteras manu mea subscriptas et sigillo meo munitas dedi.

Bruxellis, die 10 Septembris 1884.

J. Van Reeth, S. J.

IMPRIMATUR

Mechliniæ, 31 septembris 1884.

† Petrus Lambertus, Arch. Mechl.

MEDITATIONES

SACERDOTALES

CLERO

TUM SÆCULARI TUM REGULARI

ACCOMMODATÆ

auctore F.-X. SCHOUPPE, S. J.

SERIES PRIOR.

ALMA COLLEGE
246.731
LIBRARY
Sch68
Alma, California

FATHERS LIBRARY,
ALMA COLLEGE
ST. JOSEPH'S CHURCH,
LIBRARY
SAN JOSE, California.

PARISIIS

E SOCIETATE GENERALI LIBRARIÆ CATHOLICÆ

VICTOR PALMÉ, RECTOR GENERALIS

BRUXELLIS
apud J. ALBANEL, succurs.-rect.
12, VIA PAROCHIANORUM, 12

GENOVÆ
apud H. TREMBLEY, succurs.-rect.
4, VIA CORRATERIE, 4

48196

TOUS DROITS RÉSERVÉS



PROOEMIUM.

Nonnulli sacerdotes, viri imprimis pii, a me sæpius et enixe rogarunt ut *Manuale meditationum* pro clericis adornarem. Mirabar equidem hujusmodi librum quæri, quum præsertim tot meditationum existant collectiones optimæ ; ac proin rem prorsus inutilem postulari putabam. At illi non qualescumque meditationes aiebant se desiderare ; sed quæ exercitium meditandi planius redderent, quæque peculiariter essent sacerdotali vitæ atque ecclesiasticis officiis accommodatæ, eo fere modo, quo in exercitiis annuis ac recollectionibus menstruis proponi solent.

Res consideratione digna visa est, nec immerito hujusce indolis manuale postulari intellexi ; dubitans vero utrum in hoc genere utile quidpiam efficere valerem, non parum hæsitavi. Postquam autem re maturius perpensa intellexi, fieri non posse ut opus tam altæ destinationis, etsi imperfectum, utilitate careat ; et fore ut eodem aliquot saltem parentur lapides, ex quibus postea peritior architectus integrum veluti templum sacerdotalis ascesecos ædificet ; manum labori utut arduo admovendam, et quidquid in mea potestate esset tentandum in Domino censui.

Inquirenti autem mihi de ordine in amplissima meditandi materia sequendo, visum est meditationum

seriem secundum tres asceticas, ut aiunt, vias, purgativam scilicet, illuminativam et unitivam, esse disponendam.

Via purgativa exercitia complectitur quæ ad purgandam a peccatorum maculis animam pertinent : nempe de fine hominis, speciatim sacerdotis ; de obstaculo ad finem, quod est omnigenum peccatum, deque mediis peccata tollendi.

Via illuminativa eo spectat ut anima, jam multum a tenebris peccatorum purgata, illuminetur lumine Christi : id est, ut ornetur omnibus virtutibus quarum Christus Dominus in se perfectissimum exhibet exemplar. Quapropter meditationes continet de regno Christi, de incarnatione et vita Christi, de Christi exemplo, ab omni quidem homine christiano, præsertim vero a sacerdotibus imitando, qui *alteri Christi* esse debent. Hinc perpendenda veniunt sacerdotis vocatio, ejus formatio, atque Ordinationes quibus gradatim ad sacerdotii culmen evehitur ; deinde virtutes in eo requisitæ, cum ministeriis ac muniis sacris a sacerdote implendis.

Via unitiva ad unionem tendit operandam animæ cum Deo, ut amore et charitate cum Deo conjuncta vivat : quantum in hoc mundo, velamine fidei nondum discisso, id fieri potest. Porro exercitia huc spectantia contemplationes continent divinarum perfectionum, quæ in operibus Dei, in Christo resurgente, in ejus sanctissima Matre, nec non in ejus sponsa Ecclesia, in Ecclesiæ cultu, festis ac Sanctis resplendent.

Doctrinam hujus operis non e nostro, ut patet, ingenio deprompsimus. Eam e sacra Scriptura, sacris canonibus, Patribus aliisque probatis auctoribus, qui de ecclesiastica disciplina, de christiana ac sacerdo-

tali sanctitate scripserunt, nominatim ex venerabili Patre Lud. De Ponte collectam, dilucide ordinare, ac in puncta distinctam meditantibus proponere conati sumus.

Quod formam spectat et usum hujus libri, ita meditationes digessimus, ut sacerdotibus qui meditandi facilitate pollent, ordinatam offerant materiam mente pervolvendam ; iis vero quibus mentalis oratio minus familiaris, exercitium esse possit lectionis meditate peragendæ : propterea methodice divisum exhibetur argumentum, et in singulis punctis sententiæ suggeruntur ac sacræ Scripturæ verba, quæ materiam meditandi copiosam, eamdemque practicam suppeditant.

Itaque meditaturus sacerdos pridie vespere meditationem prout habetur in libro attente legat, et quidem integre, nisi ob rerum abundantiam aliqua pars sufficere videatur. Præludia et divisionem, quia summam totius meditationis continent, memoriæ imprimat. Mane vero, postquam genuflexus se constituit in divina præsentia, et breviter petiit gratiam bene meditandi, in memoriam revocet præludium primum, consistens plerumque in aliquo sacræ Scripturæ eloquio, ad defigendam mentem idoneo; deinde humiliter petat gratiam particularem et materiæ congruam, quæ in secundo præludio petenda indicatur.

His expedite peractis, mente recogitans, vel si placet, aperto volumine legens, consideret singulas quæ in libro, plerumque punctis distinctæ, exprimuntur sententias ; iis ruminandis immoretur quamdiu gustum spiritualem vel pium affectum invenerit : pro subjecta materia, dolendo de peccatis ac veniam petendo, vel laudando Deum, vel B. Virginem et Sanctos invocando, variasque gratias postulando. Quod

si meditatio aut pius sensus affluat, nequaquam ad alia transcurrere sit sollicitus : quia quod quærit præsto est, nempe ut anima orationis pabulo nutriatur.

Præcipue autem eo dirigantur affectus et sancta desideria, ut vitia emendentur et obligationes ac officia status perfecte impleantur. Quapropter proposita concipiantur practica pro ipso præsenti die ; et sub finem meditationis fiat semper oratio fervens, vel ad SS. Trinitatem, vel ad Dominum Jesum Christum, vel ad B. Virginem aut aliquem Sanctum, qua efficax auxilium virtutes consequendi meditationi conformes, sanctaque proposita implendi, a divina misericordia flagitetur.

Domine Jesu Christe, Fili Dei unigenite, Sacerdos ac Pontifex in æternum secundum ordinem Melchisedech, ad pedes tuos humillime prostratus, per immaculatas manus sanctissimæ Matris tuæ, intercedentibus sanctis pontificibus tuis Carolo et Francisco, nec non Beato Ignatio confessore, hoc opusculum per gratiam tuam confectum, tibi, tuoque sanctissimo Cordi dedico. Illud, quæso, benignis oculis aspicere et benedictione tua ac spiritu Cordis tui amantissimi fecundare digneris : ut dilecto tuo clero ad sanctimoniam conferat, juvetque ut orationi ac meditationi instan-
Psalm.131. tes *sacerdotes tui*, magis magisque *induantur justitiam, et sancti tui exultent*.

MEDITATIONES
SACERDOTALES

De fine hominis. Cognitio finis.

Præludium 1. In memoriam revocetur illud Psalmistæ : *Notum fac mihi, Domine, finem meum... ut sciam quid desit mihi.* Psalm. 38.

Præludium 2. Petatur gratia specialis ac fructus meditatione consequendus. Concede mihi, Domine, gratiam quam consequi hac meditatione intendo : ut nempe finem meum bene cognoscam, eum semper præ oculis habeam, totamque vitam meam hoc quasi clavo studeam gubernare.

I. Cur finis hominis mihi cognoscendus ? II. Cur semper præ oculis habendus ? III. Quomodo finem meum rite cognoscam et semper præ oculis habebo ?

I *Punctum.* COGNITIO FINIS NECESSARIA. — Cur cognoscere debeo finem existentiæ meæ? Cur scire quem in finem a Deo creatus sim et exiguo tempore in hoc mundo positus ?

Cognoscere profecto mihi opus est finem meum, ut eum attingam : num potest sagittarius tangere metam quam non videt?...

Cognoscere debeo finem meum, quia id sana ratio requirit. *Respice finem*, effatum sapientiæ est, in omnibus actionibus, adeoque in transigenda vita sua homini sequendum... Et quidem hæc nonne prima hominis cognitio esse debet, cum in omni opere, ante omnia, finis sit intuendus ?...

Hebr. 13. Heri non existebam, et cras non amplius ero... *Non enim habemus hic manentem civitatem.* Brevis et transitoria est humana vita : an meam transigere vellem, quin cognoverim ad quem finem mihi a Creatore data sit?... An hoc rationabile foret ac prudens?... Eheu! Quam multi homines vitam decurrunt, et exeunt e mundo quin cogitaverint serio cur in mundum venerint! .. Num ego de numero stultorum hujusmodi esse velim?...

Nonne scire debeo finem meum, ut vitam disponam secundum consilium ac mentem Creatoris, et impleam intentionem ejus circa me?...

Nonne cognitio finis principium est directivum humanæ vitæ, quo omnes hominis actiones tanquam subordinata media sunt dirigendæ?... Hoc itaque principium necessarium homini sicut gubernaculum navi... Quid enim homo finem existentiæ suæ ignorans, vel obliviscens? Nonne navicula in medio mari absque gubernaculo, fluctuans et certo peritura?...

Homo in hac vita viator est, advena, et in mundo a Deo positus sicut famulus in domo Domini sui .. Jam vero, nonne scire debet viator quo vadat?... advena, cur venerit?... famulus, cur in domo sit constitutus?...

Non habebo nisi unicam vitam... nonne oportet ut eam transigam recte, ita ut finem assequar mihi a Creatore præstitutum, cum secus damnum incurram irreparabile?... Atqui ad hoc necesse est ut finem cognoscam et intendam.

Qui finem cognoscere negligunt, nonne imprudenter ac stulte agunt?... similes viatoribus qui iter suscipiunt nescientes quo tendant...

Nonne ignorantia finis homini funestissima, trahitque irreparabilem ruinam?... Etenim qui hac ignorantia laborat, absque necessario lumine viam vitæ decurret errabundus et cæcus, donec cadat et pereat...

Propterea tam multi errant in via vitæ et misere pereunt,
Jerem. 12. quia de fine suo non cogitant... *Desolatione desolata est omnis terra : quia nullus est qui recogitet corde.*

Fac, Domine Deus meus, ut ego sacerdos ita primariam hanc veritatem in mente habeam, ut non desinam eam
Psalm. 50. alios docere... *Docebo iniquos vias tuas.*

II P. NECESSARIA FINIS RECORDATIO. — Finis mihi sem-

per præ oculis habendus, quia universas actiones meas debeo ad finem ordinare, sicut sagittarius ad metam dirigit sagittam... Quapropter finem assidue respiciam oportet...

Sicut viator omnes passus ac motus dirigit ad præstitutum terminum... ita omnes vitæ meæ actus ad finem dirigere debeo... Id autem quomodo faciam si finis mei immemor fuero?... Quod si tam multæ actiones meæ nullatenus ad meum finem conferunt, si tam multos gressus facio extra viam, nonne causa est oblivio finis?...

Sancti homines totam suam vitam ideo tam recte expenderunt, quia finem suum frequenter in memoriam revocabant. Sic S. Bernardus semetipsum quotidie monebat ingeminando : *Bernarde, ad quid venisti?*

Quam multi homines, etiam sacerdotes, qui finem suum nequaquam ignorant, miserrime tamen a vitæ rectitudine aberrant, quia finem non recordantur, neque recogitant corde!... An talis ego esse velim?... A tanto malo me, quæso Domine, tuere... et gratiam concede, ut mihi quotidie, et fidelibus frequenter in memoriam revocem finem ob quem creati sumus.

III P. PRAXIS. — Quomodo meum finem recte cognoscam et semper præ oculis habebo?

Ut recte finem cognoscam, auscultare non possum mundo, neque carni ejusque passionibus, neque diabolo... totidem falsis doctoribus, qui hominem bonis præsentibus natum esse dictitant... Hinc tam multi delusi ita vivunt, ita sectantur temporalia, quasi ad hæc possidenda unice existerent... Lamentabilis sane error, quo seducuntur ad æternam ruinam!...

Quis ergo docebit me finem meum? Nonne ipse qui creavit me Deus?... Ipse loquens mihi per fidem et Ecclesiam suam, luculenter proclamat, hominem esse creatum ad æternam salutem in cœlis... et interim in terra positum, ut Domino Deo suo serviendo sese salute dignum efficiat... *Deus* enim *vult omnes homines salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire...* — *Deum time et mandata ejus observa : hoc est enim omnis homo...* I Tim. 2. Eccl. 12.

Hunc finem meum ut semper præ oculis habeam, necesse est ut *recogitem corde...* ut sanctis meditationibus vacem... ut a nimia dissipatione caveam, ut animi

studeam recollectioni et deditus sim orationi... ut audiam verbum Dei et piis lectionibus mentem reficiam...

Domine Deus, Creator misericordissime, qui fecisti me ad æternam vitam in cœlis possidendam ; et me aliquamdiu in hac transitoria vita constituisti ut me ad illam futuram præparem : da, quæso, ut nunquam cessem finem hunc præ oculis habere, et omnibus actionibus ad eam tendere ne desistam.

De fine hominis. Finis notio.

Pr. 1. Præ oculis mihi ponam hæc S. Ignatii verba, quæ in capite scripsit libri Exercitiorum : *Homo creatus est ut laudet Deum Dominum nostrum, ei reverentiam exhibeat, eique serviat, et per hæc* (hæc agendo) *salvet animam suam.*

Pr. 2. Ut cognoscam finem meum, illum præ oculis habeam et persequar in omnibus actionibus vitæ meæ.

Citatis S. Ignatii verbis enuntiatur fundamentalis quædam veritas de origine et fine hominis : videlicet I. quæ sit hominis origo ; II. quis finis proximus ; III. quis finis ultimus.

I P. MEA ORIGO, — Perpendantur hæc verba : *Homo creatus est...* 1° Quis creatus est ? *Homo*, nobilis illa creatura, quæ inter animalia cæterasque hujus mundi visibilis creaturas, tam eminentem primatum tenet... *Homo*, sensu universali, nempe omnis homo, quicumque sit, dives vel pauperculus... itaque et ego... Ad me hoc pertinet : mea hic origo revelatur...

Ego, qui heri non eram et cras non ero... unde venio ? *Creatus sum...* quam fidei veritatem confiteor in Symbolo dicens : *Credo in Deum, patrem omnipotentem, creatorem cœli et terræ...*

2° A quo sum creatus ? Utique a Deo, solo Creatore : a
Job. 10. Deo sapientissimo, optimo, maximo... *Manus tuæ, Domine, fecerunt me et plasmaverunt me...*

3° Quomodo creavit me Deus ? Ex æterno nihilo ad existentiam me vocavit... fecitque ad imaginem et similitudinem suam... dando mihi naturam humanam, ex anima et corpore constitutam...

4° Quænam creationis hujusmodi consequentiæ ? Nonne ineffabile accepi a Deo beneficium, existentiam ?... Nonne Dei creatura sum, opus ejus, possessio ejus ?... Dei sum, ejusque dominio tum proprietatis tum jurisdictionis ineluctabiliter subditus... *Non estis vestri...* I Cor. 6.

O Domine Deus, Creator meus, tuus sum ego totus et opus manuum tuarum ! Quid me vis facere ? Cur posuisti me in hac transitoria vita ?...

II P. FINIS MEUS PROXIMUS. — Verba sequentia : *Ut Deum Dominum suum laudet, ei reverentiam exhibeat, eique serviat...* Enuntiatur finis proximus hominis, consequendus in hoc sæculo.

Ad quid refertur hominis existentia in hoc mundo ? Quidque ei faciendum ?... Refertur ad *Deum Dominum suum....* et ad producendum triplicem actum, qui Dei cultum constituit : ut Deum *laudet*, ei *reverentiam* ac *servitutem* præstet...

Quam justus iste finis, quamque nobilis !... Quam alienus quoque ab existimatione multorum !

Ut *Deum laudet* ob excellentiam infinitam... et beneficia... — ut *laudet*, non aliquandiu, sed per totam vitam : *Benedicam Dominum in omni tempore : semper laus* Psalm. 33. *ejus in ore meo...* Ad hoc enim creatus sum et existo, ut tota vita mea sit perpetua Dei laudatio... Nonne hoc peculiariter verum est pro sacerdote ?...

Ut Deo *reverentiam exhibeat*, ob supremam dignitatem, ac sanctitatem... et ob præsentiam...

Eique *serviat*, ob dominium imperii, quo omnia regit et ordinat... Servire Domino est ejus mandata... ac voluntatem implere semper... et in omnibus... *O Domine, quia* Psalm. 115. *ego servus tuus !...*

En finis meus in hoc sæculo... Quod si ad hoc in mundo sum, non ergo ad comparandas divitias, ad fruendum jucunditatibus hujus prætereuntis sæculi... quanto minus ad peccandum, et faciendum id quod Dei laudationi, reverentiæ, servitio contrarium est ?... Quid hacte-

nus feci ?... Quid in posterum ?... Quid a Deo hic petendum ?

III P. FINIS ULTIMUS. — Addit S. Ignatius : *Et per hæc salvet animam suam.* Hic finis ultimus est, qui per Dei cultum attingitur : Deum fideliter colendo homo salutem consequitur... non aliter...

Quid est autem illa *salus* ad quam homo a Deo destinatur ?... Bonum est immensum, ineffabile, Dei munificentia dignissimum : nempe vita æterna et beata in cœlis !... Quam consequetur primum anima, statim post exitum ex hoc mundo... deinde vero, anima et corpus simul, seu totus homo, post resurrectionem glorificatus...Quantum ac quam desiderabile bonum !... An credo fide vivida hanc me destinationem manere ?... An non labiis duntaxat *credo et confiteor resurrectionem mortuorum et vitam venturi sæculi ?... O Domine, adauge mihi fidem.*

Luc. 17.

Saluti opponitur *damnatio* æterna... Quantum malum !...

An malum istud evadere et salutem consequi oportet ?... Serio igitur considerandum mihi quomodo vitam meam unicam expendere velim... Ut salvus fiam, necesse mihi est vitam ac tempus Deo colendo impendere, vivere Deo, non carni ac peccato...An hoc feci hactenus ?... Quid in posterum faciam, ego præsertim sacerdos Domini ?...

Domine Deus meus ac Creator, qui dignatus es mihi existentiam dare immortalem et me ad æternam felicitatem destinare, parce mihi, quæso, quod hactenus ad tantum bonum consequendum tam parum fecerim ; et concede, ut quod reliquum vitæ manet unice saluti impendam.

De fine consequendo.

Pr. 1. *Notum fac mihi, Domine, finem meum, ut sciam quid desit mihi* Ps. 38.

Pr. 2. Ut cognoscam practice finem meum et eum efficaciter persequar omnibus actionibus vitæ meæ.

I. Quis est meus finis ? II. Quare finem attingere debeo ? III. Quomodo eum certo et infallibiliter attingam ?

I P. QUIS MEUS FINIS ? — Duplex mihi finis est : ultimus et proximus...prior in futura vita, posterior in præsenti propositus... Finis proximus subordinatur ultimo, ut medium per quod ultimus consequendus...Finis ultimus est æterna salus ; proximus, ad salutem æternam præparatio...

1° Ad æternam salutem creatus sum ac destinatus a Deo : *Vult enim Deus omnes homines salvos fieri...* — Quid autem est illa salus ?.. Nonne illa *vita æterna*, quam in ultimo Symboli articulo profitemur ?... in eo consistens ut homo admittatur in cœlum, in regiam Dei domum... et illic habitet cum angelis et sanctis... cum ipso Deo, sicut filius cum patre in domo paterna... omnium tanti Patris bonorum particeps ?... Quanta destinatio ! Quantum Dei erga me beneficium ! I Tim. 2.

An credo vere me ad tantum bonum esse destinatum ?... nec *doctas fabulas* mihi propositas ?... mihi paratum regnum ?... — Si vere credo, cur non unice de tanta destinatione cogito ac gaudeo ? *Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus...— Si oblitus fuero tui, Jerusalem, oblivioni detur dextera mea !...* II Pet. 1. Ps. 121. Ps. 136.

Quid ineffabilis illa destinatio a me postulat ?... Nonne ut ea me dignum efficiam, ad eam me præparem ?... An id hactenus curavi ?...

2° Ad salutem præparatio... en finis proximus, in hoc mundo attingendus : ad hoc vivo, hoc est negotium meum primarium... reliqua secundaria sunt et ad illud referenda... Negotium meum unice necessarium, ac necessario peragendum in terra, ut me præparem ad cœlum...*Unum est necessarium...* Luc. 10.

Non ergo vivo ad fruendum delectationibus hujus præteruntis sæculi... multoque minus ad peccandum...

Præparationem autem præviam homini esse necessariam ut in cœlum recipi possit, facile intelligitur. Si enim pauperculus vocaretur ad habitandum in palatio regis hujus mundi, nonne mutare deberet vestes et mores ?... Quanto magis ad inhabitandam regiam cœli, induere debemus hominem cœlestem ?... *Induimini Dominum Jesum Christum...* Rom. 13.

Hæc tota hominis vita: id unum homo habet efficiendum,
Eccl. 12. nihil aliud... *Hoc est enim omnis homo*... An id ago? id verbo et exemplo inculco fidelibus?... Petatur venia de præterito et gratia pro futuro...

II P. QUARE FINEM ATTINGERE DEBEO? Omnes, ut putet, me rationes urgent : tum ex parte Dei, ejus voluntas, ejus erga me beneficia, et auxilia quæ mihi præstat... tum ex parte rei, quia tam bonum, tam gloriosum est servire Deo, et cœlesti beatitudine frui... tum ex parte mea, quia res prorsus necessaria mihi est : si enim non fio salvus, ero reprobus...constitutus enim sum in hoc ineluctabili discrimine, inter salutem et reprobationem... — An possum anceps hærere?... cur ergo non fortius me ad assequendum finem attingo?... Ex hoc omnino et absolute, juxta exempla Sanctorum, me assequendæ saluti impendam : adjuva, me, Domine, gratia tua.

III P. QUOMODO FINEM CERTO ATTINGAM? — Ex parte Dei non deerit gratia; quare solummodo requiritur ex parte
Matth. 19. 16. mea cooperatio, sive *voluntas* : debet homo velle : *Si vis*, inquit Dominus, *ad vitam ingredi... Si quis vult post me venire...*

Voluntas autem afferenda est, non velleitas... Voluntas scilicet *absoluta*, quæ rem vult quocumque pretio, et absque ullo respectu ad aliorum agendi modum, aut ad aliam circumstantiam... voluntas *efficax*, quæ manum operi admoveat omniaque adhibeat media... voluntas *fiducialis*, quæ innitatur auxilio gratiæ Dei, per orationem continuam accipiendo...
Luc. 18. *Oportet semper orare et non deficere*...

An hactenus talis fuit voluntas mea?... Domine Deus meus, in me confirma hanc voluntatem... Beatissima Virgo, intercede pro me; sancte angele custos, sancte Joseph, aliique patroni mei, orate pro me...

De fine ac missione sacerdotis in mundo.

Pr. 1. Me sistere coram Jesu, Pontifice meo, et petere quid a me, ministro suo requirat.

Pr. 2. Ut cognoscam finem meum quatenus sacerdos sum, eumque perfecte attingam in hoc mundo.

I. Quis meus finis in hoc mundo, qua sacerdos sum? II. Cur finem hunc attingere debeo? III. Quomodo certo attingam?

I P. FINIS, SEU MISSIO MEA. — Sacerdos in hoc mundo constitutus est ut salvet animas, sicut Christus Dominus... Quemadmodum finis hominis cujusque est salvare animam suam; ita sacerdotis, salvare animas aliorum, quæ ipsi fuerint concreditæ... id est, eas in hoc negotio efficaciter adjuvare...

Nonne hanc missionem a Christo accepit dicente: *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos?*... Nonne propterea divinitus vocatur sal terræ... lux... pastor... dispensator mysteriorum Dei .. legatus Christi... architectus... operarius in agro Domini, ut fructum afferat permanentem?... — Non ergo sacerdos missioni suæ satisfacit tranquille vivendo... animam dumtaxat suam curando... — Nonne hactenus ego in errore, practice saltem, hic versatus sum?... Humiliabo me coram Deo, veniam regabo, petam gratiam in futurum...

At vero missionem animas salvandi implere debet *sicut Christus*, eodemque modo, quo Christus, animarum salutem procurare... nimirum orando... benefaciendo corporaliter et spiritualiter... docendo... laborando... patiendo... exemplo fidelibus prælucendo, sicut Christus: adeo ut dicere possit cum Apostolo: *Imitatores mei estote, sicut et ego Christi*... I Cor. 4.

An ergo mihi satis est ut sim probus ac irreprehensibilis christianus, virtute communi præditus? Nonne opus est virtus exemplaris?... *Exemplum esto fidelium*... An talis ego sum?... O Domine Jesu, quam longe sum ab hoc virtutis gradu!... Miserere mei, quæso, et ad progrediendum adjuva me. I Tim. 4.

Quid finis sacerdotalis ac vocatio mea a me postulat? Nonne ut me impendam penitus operi Dei, juxta exemplum Christi dicentis: *Quia in his quæ Patris mei sunt oportet me esse*... et ita quidem, ut nihil aliud agam, juxta Apostoli monitum: *Profana et vaniloquia devita*... Quod si profana quæcumque vitanda, quanto magis pecca- Luc. 2.

minosa?... An ita me gessi hactenus?... Quid in posterum?... Petatur auxilium gratiæ.

II P. CUR FINEM MEUM ATTINGERE, MISSIONEM MEAM IMPLERE DEBEO? — Debeo imprimis ratione necessitatis.

I Cor. 9. Nonne obligationem assumpsi? *Væ mihi, si non evangelizavero...* et terribilem rationem reddam villicationis meæ. — Nonne a me gratitudo rependenda Deo ob beneficium vocationis meæ?... — Nonne subveniendum indigentiæ animarum, quæ, nisi bona instructione, sacramentis, omnique zelo juventur, peribunt?...

S. Dionys. Areop. Debeo, ratione excellentiæ objecti. Quid enim salvare, juvare animas? Nonne *omnium divinorum divinissimum cooperari cum Deo et Christo ad salutem animarum?...* Quid salvare animas, nisi constituere reges in thronis cœlestibus?... Quid salvare animas, nisi eas eripere e faucibus inferni?...

Debeo, ratione mercedis, et felicitatis propriæ. Si porrigenti poculum frigidæ, charitatis causa, retribuetur merces

Matth. 19. digna Deo, id est, æterna; *quid ergo erit nobis...* refocillantibus animas, Christi sanguine redemptas?...

Quam beatus, jam in hac vita, sacerdos zelo plenus!... Quam miser in vita et in judicio, si fuerit languidus et negligens in missione sua adimplenda!...

An igitur necessitas mihi non incumbit ministerium meum ferventer implendi?... Nonne esse debeo sacerdos dignus, fidelis et beatus?... O Domine Jesu, hæc sane unica mea voluntas; sed vides infirmitatem meam...

III P. QUOMODO FINEM MEUM CERTO ATTINGAM? — Ut certo et absque infidelitatis periculo missionem meam sacerdotalem impleam, oportet me *velle...* id unum requiritur et sufficit ex mea parte... Ex parte autem Dei non deerit gratia...

Oportet *velle*, voluntate scilicet vera, quæ non sit velleitas, seu sterile desiderium... sed voluntas absoluta, efficax ac generosa, et fiducialis...Sit voluntas absoluta, qua missionem meam implendam velim quocumque pretio aut sacrificio... et quidquid alii faciant... sit efficax et generosa, qua media adhibeam aptiora, et labori non parcam... sit fiducialis, qua infirmitatis meæ conscius, omnipotentis Dei auxilio per assiduam orationem innitar...

Concludatur meditatio humili prece, qua petatur a Domino hæc voluntas bona et optima.

De statu hominis, præsertim sacerdotis, in hoc mundo.

Pr. 1. Effatum sapientiæ : *Nosce te ipsum.*

Pr. 2. Da mihi, Domine, recte cognoscere statum meum in hoc mundo, ut consequenter vitam meam ordinem.

I. Origo mea. II. Meus finis. III. Media ad finem.

I P. ORIGO. — Heri non eram, nunc existo : unde ergo venio ? Quæ est origo mea ? Nonne *ipse fecit nos, et non ipsi nos*... Creatus sum a Deo... qui, *vocans ea quæ non sunt tanquam ea quæ sunt*, dignatus est respicere humilitatem meam, et me non existentem, in nihilo dormientem, ad existentiam vocare : creavit me ad imaginem et similitudinem suam, vivificans anima immortali... Psalm. 99. Rom. 4.

Quantum beneficium !... *O Deus, debeo me totum tibi pro me facto*... S. Bern.—*Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi?* Psalm. 115.

Quam nobilis origo ! Agnosce, homo, dignitatem tuam...

Quam absolutum dominium Dei in me, facturam suam et opus manuum suarum !... dominium proprietatis, dominium imperii... Dei possessio sum, sicut filius patris, imo sicut est opus artificis... et Deo subditus, sicut servus regi : *Nos populus ejus et oves pascuæ ejus*... An hactenus hoc Dei dominium agnovi ?... Quam bonum tamen, quamque gloriosum divino huic dominio subjacere !... Nonne summo Benefactori ingratus exstiti ?... O Domine, veniam, quæso, mihi misericorditer indulge, et gratiam tibi digna obsequia præstandi in posterum .. Psalm. 94.

II P. FINIS. — Meus finis est ipse Deus. *Fecisti nos ad te, Deus, et irrequietum est cor nostrum donec requiescat in te.* S. Aug.

Finis meus *Deus* est : scilicet Deus, obsequio meo et amore in hac vita honorandus... deinde vero æternum beate

Psalm. 88. contemplandus, possidendus, glorificandus... *Misericordias Domini in æternum cantabo.*

Finis meus ipse *Deus*, mei præsertim sacerdotis, qui homo Dei sum, totus Deo consecratus...

Propter Deum existo... ergo non propter me et mea commoda temporalia... non propter divitias, jucunditates, vanitates hujus prætereuntis sæculi... multoque minus propter diabolum, carnem et peccatum...*Fecisti nos ad te, Deus: et irrequietum est cor nostrum donec requiescat in te...* — An propter Deum semper vixi?... Dolebo, veniam rogabo...

III P. MEDIA. — Omnia sunt media ad finem meum consequendum. Nimirum

1° Res sacræ : oratio, sacramenta... totaque religio a Christo instituta est,ut media nobis ad finem directa præstet, et quidem efficacissima...

2° Res communes et indifferentes,omniaque nostri status
1 Cor. 10. officia : *Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.*

Rom. 8. 3° Omnes etiam tribulationes... *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.*

4° Imo peccata commissa, et defectus ac miseriæ morales fieri possunt principia humilitatis, stimulus pœnitentiæ ac fervoris, adeoque media ut proficiamus ad finem...

An media sacra adhibui?... An reliqua omnia converto in bonum et non in malum?... Quid in posterum?...

O Domine Deus meus, video cum dolore, me hactenus plurima neglexisse media quæ tam misericorditer mihi ad salutem suppeditasti : veniamque suppliciter peto de tanto abusu gratiarum...Concede mihi, quæso, in posterum hanc negligentiam reparare, omnia media, præsertim orationem adhibere ferventer, et quæcumque occurrunt adversa in animæ meæ bonum convertere.

De mediis ad finem.

Pr. 1. Præ oculis mihi ponere Dominum Deum creatorem,qui,ostendens mihi creaturas hujus mundi,

dicit : *En, fili mi, media quæ tibi paravi, ut mihi servias et salutem mereari.*

Pr. 2. Cognoscere et intelligere media salutis mihi data, iisque semper uti recte ac sancte.

I. Quæ sunt media ? II. Quis eorum usus esse debet ?

I P. QUÆ MEDIA ? — Omnes creaturæ, id est quæcumque circumdant nos... vel quæ occurrunt nobis in via vitæ...Omnia a Deo disposita sunt nobis tanquam media ad salutem et perfectionem nostram. Etenim a Deo creata sunt ea etiam quæ mala videntur : *Formans lucem et creans tenebras, faciens pacem et creans malum : ego Dominus faciens omnia hæc*... Imo peccata hominum Deus, quamvis detestetur, inscrutabili tamen consilio permittit... — Omnia autem a Dei servis converti possunt in bonum, id est in media salutis : *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum...* Isaï. 45. Rom. 8.

Proh dolor ! a multis convertuntur in malum, in scandalum et instrumentum iniquitatis. *Creaturæ Dei in odium factæ sunt et in tentationem animabus hominum, et in muscipulam pedibus insipientium...* Nonne ego insipientibus istis sum annumerandus ? Nonne multis creaturis abusus sum ad peccandum ? Nonne ipsa Dei mei beneficia adhibui tanquam instrumenta peccati ?... — Hic humiliter venia petatur et promittatur reparatio cum gratia Dei... Sap. 14.

Ex intentione sapientissimi Dei omnes creaturæ sunt media : scilicet, vel materia obedientiæ erga Deum, ut mandata decalogi... ut statuta diœcesana et ordinationes superiorum... ut obligationes quæcumque muneris mei...

Vel sunt materia certaminis ac patientiæ : ut tentationes... passiones... tribulationes ac persecutiones...

Vel demum sunt instrumenta virtutum ac fontes gratiarum : ut oratio, labor, jejunium, sacramenta...

Nonne hæc eadem fuere media, quibus usi sunt Sancti ut in virtutibus progrederentur ?

Nonne debeo gratias agere divinæ bonitati quod tam copiosa salutis media nobis suppeditaverit ?...

Nonne gaudere debeo quod omnia quæ occurrunt, et ipsa adversa, *sint* media... quod *diligentibus Deum omnia*

cooperantur in bonum?... Gratias itaque Deo agam, et statuam in posterum omnia convertere in bonum, exemplo Sanctorum...

II P. QUIS USUS? — Uti debeo creaturis, non sicut homines perversi et mundani, qui iis abutuntur in suam perniciem... delusi ac decepti... vel pervertentes medicamenta sacramentorum in venenum... subsidia tribulationum in scandalum et occasionem ruinæ?...

Sed sicut Christus... Quomodo divinus magister usus est cibo et somno?... labore et ærumnis?... injuriis, doloribus ac ipsa morte?...

Sed sicut Sancti. Quomodo Dei famuli usi sint oratione, jejunio, sacramentis, laboribus, defectibus proximi?...

Sed secundum regulas rationis et fidei: *Non quod placet, sed quod oportet... — Non quod mihi arridet, sed quod Dominus voluerit... — Abstine, sustine...*

An ita studeo creaturis uti?... An possum dicere cum
Joan. 8. Christo Domino: *Quæ placita sunt Patri facio semper?*...

O Domine Jesu! quam longe disto ab hac tua perfecta impletione beneplaciti Patris! Quam sæpe memetipsum quæro et propria commoda, non quæ placita sunt tibi! Da mihi, quæso, in posterum abnegare memetipsum generose, ut non quæram unquam quæ mea sunt, sed quæ officii mei, quæ charitatis, quæ gloriæ tuæ et animarum. Tunc nulla creatura, nulla re utar, nisi ex voluntate tua; nullam rejiciam, quæ mihi ex voluntate tua contingat, etsi molestissimam; atque ita fiet, ut omnia mihi cooperentur in bonum, omnia sint media salutis et spiritualis profectus.

De creaturis.

Pr. 1. Præ oculis mihi ponere verba S. Ignatii, quibus in libro Exercitiorum, post expositum finem hominis, de creaturis loquitur: *Reliqua*, inquit, *super faciem terræ sita, creata sunt propter hominem, et ut eum juvent in prosecutione finis ob quem creatus*

est... Unde consequitur quis sit homini rectus creaturarum usus.

Pr. 2. Ut bene intelligam, creaturas mihi esse debere media ad finem meum, eas semper respectu finis intuear, et quatenus media sunt dumtaxat adhibeam.

I. Creaturarum finis. II. Earum rectus usus. III. Medium practicum ab hac rectitudine non recedendi.

I P. FINIS. — Non solus creatus est homo; sed cum eo res aliæ multæ... Hæ autem creaturæ sunt quæ me circumdant in hoc mundo, quæve eveniunt et occurrunt in via vitæ... in me et extra me... in ordine physico, morali et supernaturali... Hujusmodi sunt cibus, potus, somnus, recreatio, — oratio et operatio, — divitiæ vel paupertas, — infirmitas vel sanitas, vita longa vel brevis, — honor vel opprobrium, hominum favor vel hostilitas, — gaudium vel tristitia, consolatio interna vel desolatio et tentationes, — successus faustus vel infaustus, — superiorum circa me dispositio grata vel ingrata, — pœnitentia, humiliatio, tribulatio, vel res blandæ quæque et jucundæ; — eventus demum quilibet, etiam publici, sive prosperi, sive adversi... — Respectu autem libertatis nostræ, alia sunt præcepta, alia prohibita, et alia electioni nostræ permissa.

Omnia hæc creaturæ Dei sunt... quia omnia a Deo; nec quidquam est vel evenit sine Deo, saltem permittente... *Si erit malum in civitate quod dominus non fecerit?*... Amos, 3.

Jam vero universa hæc, sive bona, sive mala videantur, *creata sunt propter hominem*... sicut homo propter Deum... non ut iis fruatur, sed ut tanquam mediis utatur et instrumentis... utque res illæ *juvent* hominem, non ut impediant *in prosecutione finis :* laudis nempe, reverentiæ et servitii Dei... Et quidem omnia eo conferre, sive negative, sive positive possunt : *Diligentibus* enim *Deum omnia cooperantur in bonum*... At hominis est efficere Rom. 8. ut creaturæ sibi revera conferant ad finem : iis nempe recte utendo...

Da mihi, Domine, hanc gratiam, ut creaturis quas prop-

ter me fecisti, secundum sanctam ordinationem tuam utar semper ad consequendum finem ob quem creatus sum.

II P. RECTUS CREATURARUM USUS. — Ex præfata creaturarum destinatione *sequitur*, inquit S. Ignatius, *homini tantum utendum illis esse, quantum ipsum juvent ad finem suum ; et tantum debere eum expedire se ab illis, quantum ipsum ad finem impediunt*... Ergo abstinendum vel utendum, admittendum vel removendum, non quatenus creaturæ placent sensibus... sed quatenus prosunt animæ... nec plus nec minus : en recta in creaturarum usu regula...

An hanc semper secutus sum ?... Quid hic a Deo petam?...

III P. MEDIUM PRACTICUM. — Ut regulam modo propositam constanter sequamur, *necesse est*, inquit S. Ignatius, *facere nos indifferentes erga res creatas omnes, quatenus* a Deo Domino nostro *non sunt præscriptæ vel prohibitæ... Adeo ut non velimus ex parte nostra magis sanitatem quam infirmitatem, divitias quam paupertatem, honorem quam ignominiam, vitam longam quam brevem ; et sic de cæteris omnibus : unice desiderantes et eligentes quæ magis nobis conducunt ad finem, ob quem creati sumus...*

Quæ sunt illa quæ magis eo solent conducere? Nonne quæ sunt minus grata naturæ?...

Ad quænam me indifferentem habere debeo ? Non sane ad ea quæ sunt præcepta vel prohibita, quæve scio esse Deo placita vel displicentia... sed ad ea quæ per se indifferentia sunt, quæque ego ignoro an mihi profutura sint nec ne.

Quomodo indifferens esse debeo ? Ita ut non eligam, ubi res mihi sub manu est et offertur... ut neque concupiscam neque oderim quod potestati meæ non est subjectum, qualia sunt quæcumque mihi sponte eveniunt... In his consistere debeo velut in æquilibrio stateræ.

Quare? Quia ignoro quid mihi obsit vel prosit : id enim solus Deus scit... Scilicet me invenio velut in pharmacopolio magno, ignorans pharmacorum virtutem : eligere non possum, sed interrogare debeo medicum... Sic dicere debeo Deo : Nihil peto, Domine, nihilque recuso, quia nescio quid mihi melius. Tu autem nosti ; et si tuum beneplacitum manifestaveris, in hoc meam voluntatem inclinabo...

Domine Deus, da mihi sanctum illud æquilibrium voluntatis ac desiderii, ut nihil in hoc mundo velim, nihil nolim nec ulla re movear, nisi intuitu finis.

De peccato in genere.

Pr. 1. *Iniquitatem odio habui et abominatus sum.* Ps. 118.

Pr. 2. Da mihi, Domine, intime cognoscere quantum malum sit peccatum, ut magis magisque replear odio ac detestatione peccati et compunctionis spiritu.

I Odium peccati. II. Peccati malitia. III. Liberatio a peccato.

I P. ODIUM PECCATI. — 1° Consideranda est hujus odii necessitas. Non enim minus necessarium est vitæ christianæ, adeoque et sacerdotali, quam ædificio fundamentum... *Timor* enim *Domini* offendendi per peccatum, *initium* ac fundamentum dicitur *sapientiæ*, et omnis sanctitatis. Et quidem timor Domini atque odium peccati profundum, petra illa est, super quam domus nostra spiritualis ædificanda dicitur a Christo, ne corruat et fiat ruina ejus magna. *Omnis*, inquit, *qui audit verba mea hæc, et facit ea, assimilabitur viro sapienti qui ædificavit domum suam supra petram; et descendit pluvia, et venerunt flumina, et flaverunt venti, et irruerunt in domum illam, et non cecidit: fundata enim erat super petram — Et omnis qui audit verba mea hæc, et non facit ea, similis erit viro stulto qui ædificavit domum suam super arenam; et descendit pluvia, et venerunt flumina, et flaverunt venti, et flaverunt in domum illam, et cecidit: et fuit ruina ejus magna...* Ps. 110. Matth. 7.

Ex hac Domini parabola patet, hominis christiani et sacerdotis, inter tentationem insultus stabilitatem, imo salutem, inde pendere quod firmatus sit in odio peccati... — O Domine Deus, da mihi, quæso, odium istud sanctum, odium tam necessarium peccati.

2° Considerandum quale istud peccati odium esse debeat. Atqui necesse est ut sit summum, atque a peccato abhorream tanquam a summo malo. Quemadmodum si quis mihi corporalem mortem intentet, percussurus me gladio vel injecturus in fornacem, statim et absque ulla deliberatione a tanto malo refugiam ; ita ac multo magis abhorrendum a peccato mortali, quod mortem æternam involvit atque inferni ignem inextinguibilem... Tale erat horror peccati Martyribus, aliisque Sanctis... tale semper veris Christi discipulis et sacerdotibus... an et mihi ?... Domine, confirma me in odio ac detestatione peccati... Da mihi idem odium summum, quo tu peccatum persequeris, quo replesti corda Sanctorum....

II P. PECCATI MALITIA. — Peccati odium gignitur consideratione malitiæ quam continet peccatum, sive spectetur in se et respectu Dei, sive in effectibus, respectu nostri.

1° Respectu Dei, est injuria illata divinæ Majestati ab homine contemptibili, dicente : *Non serviam !*.... Quæ injuria simulque ingratitudo tanta est, ut eam justissimus Deus puniat æterna damnatione in inferno... Quomodo enim punivit angelos prævaricantes ?... Quomodo hominem inparadiso terrestri inobedientem ?... Quomodo ad reparandum Adami peccatum postulavit sanguinem Unigeniti sui in cruce?... An ergo Deus injustus est et peccatum vindicat ultra meritum ?... Absit. Quanta ergo et quam incomprehensibilis est peccati malitia?... Et ego, nonne tanti mali reus ?... Hic dolendum, venia petenda...

2° Respectu hominis peccatoris, peccatum principium et
Prov. 14. causa est omnis ejus miseriæ et infelicitatis : *Miseros facit populos peccatum*... Nonne spoliat eum gratia sanctificante, amicitia Dei, pace conscientiæ ?... Nonne constituit in statu damnationis... Nonne, si moritur in eo statu peccator perit in æternum?... Si quando, quod Deus avertat, cum Juda deveniam in infernum, quæ causa erit ?... Quomodo ergo detestari debeo tantum malum ?... O Domine, da mihi summam peccati detestationem, cor contritum et humiliatum...

III P. LIBERATIO A PECCATO. — Homo peccator sum, infirmus et periculis circumdatus ; quid facere debeo ut

me liberem a peccatis hactenus commissis ? Quid ut evadam peccata in futurum ?

1° Pro præteritis nonne me humiliare debeo ? et pœnitentiam agere? Nonne tota vita christiana expiatio esse debet?...

2° Futuras culpas cavere debeo fugiendo pericula : *Qui enim amat periculum in illo peribit.* Quænam pericula mihi sunt vel fieri possunt?... — Leves etiam culpas vitare necesse est : *Qui spernit modica paulatim decidet...* — Dein adhibenda media, sobrietas, labor, oratio assidua : *Vigilate et orate ut non intretis in tentationem : spiritus enim promptus est, caro autem infirma.* Eccl. 3. Eccli. 19. Matth. 26.

Concludatur meditatio oratione ferventi ad Jesum, pro peccatis morientem, et ad Virginem refugium peccatorum.

De peccato in sacerdote.

Pr. 1. *Qui me tradidit tibi, majus peccatum habet.* Joan. XIX, 11.

Pr. 2. Ut intelligam quam enorme sit peccatum sacerdotis, ab illo magis magisque abhorream et me tutum custodiam.

I. Gravitas peccati in sacerdote, II. ejusdem possibilitas, III. remedia.

I P. GRAVITAS. — Gravius est peccatum in homine sacerdote quam in simplice Christiano, multiplici de causa.

1° Ratione ingratitudinis. Quantam debet Domino gratitudinem pro sua vocatione !... et retribuit ingratitudinem Judæ... *Qui manducat mecum panem, levabit contra me calcaneum suum...* — *Si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique... Tu vero homo unanimis : dux meus et notus meus : qui simul mecum dulces capiebas cibos : in domo Dei ambulavimus cum consensu...* — *Hæccine reddis Domino, populе stulte et insipiens?... Numquid non ipse est pater tuus, qui* Joan. 13. Psalm. 54. Deut. 32.

possedit te, et fecit et creavit te?... An ego non sum tantæ ingratitudinis reus?... Dolendum, venia petenda...

Luc. 12. 2° Ratione obligationis majoris. *Cui multum datum est, multum quærelur ab eo; et cui commendaverunt multum, plus petent ab eo...*

3° Ratione personæ suæ Deo consecratæ, quæque per peccatum sacrilege profanatur...

4° Ratione proditionis. Miles Christi, imo dux militiæ adversus diabolum et peccatum, diabolo se jungit ejusque opus operatur...

Jacob. 4. 5° Ratione scientiæ. *Scienti bonum facere, et non facienti, peccatum est illi...*

6° Ratione effectuum, quales esse solent sterilitas ministerii : animæ per me salvandæ, propter infidelitatem meam non salvabuntur... Dein scandalum, eheu! quam

Ezech. 3. calamitosum : *Sanguinem ejus de manu tua requiram*... et sacrilegia innumera per profanationem sacramento-

Psalm. 41. rum : *Abyssus abyssum invocat*... Demum horrenda damnatio...

An ego peccatum hoc grande commisi?... Quomodo expiabo?... O Domine, a tanto malo me in posterum custodi... Si prævides posthac eo me delapsurum...

II P. POSSIBILITAS. — Impossibile videri posset ut sacerdos tam profunde labatur, cum tam bene cognoscat peccati malitiam et damna... cum tanta habeat spiritualia subsidia et quotidianum missæ sacrificium... cum remotus sit a periculis mundi et veluti inclusus in abscondito ta-

I Cor. 10. bernaculi... nihilominus peccare potest, et *qui se existimat stare, videat ne cadat :*

Nam 1° homo est, infirmus et fragilis, passionibus obnoxius...

2° Nonne lapsus est Judas, cum Jesu visibiliter conversatus?... et Petrus?... et quot alii!...

I Pet. 5. 3° Nonne *inimicus diabolus circuit*... sacerdoti acrius infensus?...

4° Nonne ipse mundus incauto sacerdoti struit insidias?...

5° Nonne in ipso ministerio sacro, nisi cum Deo bene sit

I Cor. 9. conjunctus, pericula inveniet?... *Castigo corpus meum et in servitutem redigo, ne forte quum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar.*

6° Nonne potest facile sensualitati indulgere et viam inire purpurati divitis?...

7° Nonne, si tepidus fuerit et spreverit modica, paulatim decidet in graviora?...

8° Nonne si vigilare cessaverit facile se exponet periculo, in eo misere periturus?...

O Domine, da mihi, juxta Apostoli monitum, *caute ambulare* et *salutem meam cum metu et tremore operari*. Ephes. 5. Philipp. 2.

III P. REMEDIA. — Præsto sunt, a misericordissimo Domino parata sacerdotibus suis remedia, tam curativa quam præservativa.

1° Curativa remedia sunt pœnitentia sincera, non minus efficax futura sacerdoti quam peccatoribus cæteris, dummodo imitetur Petrum...

2° Præservativa sunt fuga omnis periculi et vel levissimæ temeritatis : *Principiis obsta*... Fidelitas in minimis : *Qui fidelis est in minimo, et in majori fidelis est*... Luc. 16. Sobrietas... spiritus laboris... quotidiana meditatio... præ oculis habere illud Tridentini : *Levia etiam delicta quæ in ipsis maxima essent, effugiant*... Sess. 23. Ref. c. 1.

Oratione demum ferventi petatur venia de delictis in sacerdotio commissis... et auxilium efficax ad proposita exequenda in futurum.

De inferno. Inferni cogitatio, fuga.

Pr. 1. *Timete eum, qui potest et animam et corpus perdere in gehennam.* Matth. x, 28.

Pr. 2. Ut semper præ oculis habeam terribilem pœnam peccati, et salutari timore repletus magis magisque abhorream ab omni peccato.

I. Inferni cogitatio, II. inferni fuga.

I P. COGITATIO. — Quare de inferno cogitandum?

1° Quia id Christus Dominus sæpius in Evangelio monet, præcipue his verbis : *Dico autem vobis amicis meis : ne terreamini ab his qui occidunt corpus, et post hæc* Luc. 12.

non habent amplius quid faciant. Ostendam autem vobis quem timeatis : timete eum qui postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam. Ita dico vobis : hunc timete.

2° Quia id suadet exemplum S. Pauli et Sanctorum.
Cor. 9. *Castigo corpus meum*, aiebat Apostolus, *et in servitutem redigo, ne forte quum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar...*

Descendamus in infernum viventes, inquit S.Bernardus, ut non descendamus morientes...

3° Quia cogitatio maxime salutaris est peccatoribus, tum ut a peccatis resurgant, tum ne in eadem relabantur... Quis enim peccator, considerans se super abyssum ignis æterni suspensum manere fragili filo vitæ suæ, in hoc discrimine vel per unicam horam durare possit ?... Quis considerans se, dum consentit peccato mortali, acceptare æternum incendium, non potius millies moriatur quam talem consensum præbeat ?...

4° Quia cogitatio maxime salutaris est justis, non tantum ut præserventur a lapsu... sed etiam ut ferventer virtutem colant, imprimis pœnitentiam et patientiam. S. Theresia quæ locum sibi paratum in inferno viderat, « quotiescumque, inquit, vehementiore afflictione premor, me« moriam illius pœnæ evoco, et confestim quidquid patior « mihi leve videtur. » Quodcumque igitur gravamen occurrat, dicam : *Parum illud est mihi, qui infernum merui... Nonne libenter omnia mala sustineam ut infernum evadam ?... ut animas ex inferni faucibus eripiam ?...*

5° Hac cogitatione perseverabant anachoretæ in pœnitentiis, et martyres in tormentis, memores verbi Domini : *Timete eum qui potest et animam et corpus mittere in gehennam*... Fac, Domine, ut et ego semper cogitationem hanc in mente habeam...

II. INFERNI FUGA. — Ab inferno cavere debeo et me in tuto ponere, nam pericula non desunt, contra quæ tutamen quærendum est.

1° P. An fieri posset ut ego æternam damnationem incurram et peream? Cur non? Nonne homo sum et peccato obnoxius? Nonne possum peccare mortaliter et in eo mori ?... Nonne via perditionis valde lata est, in quam ego

etiam exemplo divitis epulonis declinare possem?... Nonne multi damnantur, et e duodecim apostolis unus damnatus est?... Cur ego me existimem in tuto?... O domine Jesu, in te solo spes et salus mea...

Dein quæ est causa damnationis? Nonne impudicitia, sacrilegia, scandala, neglectus sacerdotalium obligationum?... Nonne sicut alii eo deduci possem?...

Reprobus fieri possum, imo certo efficiar, nisi hujusmodi causas sedulo fugiam... Da mihi, Domine, pericula cuncta efficaciter fugere, ne damnationem incurram...

2° Quomodo a damnatione cavebo et in tuto ero? Necesse est ut recedam a viis inferni, quæ sunt via lata, via divitis epulonis, via Judæ, via luxuriæ, via sacrilegii et scandali... in quam paulatim deflectit sacerdos per tepiditatem, sensualitatem, dissipationem, otiositatem, neglectum orationis...

Necesse est ut ineam viam arctam, quæ est via Christi et Sanctorum, via Petri... via Salesii... via abnegationis, laboris, sobrietatis, charitatis...

In tuto quoque ero si teneram habuero devotionem erga Beatam Virginem...

Qua nunc in via ambulo?... Quid faciendum ut sim securus et requiescam in spe, nec timeam a timore nocturno?...

Fiat oratio finalis ad B. Virginem, quæ est cœli janua... et ad Christum in cruce pendentem ac morientem pro salute nostra, ut non peream ego... eosque qui mihi commissi sunt ita custodiam, ut non pereat ex iis quisquam...

De inferno. Inferni veritas.

Pr. 1. *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere; sed potius timete eum, qui potest et animam et corpus perdere in gehennam.* Matth. x, 28.

Pr. 2. Ut vivida fide apprehendam terribilem Dei

vindictam de peccato, et salutari timore repletus magis magisque ab omni offensa Dei abhorream.

I. Inferni veritas est certissima, II. terribilis, III. efficax ad bonum.

I. VERITAS CERTISSIMA. — Dogma enim fidei est tam luculenter in Evangelio enuntiatum, ut nunquam negatum fuerit ab hæreticis. An ego illud credo fide vivida ?.. Si credo infernum esse, cur non diligentius ab eo caveo ?... aliosque salvare studeo ?... Credo, Domine Jesu, credo gehennæ ignem æternum paratum esse diabolo et sequacibus ejus... Credo, sed adjuva, quæso, incredulitatem meam, infirmitatem fidei meæ.

Dogma hoc a modernis impiis negatur ex corruptione cordis, negatione quæ tantummodo dubitationem significat, quasi dicerent : *Fortassis infernus non est*... Quod si revera incertitudo aliqua hic daretur, nonne summa insania foret hujusmodi incertitudini innixum tanto se periculo exponere ?... At vero incertitudo nulla est, sed inconcussa veritas... Credo : utinam credam vividius, quasi oculis rem viderem !...

Quis, inquiunt, a mortuis rediit ut nos de inferno moneat ?... Habent verbum Dei, audiant illud... Quod si
Luc. 16. Deum et Jesum Christum non audierint, *neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent*... Etenim non desunt testimoniâ mortuorum... Credo, Domine, credo : in hac fide vivam et moriar...

II. VERITAS TERRIBILIS. — Quis non formidabit infer-
Deut. 32. num ?... vindictam irati Dei ?... *Ignis succensus est in furore meo*...

In rigore justitiæ suæ Deus ibi punit rebelles creaturas pœna duplici, damni et sensus, utraque æterna...

1° Pœna damni, qua damnatus, summo tormento se ob culpam suam exclusum videt e domo paterna Dei sui, rejectum a facie Patris, frustratum a fine existentiæ suæ...

2° Pœna sensus est multiplex, et proportiana cujusque delictis... Qui peccaverunt oculis, auribus, lingua, gustu,
Sap. 6. tactu... iisdem etiam sensibus torquebuntur... *Et potentes potenter tormenta sustinebunt*.... O Domine Deus misericors, libera me de pœnis inferni, de viis inferni...

3° Quid in inferno videtur ? Nonne dæmones... et dam-

nati homines, gentiles, Judæi, christiani, imo sacerdotes, infimo loco positi ?...— Quid auditur ? Nonne blasphemiæ... mutuæ objurgationes ? Propter te, inquiunt, me damnavi... tu per scandalum me damnasti... — Nonne monita ? *Habeo enim quinque fratres, ne et ipsi veniant in hunc locum tormentorum...* Quid olfactu percipitur ? Nonne putredo vitiorum ? — Quid gustatur ? Nonne amaritudo, fames ac sitis ob gulæ delectamenta, ob fructum vetitum quem gustare voluerunt, et forte ob intemperantiam potus... — Quid sentitur ? Nonne inenarrabile tormentum ignis ? *Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante ?... cum ardoribus sempiternis ?..* Quis poterit ?... Et quidem absque ullo solatio, sicut ille dives reprobus cui aquæ guttula negatur... Luc. 16. Isaï 33.

4° Quomodo torquentur sensu interno ac remorsu ? Voce conscientiæ dicere coguntur : Damnatus sum... et quidem mea culpa... damnatus sum, ego sacerdos, qui alios salvare debui, qui tot ac tanta media salutis habui in manu... Ergo damnatus sum, prout mihi sæpius prædictum est ; ego autem nunquam putassem eousque rem deventuram !... Damnatus sum, et quidem ob nugas et res nullius momenti... me insensatum !... Renui pœnitentiam agere in terra et nunc gravissimas pœnas tolerare cogor sine ullo fructu... Hic *una hora gravior in pœna quam super terram centum anni in gravissima pœnitentia...* — Poteram salvari sicut illi et isti... Omnia suppetebant media... tempus perdidi... — O si adhuc daretur hora !... Terribiles erunt remorsus sacerdotis in inferno. Kemp. I, 24.

5° Quomodo torquentur desperatione. Ergo nunquam !... Ergo semper !... Quia tempus non erit amplius... quia clausit puteus super me os suum... Ne permittas, Domine Jesu, ne sinas, Beatissima Mater Dei, tantum mihi malum evenire...

III. VERITAS EFFICAX. — Si res ita se habent, si stat nec destrui potest terribilis veritas inferni, quid ipsa requirit a me ? Quosnam mihi indere sensus debet ? Nonne, respectu mei, sensum sancti timoris... gratitudinis, quod non fuerim consumptus... et fiduciæ ?...

Nonne prudentiæ est, ut me in tuto ponam ?...

Nonne, respectu proximi, oportet ut omni zelo laborem ad

eripiendas animas e faucibus inferni... ne ulla per meam negligentiam tantum malum incurrat ?... An id ago ?... Quid in posterum ?...

Da mihi, Domine, terribilem hanc veritatem nunquam e conspectu amittere, ut me indeficienti zelo impendam in salutem meam et aliorum.

De judicio particulari.
Judicii memoria et materia.

Pr. 1. *Statutum est hominibus semel mori, post hoc autem judicium.* Hebr. IX, 27.

Pr. 2. Petere ut judicium Dei semper in mente habeam, et me geram in omnibus tanquam rationem Deo redditurus.

I. Judicii cogitatio. II. Judicii materia.

1 P. COGITATIO. — Quare de judicio cogitandum ? Quia hæc cogitatio maxime salutaris. Si enim judicium præ oculis habuerimus, ita vivemus ut rationem reddere possimus absque metu... imo cum gaudio et laude... Sic viator sapiens, cum in hospitio commoratur, de ratione mox reddenda cogitat ; ideoque parce vivit, ut, ubi expensæ solvendæ erunt, satisfacere possit. Stultus autem futura non prævidens, manducat et bibit, vivitque quam lautissime, quasi ratio reddenda nulla esset ; at ubi hora venit solvendi debita, solvendo impar invenitur et incidit in manus judicis... Similiter homo judicii immemor...

Sancti viri, ut Hieronymus, judicii memores, peccata expiarunt pœnitentiis multis... virtutes coluerunt assidue... Mundani autem homines, quia de judicio non cogitant, pravis cupiditatibus indulgent, peccata ac debita coacervant, quæ ipsis opponentur in die rationis... Quosnam ego imitabor ?...

Præ oculis habenda verba Domini : *Redde rationem villicationis tuæ...* — *Venit dominus servorum illorum et posuit rationem cum eis...* — *Homo quidam nobilis*

Luc. 16.

Matth. 25.

servis suis dedit decem mnas, et ait ad illos ; Negotiamini dum venio... — Nihil est opertum quod non revelabitur, et occultum quod non scietur... Luc. 19. Matth. 10.

Et hæc Apostoli : *Omnes stabimus ante tribunal Christi... et unusquisque nostrum pro se rationem reddet Deo... — Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis prout gessit, sive bonum, sive malum... — Secundum duritiem tuam et impœnitens cor, thesaurizas tibi iram in die iræ et revelationis justi judicii Dei, qui reddet unicuique secundum opera ejus : iis qui secundum patientiam boni operis.., incorruptionem quærunt, vitam æternam ; iis autem qui non acquiescunt veritati, credunt autem iniquitati, ira et indignatio...* An hæc mihi satis ob oculos versantur ?... Quid hic petendum ? Rom. 14. II Cor. 5. Rom. 2.

II P. MATERIA. — Judicii materia erunt imprimis talenta, nobis a Deo commissa ut lucrum faciamus in vitam æternam. Omnes enim nos, præsertim sacerdotes, sumus servi negotiatores, quibus Rex noster Christus tradidit bona sua, varia talenta, dicens : *Negotiamini dum venio...* Luc. 19.

Qui acceperunt pauciora, ne tristentur : recipient enim mercedem secundum laborem, non secundum talenta...

Qui plura acceperunt, ne glorientur : gravius enim judicabuntur. *Omni cui multum datum est, multum quæretur ab eo ; et cui commendaverunt multum, plus petent ab eo...* Luc. 12.

Quæ sunt illa talenta, de quibus ratio reddenda erit ? Nonne quæcumque a Deo accepimus in ordine naturæ vel gratiæ ?... Quæ quidem distincte considerari possunt, scilicet :

Corpus cum sensibus. Rationem reddes, homo, de usu corporis tui : ne abutaris per luxuriam... de usu oculorum... aurium... linguæ : *Omne verbum otiosum quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii...* de usu pedum : ergo vide quo dirigas gressus tuos, quas instituas visitationes, excursiones... de usu manuum, quæ tibi ad bona opera datæ... Matth. 12.

Anima cum facultatibus. Ratio tibi reddenda, sacerdos, de intellectu et scientia... de cogitationibus et judiciis,

forsan temerariis... de voluntate ejusque submissione superioribus... de affectibus cordis, sive amoris, sive odii et malevolentiæ aut invidiæ...

Fortuna et temporalia bona. Rationem reddes, o sacerdos, usque ad novissimum quadrantem. Vide ergo quas impensas in vino, in mensa, in itineribus tibi permittas...

Tempus. Numerati sunt dies et horæ vitæ tuæ : de singulis rationem reddes Deo. Vide quomodo te habeas in usu et perditione temporis...

Gratiæ dona : fides et baptismus... educatio christiana... sacramenta... remissio sæpe repetita peccatorum... tot bona exempla et adhortationes... de usu et fructu eorum rationem reddes... — His adde gratias gratis datas, potestatem nempe sacerdotalem et ecclesiasticas facultates, quæ cuncta suum fructum producere debent...

Cruces et adversa : quæ consilio divinæ misericordiæ ordinata sunt, sive ad conversionem meam... sive ad rumpendum affectum quo adhæreo terrenis... sive ad satisfaciendum pro delictis, sive ad merita comparanda... Quomodo his omnibus utor ?... Quomodo potero de singulis Dei donis bonam rationem reddere ?...

Addatur in fine oratio ad Jesum, nunc misericordissimum Patrem, mox vero districtum Judicem... petatur venia, promittatur emendatio.

De judicio particulari. Judicii materia.

Pr. 1. *Scrutabor Jerusalem* (anima sancta) *in lucernis*. Sophon. I, 12.

Pr. 2. Petere ut rationem Deo reddendam semper præ oculis habeam et hac cogitatione ordinem omnes actiones meas.

Præter talenta, judicii materia erunt, I. obligationes nostræ, II. peccata, III. bona opera nostra.

I P. OBLIGATIONES. — Quæretur a me in judicio quomodo impleverim omnes obligationes, tum hominis christiani, tum sacerdotis...

In baptismo spopondi servare legem Dei, mandata decalogi et Ecclesiæ. Quæret a me Judex quomodo contractam hanc obligationem servaverim... et, si minus fideliter, utrum culpæ pœnitentiam egerim.

Ratione sacerdotii et officii ecclesiastici, obligationes mihi incumbunt multo plures et strictiores, quæ statutis diœcesanis continentur. An eas cognosco?... An ideo statuta identidem lego et meditatione pertracto ?... An obligationes omnes accurate servare studeo?... tum erga Deum... tum erga superiores, confratres vel subditos... tum erga memetipsum? De iis a judice interrogabor... An nihil mihi reformandum ut coram Judice non confundar?...

II P. PECCATA. — Quæretur a me quænam peccata commiserim, sive ante sive post susceptum sacerdotium... et quomodo ea expiaverim...

Aperientur omnia peccata quæ commisi a primordiis rationis usque ad finem vitæ... sive cogitatione... sive verbo... sive opere... sive negligentia... Nonne multa hujusmodi peccata commisi? An vel unus dies vitæ meæ immaculatus est oculis Dei?... De iis rationem reddam, nisi ea prius expiaverim... Quamnam expiationem adhibeo?...

Quando pecco tam facile detractione, sensualitate, perditione temporis, negligentia... num cogito me rationem de his redditurum, tanto severiorem quod sacerdotio sum consecratus?... *Judicium durissimum his qui præsunt fiet.* Sap. 6.

Quæretur a me quomodo expiaverim delicta mea?... Quid, si peccatum mortale inveniretur in me non expiatum?... Quid si venialia?... Quod si expiatio facta, quænam hæc fuit?... Quanti valitura in statera divinæ justitiæ?... Nonne debeo *meum Judicem deprecari?...* Hinc Job. 9. examinanda pœnitentia et bona opera.

III P. BONA OPERA. — Quæ ab homine christiano, et multo magis a sacerdote exercenda veniunt bona opera, triplicis censentur generis, suntque oratio, jejunium, eleemosyna.

Examinabit itaque judex quas fuderim orationes... quantum spiritualibus exercitiis vacaverim... Quomodo Missam celebraverim... quomodo pietate fidelibus exemplo fuerim...

Examinabit jejunia, vigilias, aliasque mortificationes et pœnitentias...

Examinabit eleemosynas et amorem meum erga pauperes...

Dein labores mei... patientia... charitas... amor inimicorum... humilitas... obedientia... certamina adversus peccatum... omnia demum quæ pro Deo, pro ecclesia fecerim, pertulerim, aperientur...

At simul examinabitur quo fervore... qua puritate intentionis opera bona peregerim... *Scrutabor Jerusalem in lucernis...* Sophon. 1.

Nonne oportet me nunc bonis operibus abundare, et agere semper intentione purissima... ut cum discussio venerit, laudem et mercedem inveniam ?

Da mihi, Domine, semper judicii memorem, ita omnes meas obligationes implere, ita sub oculis tuis opera mea peragere et absconditas cogitationes atque affectiones moderari, ut mox tibi Judici venturo cum fiducia rationem reddere possim... *Juste Judex ultionis, donum fac remissionis ante diem rationis...*

De judicio particulari. — Judicii actus.

Pr. 1. *Judicium sedit et libri aperti sunt.* Dan. VII, 10.

Pr. 2. Petere ut judicium subeundum semper in mente habeam, et me geram in omnibus tanquam rationem Deo redditurus.

Considerare actum judicii secundum varias circumstantias temporis, personarum et rerum.

1° Quandonam judicabor ? Statim post obitum meum, in ipso probabiliter mortis loco, apparebit mihi judex. *Statutum est hominibus semel mori, post hoc autem judicium.*:. Adhuc calidum jacebit corpus meum et jam ero judicatus... Hebr. 9.

2° Quis erit judex ? Christus Dominus, constitutus judex vivorum et mortuorum. *Pater omne judicium dedit Fi-* Joan. 5.

lio... et potestatem dedit ei judicium facere, quia filius hominis est.

Ergo tu, Domine Jesu Christe, quem nunc in Sacramento possideo ut misericordissimum Patrem, tunc mihi Judex sedebis justissimus... omniscius... inexorabilis...

Quomodo me, sacerdotem suum aspiciet? An irato vultu?... Sane si officio pastorali defuero, maxime mihi timendum erit ; nam *horrende et cito apparebit vobis : quoniam judicium durissimum his qui præsunt fiet*... Nonne oportet me ita fideliter Domino et Ecclesiæ servire, ut quomodo precamur in Commendatione animæ, *mitis atque festivus mihi Christi Jesu aspectus appareat.* Sap. 6.

3° Qui testes ? Si anima comparet in statu gratiæ, adstat saltem angelus custos, ut post sententiam, deducat eam in paradisum vel in purgatorium... Si anima sit in statu peccati mortalis, adest diabolus, vindicans sibi suum mancipium, et prædam inferni... Tibi provide itaque, dum es in via vitæ, dicit Dominus, *ne forte tradat te adversarius judici, et judex tradat te ministro, et in carcerem mittaris.* Matth. 5.

4° Judicandus, est homo reus. Ego stabo coram judice, vel in statu peccati mortalis... vel in statu gratiæ imperfecto, et cum debito veniali... vel in statu gratiæ perfecto et cum thesauro meritorum... — Stabo, vel terrore perculsus, vel cum magna constantia et fiducia... Qualem statum mihi nunc præparare debeo ?...

Stabo, in manibus ferens opera mea : in sinistra, opera mala, nisi tempestiva expiatione destruxero... in dextera vero merita operum bonorum quæ thesaurizaverim in vitam æternam... Quid faciendum nunc ne dextera manus tunc non inveniatur vacua?... *Quid sum miser tunc dicturus?*

5° Examen, seu libri aperiendi. Quinam illi libri ex quibus judicabor? Imprimis liber divinæ legis, nempe Evangelium... et *Statuta diœcesana,* secundum quæ, non secundum pravas consuetudines vel laxiorum exempla me vivere oportuit... — Dein liber conscientiæ meæ, quæ aperietur et veluti tabula viva pandetur... An adhuc latent ibi occulta dedecoris quæ non manifestavi confessario ?... quæve pœnitentia non expiavi... An potius deteguntur thesauri humilitatis ?...

6° Quenam erit sententia ? Erit certa una e tribus : vel reprobationis, vel condemnationis ad purgatorii pœnas, vel retributionis æternæ... An sententia mea erit reprobationis ?... an purgatorii ?... an benedictionis et paradisi?... An audiam hæc terrenda : *Serve male et piger, oportuit te*, non abscondere in terra et terrenis vanitatibus *pecuniam meam, sed committere numulariis*... Itaque *inutilem servum ejicite in tenebras exteriores ; illic erit fletus et stridor dentium ?...*— Nonne potius ita vivendum ut audiam hæc suavissima : *Euge, serve bone et fidelis : quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam : intra in gaudium domini tui ?...*

Matth. 25.

Ibid.

O Domine Jesu, Judex vivorum et mortuorum, da mihi, quæso, ita vivere et ferventer Ecclesiæ tuæ ministrare, ut sententiam misericordiæ et æternæ mercedis merear audire. O Beatissima Virgo, intercede pro me ; angele custos ora pro me...

De judicio particulari universim.

Pr. 1. Spectare me in exitu e vita stantem ante tribunal Christi, dicentis mihi : *Ecce vita tua effluxit, jam redde rationem totius gestionis tuæ.*

Pr. 2. Ut sancto timore judicii mox subeundi replear, et me ad reddendam rationem quotidie disponam.

I. Considerandæ personæ in judicio particulari convenientes ; II. examen, III. sententia.

I P. PERSONÆ. — Judex est ipse Christus, nunc misericordissimus Pater... tunc apparebit in sua justitia... Judex omnium... inevitabilis... incorruptibilis auro... inexorabilis prece... omnipotens, quem effugere non potero... omniscius, cui nihil absconditum est, aut abscondi potest... — Terribilis hujusmodi Judex impiis... non vero justis...

Reus, ego : ego solus, nudatus omni ornatu et poten-

tia... nihil retinens e rebus hujus mundi, præter opera mea, quæ afferam, alia manu dextera, alia manu sinistra... nisi hæc ultima destruxero... *Unusquisque nostrum pro se rationem reddet Deo*... Nemo ex amicis me defendet... quanta insania, hominibus servire præ Deo, et propter homines debita contrahere coram tremendo Judice !... Rom. 14.

Accusatores, ut pie saltem credi potest, diabolus... fors etiam angelus custos meus, et angeli aliorum quos scandalizaverim...

Testes, ipse Deus judex, qui vidit omnia .. et conscientia testimonium reddens...

Quantæ tunc angustiæ peccatori... quanta consolatio animæ justæ, ferventi, quæque pœnitentiam egit !...

II P. EXAMEN. — Fiet examen accuratissime : nihil omittetur a principio vitæ usque ad finem... Non omittentur neque gratiæ acceptæ... nec officia impleta... nec virtutes ac bona opera... neque peccata, verbo, cogitatione, vel opere commissa...

Fiet rigorosissime, secundum strictam videlicet justitiam... secundum leges et mandata... secundum regulas et statuta diœcesana...— Non admittentur excusationes... nec prætextus... nec interpretationes laxæ... — *Scrutabitur Christus Jerusalem in lucernis*... examinabit animam sanctam ejusque bona opera, quomodo ea peregerit.... et qua intentionis puritate... Soph. 1.

Nonne oportet nunc me ipsum severe judicare, meaque opera, measque intentiones ad trutinam revocare, ne tunc coinquinata et vitiata inveniantur ?...

III P. SENTENTIA. — Triplex sententia datur et pro rei merito pronuntiatur in judicio particulari : videlicet mala, bona et optima.

Mala sententia est æternæ damnationis...

Bona, sententia mercedis æternæ, non tamen absque prævia expiatione in purgatorio...

Optima, vitæ æternæ statim accipiendæ, quæ sic enuntiatur in Evangelio : *Euge, serve bone et fidelis, intra in gaudium Domini tui*... Matth. 25.

Quamnam ex his tribus sententiam audire mox vo'o ?... Quomodo eam merebor ?...

Concludatur meditatio oratione congrua.

De judicio universali. Cogitatio, eventus prævii.

—

Pr. 1. *Quum venerit Filius hominis in majestate sua, et omnes angeli cum eo, tunc sedebit super sedem majestatis suæ.* Matth. XXV, 31.

Pr. 2. Petere ut alte insideat in anima mea cogitatio judicii, qua magis magisque confirmer in timore Dei et horrore peccati.

I. Judicii memoria. II. Judicio eventus prævii.

I P. JUDICII MEMORIA. — Non licet nos judicii diem oblivioni dare, quem Christus Dominus in Evangelio tam
Matth. 26. frequenter in memoriam vocat. *Amodo videbitis Filium*
Luc. 21. *hominis... venientem in nubibus cœli... Vigilate itaque..* Quapropter frequenter dogma judicii confitemur in Symbolo.

Consideratione illius diei eriguntur animi fidelium et firmantur in virtute... Quapropter sacerdos Domini eam familiarem habere debet, ut opportune populo fideli proponat... terribilem peccatoribus, justis autem et pro Christo patientibus consolatione plenam...

Imitandum exemplum sanctorum qui diem judicii semper habebant præ oculis. *Quidquid agam*, inquit S. Hieronymus (in Matth. XXV), *sive manducem, sive bibam, sive aliud operer, audire mihi videor novissimam tubam insonantem : Surgite, mortui, et venite ad judicium...*

An ego sic actiones suscipio et facio ut tremendum Dei
Sophon. 1. judicium sustinere possim ?... *Juxta est dies Domini magnus, juxta est et velox nimis...*

Luc. 21. II P. JUDICII PRÆVIA. — *Erunt*, inquit Dominus, *signa*
Matth. 25. *in sole et luna et stellis...* « Quia omnia consummanda « sunt, docet S. Gregorius, ante consummationem omnia « perturbantur ; et qui in cunctis deliquimus, in cunctis « ferimur... » Itaque novissimæ calamitates erunt pœnæ
Joan. 5. peccatorum et signa iræ Dei... *Jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.*

Fiet conflagratio totius mundi habitabilis. *Adveniet*

dies Domini ut fur : in quo cœli magno impetu transient, elementa vero calore solventur; terra autem, et quæ in ipsa sunt opera exurentur... Ubi nunc urbes, imperia, gloria hominum ?... II Pet. 3.

Dein resurrectio mortuorum. *In momento, in ictu oculi, in novissima tuba (canet enim tuba), et mortui resurgent...* — *Mittet* enim Dominus *angelos suos cum tuba et voce magna...* Tuba mirum spargens sonum per sepulcra regionum, coget omnes ante thronum... I Cor. 15. Matth. 24.

Tunc congregabuntur omnes gentes, omnes homines qui vixerunt, boni et mali... omnes redivivi, sed statu inter se differentes... alii ut filii lucis, alii ut filii tenebrarum... Qualis ego inveniar ?...

Exspectabunt Judicem, alii cum terrore... alii cum fiducia ?...

Qualis erit adventus Christi ?... *Tunc parebit signum Filii hominis in cœlo... et omnes tribus terræ videbunt Filium hominis venientem in nubibus cœli, cum virtute multa et majestate...* — *Videbit eum omnis oculus, et qui eum pupugerunt...* Ita ut Christo Jesu *omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium et infernorum...* Matth. 24, 25. Apoc. 1. Philipp. 2.

Quomodo ego eum aspiciam ?... An cum gaudio ?...

Tunc fiet separatio. *Congregabuntur ante eum omnes gentes; et separabit eos ab invicem, sicut pastor segregat oves ab hædis... et statuet oves quidem a dextris suis, hædos autem a sinistris...* — *Tunc stabunt justi in magna constantia adversus eos qui se angustiaverunt...* Hi vero *videntes turbabuntur timore horribili...* An desunt sacerdotes reprobi, stantes cum Juda ?... Matth. 25. Sap. 5.

Ex qua parte ego stabo ?... Ex qua parte nunc consisto, et quibuscum consocior ? An cum Christo ?... cum sanctis ?... cum confratribus piis ?...

Si volo tunc stare a dextris, cum Salesio, cum Carolo, cum Vincentio, cum tot dignis ac sanctis sacerdotibus, quid mihi nunc faciendum ?...

O Domine Jesu, *Rex tremendæ majestatis, qui salvando salvas gratis, salva me fons pietatis. Recordare, Jesu pie, quod sum causa tuæ viæ, ne me perdas illa die...*

De judicio universali. Ipsum judicium.

Pr. 1. *Qui judicat me, Dominus est... qui et illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium; et tunc laus erit unicuique a Deo.* I Cor. IV, 5.

Pr. 2. Ut futurum judicium semper præ oculis habendo in solida virtute perseverem.

Judicii actus continet I. initium, II. medium, III. finem.

I P. INITIUM. — Ubi separati fuerint justi a reprobis, Judex vivorum et mortuorum, considens in sede majestatis suæ, aspiciet utrosque... Quam diverso vultu!..

Aperientur conscientiæ et arcana cordium. *Judex ergo cum sedebit, quidquid latet apparebit...* sive in ratione peccati, sive in ratione virtutis... *Liber scriptus proferetur, in quo totum continetur...*

Væ tibi impie... væ tibi sacerdos hypocrita!... aperientur oculis mundi flagitia tua, thesauri iniquitatis tuæ... nisi, ut Augustinus, pœnitentia et lacrymis delicta abstergas...

Euge fidelis servus, humilis imitator Christi, manifestabuntur opera tua bona, sacrificia, patientia abscondita... apparebunt thesauri meritorum... O Domine Jesu, da mihi nunc tecum thesaurizare...

II P. MEDIUM. — Loquetur Judex, loquentur judicandi. Quid Christus Dominus dicet sacerdotibus reprobis?.. Quomodo exprobrabit eis ingratitudinem suam... perfi-
Ps. 54. diam... abusum gratiarum?... *Si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique... Tu vero, homo unanimis, dux meus et notus meus, qui simul mecum dulces capiebas cibos...*

Quamnam afferent excusationem? Dicentne se legem Domini ignorasse?... se monitos non fuisse?... se tempus non habuisse?... sibi media defuisse quibus tentationes superarent?... Quid sum miser tunc dicturus?

Luc. 22. Quid Christus Dominus dicet sacerdotibus sanctis? *Vos*, inquiet, *amici mei estis... qui secuti estis me... qui permansistis mecum in tentationibus meis. Et ego dispono*

vobis sicut disposuit mihi Pater meus regnum, ut edatis et bibatis super mensam meam in regno meo... Jam hiems transiit, labores et certamina transacta sunt, in reliquo reposita vobis est corona justitiæ... Vidi et *novi opera tua, et fidem, et charitatem tuam, et ministerium, et patientiam tuam... Quia vicisti, faciam te sedere mecum in throno meo...* Apoc. 2, 3.

Quid boni sacerdotes dicent? Nonne laudabunt misericordiam Domini... et benedicent suæ quoque patientiæ, qua gratiæ fuerint cooperati? *Gratia Dei sum id quod sum, et gratia ejus in me vacua non fuit...* O felix labor, o felix pœnitentia, quæ tantam mihi promeruit gloriam!... I Cor. 15.

III P. FINIS. — Quamnam sententiam proferet Judex? *Tunc dicet Rex his qui a dextris ejus erunt : Venite, benedicti Patris mei : possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi... — Esurivi enim, et dedistis mihi manducare ; sitivi, hospes eram, nudus, infirmus, in carcere...* Matth. 25.

Tunc dicet et his qui a sinistris erunt : Discedite a me, maledicti, in ignem æternum qui paratus est diabolo et angelis ejus... — Esurivi enim, et non dedistis mihi manducare, sitivi, hospes eram, nudus, infirmus et in carcere, et non visitastis me...

Heu miseros! Suprema maledictione tanquam fulmine percussi, desperati, ad quem confugient?... quem patronum invocabunt... in cœlo, in terra, in inferno?... An implorabunt Beatam Virginem? Hæc jam eorum mater non est... An Christum, qui jam non pater, sed judex est inexorabilis?... An rogabunt dilationem et tempus pœnitentiæ agendæ?... Tempus non erit amplius... et statim sententiam executio sequetur ; *Et ibunt hi in supplicium æternum... justi autem in vitam æternam...*

Quam terribilis ruina, ubi dehiscente terra, multitudinem damnatorum absorbebit puteus abyssi!...

Quam ineffabilis triumphus, ubi Christus Rex cum lucido agmine justorum totaque Ecclesia gloriosa ascendet in montem sanctum et intrabit in regnum cœlorum!...

Quapropter, fratres, magis satagite ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem facialis... II Petr.

O Domine Jesu? Juste judex ultionis, donum fac remis-

sionis, ante diem rationis. Inter oves locum præsta et ab hædis me sequestra, statuens in parte dextra. Confutatis maledictis, flammis acribus addictis, voca me cum benedictis...

De judicio futuro. Ad judicium præparatio.

Pr. I. *Vos similes hominibus exspectantibus dominum suum quando revertatur a nuptiis... Beati servi illi, quos, cum venerit dominus, invenerit vigilantes.* Luc XII, 36.

Pr. 2. Petere gratiam vivendi, intuitu instantis judicii mei, ita ut coram Judice misericordiam merear invenire.

Quomodo me juxta evangelia monita ad judicium præparare debeo?

1° *Vigilate*, inquit Dominus, id est, sine mora, sine torpore laborate ut a peccatis sitis liberi et bonis operibus instructi... Quod clarius significat dicens: *Sint lumbi vestri præcincti, et lucernæ ardentes in manibus vestris*... quæ tum impedimenta supprimenda, nempe peccata et pravas cupiditates; tum opera bona designant... An ego præterita peccata expiavi?... an nova committere evito?... an operibus bonis abundo?...

2° Ipsa prudentia nonne mihi suadet ea non committere, propter quæ graviter judicabor?...

3° Nonne oportet me nunc, dum tempus habeo, delicta
Galat. 6. expiare?... *Dum tempus habemus operemur bonum*...

4° Monet Apostolus non curare judicia hominum sed
1 Cor. 4. Dei: *Mihi pro minimo est ut a vobis judicer, aut ab humano die: sed neque me ipsum judico.... Nihil enim mihi conscius sum; sed non in hoc justificatus sum: qui autem judicat me, Dominus est*... Num ego similiter unice Deum intueor qui me judicaturus est?... Nonne hominibus placere intendo magis quam Deo?... Nonne ex humano respectu facere omitto quæ Deus requirit?... Nonne ex hominum timore officium corripiendi

negligo ?... Nonne opinione et verbis hominum plus æquo moveor ?... Sacerdos quidem *providere debet bona, non tantum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus ; et, si fieri potest, cum omnibus hominibus pacem habere*... — debet *in omnibus se ipsum præbere exemplum bonorum operum et irreprehensibilem ; ut is qui ex adverso est, vereatur, nihil habens malum dicere de nobis*... de cætero autem in Dei judicio conquiescat : *Qui autem judicat me, Dominus est*...

Rom. 12.

Tit. 2.

5° Qui misericordiam vult invenire apud Deum, ipse misericordiam exerceat, tum erga pauperes... tum erga inimicos... *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur*... *Esurivi enim et dedistis mihi manducare*... — *Estote misericordes, sicut et Pater vester misericors est*... *Dimittite et dimittemini*... *eadem quippe mensura, qua mensi fueritis, remetietur vobis*... — *Judicium sine misericordia illi qui non fecit misericordiam*...

Matt. 5. 25,

Luc. 6.

Jacob. 2.

6° Qui vult aliquando benigne judicari a Deo, abstineat a judicio maligno, et a maligno sermone ac vituperatione erga proximos. *Nolite judicare et non judicabimini*... *nolite condemnare et non condemnabimini*...

Luc. 6.

7° Si cupimus invenire indulgentiam apud severum Judicem, nosmet ipsos judicemus, secundum Apostoli verba : *Quod si nosmet ipsos judicaremus, non utique judicaremur*... Jam vero judicamus nosmet ipsos dum humiliter et contrite nos accusamus in sacramento pœnitentiæ... et dum examine conscientiæ ascetico quotidie a nobis ipsis levissimarum culparum rationem petimus...

I Cor. 11.

An ita me ad judicium meum præparo ? Quid deinceps faciendum ?...

O Domine Jesu, qui toties monuisti me de futura ratione reddenda, et de præparatione ad judicium adhibenda, ut in adventu tuo paratus inveniar ; qui beatos appellas servos tuos quos inveneris paratos et vigilantes : da, quæso, ut ope examinis conscientiæ semper vigilando, paratus inveniri merear, quandocumque me ad te vocare volueris.

De morte. Mortis memoria.

Pr. 1. *Memorare novissima tua et in æternum non peccabis.* Eccli. VII, 40.

Pr. 2. Petere fructum hujus meditationis, ut diem mortis meæ semper præ oculis habeam, atque per fugam peccati et per bona opera ad adventum Domini quotidiè me disponam.

I. Cogitatio mortis necessaria est, II. salutaris, III. facilis, nec injucunda.

I P. COGITATIO NECESSARIA. — Cur oportet nos memoriam mortis præ oculis habere et de morte frequenter cogitare ?

Id imprimis prudentia suadet : nonne prudentis est periculum imminens prævidere ?... Si regi bellum instet a quo pendeat corona... Si pictori tabula perficienda a qua pendeat fortuna... Si sagittario mittenda sagitta et scopus tangendus sub pœna mortis et quidem per ignem subeundæ... Nonne illi homines de re tam gravi cogitare deberent ? At gravius est discrimen unicuique subeundæ mortis...Nonne igitur de re tam gravi cogitandum ?... Da mihi, Domine, juxta monita tua, memoriam mortis meæ semper habere præ oculis, omnique hora adventum tuum exspectare.

Christus Dominus sæpius in Evangelio nos monet ut vi-
Matth. 24. gilemus, memores mortis et adventus sui. *Si sciret,* inquit, *pater Familias qua hora fur veniret, vigilaret utique et non sineret perfodi domum suam :* scilicet non tantum vigilaret hora illa, sed per totam noctem, ut muniat domum suam, eamque custodiat ac defendat ; quanto magis si sciret quidem ea nocte furem esse venturum, horam autem ignoraret ?... Atqui per noctem hujus vitæ, mors ut fur ventura est, diem autem et horam nescimus. Quapropter,
Matth. 24. *vigilate,* inquit Dominus, *quia nescitis diem neque horam*... imo *estote parati, quia qua hora non putatis,*
Luc. 12. *Filius hominis venturus est*...

Et quidem, nonne eo diligentius cogitandum quo magis progredimur ætate ?... An ego rei tam gravis memoriam

non amitto ?... An non vivo quasi mors mea valde longe abesset ?...

II P. COGITATIO SALUTARIS. — *Memorare novissima tua*, adeoque mortem tuam, *et in æternum non peccabis.* Eccli. 7. Quis in peccato manere possit, si recogitet mortem, ex qua pendet æternitas ?... O si memores essent mortis peccatores !... et justi !... Da mihi, Domine, semper mortis memorem vivere...

Cogitatio hæc erudit hominem : ideo mors vocatur *schola*... et, ut venerabilis vir Joannes Roothaan aiebat,est *lampas vitæ*.Nonne claritate sua dissipat illusiones,ostenditque vanitatem rerum terrenarum, quomodo sit *omnis caro fœnum, et omnis gloria ejus quasi flos agri?*...Vere *vanitas vanitatum*... Isaï. 40.

En jacet mortuus homo dives, doctus... *Mortuus est et dives*... Ubi nunc divitiæ ejus ? ubi gloria, scientia ejus ? Luc. 16.

Nonne docet mors quænam sint vera hominis bona, illa quæ non destruuntur interitu ?... Mors enim, juxta Apostolum, ignis est, consumens quæcumque carnalia sunt, iis vero quæ spiritualia sunt parcens.*Fundamentum positum est... Christus Jesus. Unusquisque autem videat quomodo superædificet. Si quis superædificat super fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretiosos, lignum, fœnum, stipulam... dies Domini declarabit : quia in igne revelabitur... si opus manserit, si opus arserit*... Si nunc ædificium meum mortis igne consumeretur, quid maneret ?... I Cor. 3.

Nonne docet mors quænam homo sit allaturus in æternitatem ex omnibus quæ habet in mundo ? nempe sola opera, sive bona, sive mala, nisi hæc posteriora prius expiet...

Cogitatio mortis virtutes generat : imprimis humilitatem. Memento *quia pulvis es*... Visita futurum sepulcrum tuum, vide residua ossa tua : ubi nunc tua magnitudo ?... — Dat prudentiam : quid fecisse gaudebo in mortis hora ?... — Dat fortitudinem : quid timerem, eras moriturus ?...

Cogitatio mortis stimulat fervorem. *Dum tempus habemus, operemur bonum*... — *Me oportet operari opera ejus qui misit me donec dies est; venit nox quando nemo* Galat. 6. Joan. 9.

Matth. 6. *potest operari... — Thesaurizate vobis thesauros in cœlo...* O sancta mortis memoria ! volo mihi semper menti affulgeas.

III P. COGITATIO MORTIS FACILIS NEC INJUCUNDA. — Memoria mortis ubique occurrit : in cœmeterio, in templo, in domo ipsa... præsertim sacerdotibus... Peculiari modo admonet nos imago mortis, cranium...

Non injucunda homini christiano. — Impio quidem terEccli. 41. ribilis apparet... homini autem mundano, amara. *O mors, quam amara est memoria tua homini pacem habenti in substantiis suis !...* Non sic homini christiano, cui mors est *somnus*, ex quo expergiscitur ad vitam novam... *nativitas*, ad secundam ac veram vitam... *liberatio* e carcere, solutis vinculis... *migratio* e domo in domum... *finis laboris* ac certaminis et hora mercedis... demum *janua paradisi*... Num sic vivo ut mortem hoc jucundo aspectu intueri possim ?...

In fine fiat oratio ad S. Joseph, ad B. Virginem et ad S. Barbaram, ut petatur gratia bonæ mortis.

De morte. Prævisio mortis meæ.

Pr. 1. Spectare diem obitus mei : quomodo jaceat corpus meum inanime, et dicant intra se circumstantes : Jam comparuit anima ejus ante tribunal Dei...

Pr. 2. Petere a Deo, ut diem mortis meæ semper in mente habeam.

De eventu futuro obitus mei, deque circumstantiis et adjunctis ejus, quæri possunt ac perpendi sequentia :

Hebr. 9. 1° An moriar ego ?... *Statutum est hominibus semel mori.* Itaque moriar certo... nec solummodo probabiliter, sicut miles, qui dicere potest : Forte non peribo in prælio... — Moriar ineluctabiliter... quicumque sim, dives, juvenis, robustus, peccator et imparatus... — Quid historia dicit et experientia ?... Quid oculis vides de strage mortis ?... An ergo non vivo quasi non essem moriturus ?... *Dispone*

domui tuæ, quia morieris tu, et non vives... Da mihi, Domine, ita me gerere quasi quotidie moriturus... Isaï. 38,

2° Quando moriar ? Sicut eventus certus in se, ita prorsus incerta hora, quæ quotidie supervenire potest... An eam quotidie exspecto ?... *Qua hora non putatis, Filius hominis veniet.* — Non tamen sine probabilitate, proximiore computatione finem meum determinare possum... Pauci sane mihi dies supersunt : tibi soli, Domine, eos impendere volo... Luc. 12.

3° Quoties moriar ?... Semel : *Statutum est hominibus semel mori.* Ergo mors unica, res decretoria est, *momentum unde pendet æternitas*... — Si bis mori daretur, quid possem facere ?... quid facerent qui male obierunt ?... Nunc autem unicam mortem bene obire, prorsus necessarium est... *Si ceciderit lignum ad austrum, aut ad aquilonem, in quocumque loco ceciderit ibi erit*... Eccl. 11.

4° Quomodo moriar, quod spectat circumstantias externas ?... Subitone an lente ?... Violenter an placide ?... Scienter... an ignoranter, et in illusione vel delirio ?.... Modus communior facile innotescit ex iis quæ videmus, a medici ingressu usque ad chartam piæ memoriæ... Quomodo in iis me geram, aut me gerere volo ?,.. An, sicut multi, illusionibus indulgebo, unice cogitans de recuperanda valetudine ?... Quomodo ab hujusmodi laqueo cavendum ?...

5° Quinam erunt effectus mortis meæ ? Quid mihi auferet ? Nonne quæcumque temporalia, sive bona, ut fortunam, delectamenta ; sive mala, ut ærumnas et labores ?... Quid mihi relinquet ? nonne opera mea, tum bona... tum mala, nisi hæc tempestive destruxero ?... Quid mihi afferet ? Quid mors instans et appropinquans dabit, nisi vel remorsus... vel consolationes ?... Quid mors peracta, nisi nonne vel cœlum, vel infernum, aut purgatorium ?... Quid hic prudentia suadet ?...

6° Qualis, interno oculo spectata, mors mea esse poterit ? Poterit esse mala, quæ est mors peccatoris... vel bona, nempe in gratia Dei, sed non sine onere debitorum... vel pretiosa, quæ est mors sanctorum, quorum anima ab omni debito liberata est et meritis onusta... *Moriatur anima mea morte justorum !* O Domine Jesu, per crucem et Num. 23.

mortem tuam, fiat, quæso, mors mea pretiosa in conspectu tuo...

7° Qualis debet esse mors hominis christiani?... et sacerdotis?... Nonne mors sacerdotis Domini debet esse
II Tim. 4. sancta, similis morti Pauli, dicentis : *Ego jam delibor, et tempus resolutionis meæ instat. Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi. In reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex...* — Nonne debet
Joan. 19. sacerdos mori sicut Christus, dicens : *Consummatum est?...*— et ita, ut ædificet fideles sancto suo exitu, spargatque bonum odorem Christi, sicut incensum, quod, ubi consumitur, præcipue bonum odorem diffundit?... — Ita
Hebr. XI. debet mori sacerdos ut *defunctus adhuc loquatur*... quod practice fiet, si fuerit in infirmitate patiens, in recipiendis sacramentis promptus, in testamento suo prudens... Nonne aliquando contrarium accidit?... Quid faciendum mihi ut a morte mala, aut dubia caveam?...

8° Qualem mortem meam esse vellem?...

9° Qualis erit?... Necessario vel prædestinati, vel reprobi... — Talis, qualis vita... Talis, qualem *volo*... non qualem *vellem*...

Quid statuendum est ut mortem pretiosam ac sanctam mihi certam faciam?...

Oratio finalis ad Beatam Virginem, ut me in magno negotio præparationis ad mortem adjuvare dignetur, et in hora mortis præcipua protectione custodire : *Sancta Maria, Mater Dei, ora pro nobis peccatoribus, nunc et in hora mortis nostræ. Amen.*

De morte. Veritates quatuor.

Pr. 1. Spectare corpus meum inanime, antequam terræ mandetur : quomodo expositum jaceat sacerdotalibus vestimentis indutum, quomodo illud aspiciant homines, orantes, cogitantes...

Pr. 2. Ut morts inevitabilem eventum semper in

mente habeam, ad eumque me quam sanctissime præparem.

Quatuor sunt circa mortem veritates meditandæ. I. Ego moriar; II. moriar semel; III. hora mortis meæ est incerta; IV. mors mea erit vel amara vel jucunda.

I P. EGO MORIAR. — Ego, quicumque sim, bonus, fervens, tepidus... magnus vel despectus... ego mortem subibo... Nihil certius : ille eventus, prorsus personalis, mihi accidet... nullo pacto averti aut effugi potest...

Moriar. Quid autem est mori ? Est relinquere, spoliari, separari, oblivioni dari... Quæ relinquam ?... Quibus rebus spoliabor ?.. Quid de his rebus fiet post meum obitum ?...

Separatio erit ab amicis... Separatio quoque corporis ab anima. Quid autem fiet de corpore ? Corpus deponetur in sepulchro consumendum... sepulchroque clauso, finitoque cantu funebri, erit silentium... oblivio mox omnimoda de sepulto... Quanta insipientia terrenis bonis adhærere, hominumque æstimationem vel laudes sectari !... perituris bonis non uti ante mortem ad merita comparanda !... propter corporis blandimenta aut fumum honoris, animæ detrimentum pati !...

Quæ vero sors erit animæ ? *Ibit homo in domum æternitatis suæ*... Quænam erit domus mea ?... Eccl. 12.

II P. MORIAR SEMEL. — Ab unica mea morte pendebit æternitas, bona vel mala... Necesse autem mihi prorsus est ut sit bona, et res in tuto ponatur... Quanta imprudentia, quanta dementia periculo male moriendi se exponere !...

Semel, non bis. Si bis mori daretur, quid facerent qui jam obierunt, ii qui reprobi sunt ?... et ii qui salvi ?... Quid possent facere et dicere qui adhuc vivunt ?... Quid ego peccator, homo tepidus, facere possem ?... Nunc autem non nisi semel... et semel periisse æternum est...

III P. HORA INCERTA. — *Vos estote parati*, inquit Dominus, *quia nescitis diem neque horam*... Omni anno, omni die, omni hora Filius hominis venire potest : oportet ergo ut omni hora paratus inveniar... Matth. 25.

Quis autem est paratus, quis imparatus ?...

Quis male, bene, perfecte paratus ?...

Quo in statu ego ipse me habeo ?...

IV P. MORS MEA ERIT VEL AMARA VEL JUCUNDA. — Amara, si rebus terrenis adhæreo... si absque merito relinquere cogar, quæ multo merito deponere ac distribuere potuissem... si tepide vixero... si peccata non expiavero...

Jucunda erit mors, si bene me præparavero, si ferventer vixero, si strenue pro Christo et animabus laboravero...

Concede mihi, Deus meus, ita vivere, ita officia mea cuncta perseveranter obire, ita bonum certamen certare, ut cum Apostolo dicere possim : *Tempus resolutionis meæ instat : bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi : in reliquo reposita est mihi corona justitiæ.*

II Tim. 4.

De morte. Præparatio ad mortem.

Pr. 1. *Vigilate... estote parati : quia qua nescitis hora Filius hominis venturus est.* Matth. XXIV, 44.

Pr. 2. Petere ut rite intelligam quomodo debeam me ad mortem præparare, et ut præparationem hanc perficiam constanter.

I. Præparationis necessitas. II. Præparatio remota. III. Præparatio proxima.

I. PRÆPARATIONIS AD MORTEM NECESSITAS. — Hæc necessitas patet ex gravissimis verbis Domini : *Estote*, inquit, *parati... Vigilate itaque, quia nescitis diem neque horam... — Sint lumbi vestri præcincti et lucernæ ardentes in manibus vestris ; et vos similes hominibus exspectantibus dominum suum quando revertatur a nuptiis : ut, cum venerit et pulsaverit, confestim aperiant ei. Beati servi illi, quos cum venerit dominus, inveneril vigilantes... — Videte, vigilate et orate... ne, cum venerit repente, inveniat vos dormientes...*

Matth. 24. 25. Luc. 12. Marc. 13.

Terribile erit, imparatum incidere in manus Dei viventis. *Si dixerit malus servus ille in corde suo : Moram facit dominus meus venire ; et cœperit percutere conservos*

Matth. 24.

suos, manducet autem et bibat cum ebriosis; veniet dominus servi illius in die qua non sperat, et hora qua ignorat, et dividet eum, partemque ejus ponet cum hypocritis : illic erit fletus et stridor dentium... O sancte angele custos, sancte Joseph, Beatissima Virgo, orate pro me, avertite a me tantum malum... adeste mihi nunc et in hora mortis meæ...

Prudentia imperat ut ad rem gravem homo se præparet. Qui vult bellum gerere, exercitum congregat ; qui iter facturus est, præsertim longinquum, ad illud res necessarias sibi providet... Atqui iter ad æternitatem unicuique faciendum est...

Qui præparare se negligit, vel differt de die in diem... imparatus perveniet ad finem vitæ... An huic periculo me non expono ?...

Nonne ad me spectant hæc Domini verba ? *Attendite vobis, ne forte graventur corda vestra in crapula et ebrietate et curis hujus vitæ, et superveniat in vos repentina dies illa. — Tanquam laqueus enim superveniet in omnes qui sedent super faciem terræ. — Vigilate itaque, omni tempore orantes, ut digni habeamini fugere ista omnia quæ futura sunt, et stare ante Filium hominis*... Luc. 21.

An ita me paratum sentio, ut, si nunc esset moriendum, securus existerem?... Quid hic oratione petendum ?...

II. PRÆPARATIO REMOTA. — Tota hominis christiani vita debet esse præparatio ad mortem, seu, ut Evangelium loquitur, ad adventum Domini : quæ præparatio *remota* dicitur... Quapropter Christus significat, discipulos suos esse homines tota vita sua *exspectantes dominum suum*... An ita vitam meam perago?...

Quapropter *sint lumbi*, inquit, *præcincti et lucernæ ardentes in manibus :* id est, coercete prava desideria, et expedite vos ab omni impedimento peccati, simulque opera lucis operamini : ut sinistra manus sit vacua, dextera autem plena meritis ?...

In particulari, præparatio ad mortem fieri poterit, disponendo res meas omnes, non sine testamento, rite ac secure confecto... et præsertim disponendo conscientiam meam, quasi ad comparendum coram Christo, 1° singulis annis,

in secessu annuo ; 2° singulis mensibus, in recollectione menstrua ; 3° singulis hebdomadis, ubi recipio sacramentum pœnitentiæ; 4° quotidie, in oratione matutina et vespertina... An hujusmodi præparationes ad mortem adhibeo ?...

III. PRÆPARATIO PROXIMA.— *Quandonam* proxime præparare me ad moriendum oportet? Id facere debeo ubi supervenit mihi morbus quilibet, qui serius videtur et sequelas graves habere possit... Hic autem, in dubio, nonne pejor opinio sequenda, siquidem probabilismo uti non licet cum periculo tanti dàmni ?... Nonne mihi cavendum maxime ab illusione valetudinis recuperandæ, qua decipiuntur tam multi?... Quid faciam ut non simile quid mihi accidat?...

Senectus autem, incipiens passim ab anno sexagesimo, nonne ipsa pro morbo habenda est ?... Nonne tunc se quisque considerare debet et disponere quasi brevi moriturus? *Dispone domui tuæ, quia morieris tu et non vives...* Isaï. 38.

Quomodo me disponere debeo?... Adventans immolatio mea de manu Domini est acceptanda, in unione cum morte Domini... Dein morbum debeo sanctificare per patientiam, aspiciendo Jesum crucifixum... Sacramenta tempestive, imo quam primum recipere...Demum exspectare sponsum, removendo quidquid profanum est, exemplo S. Martini dicentis : *Sinite me cœlum potius quam terram aspicere, ut suo jam itinere iturus ad Dominum spiritus dirigatur...*

O Beatissima Virgo ne derelinquas me : *Maria mater gratiæ, mater misericordiæ : tu nos ab hoste protege, et hora mortis suscipe !...*

De æternitate. Æternitatis cogitatio, notio.

Pr. 1. *Cogitavi dies antiquos, et annos æternos in mente habui.* Psalm. 76.

Pr. 2. Petere ut aliquatenus intelligam quid sit æternitas, et æternitatem semper in meis actionibus aspiciam.

I. Cogitatio æternitatis. II. Ejusdem notio.

I P. ÆTERNITATIS COGITATIO. — Cur de æternitate cogitandum? Quia id monet nos Spiritus sanctus, per os David loquens et nobis repetere suggerens : *Cogitavi dies antiquos, et annos æternos in mente habui...* Ps. 76.

S. Paulus æternitatem considerare nos docet, dum scribit : *Id quod in præsenti est momentaneum et leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis; non contemplantibus nobis quæ videntur, sed quæ non videntur. Quæ enim videntur temporalia sunt, quæ autem non videntur, æterna sunt...* O sancte Paule apostole, ora pro me, ut semper mihi ob oculos versetur æternitas... in omnibus æternitatem aspiciam, et in omnibus dicam : *Quid hoc ad æternitatem?...* II Cor. 4.

Cogitatio æternitatis salutaris est, qua mens a fluxis rebus abstrahitur et ad Deum elevatur...

Ut de æternitate cogitemus suadent exempla Sanctorum.

S. Teresia in solitudine cellulæ suæ exclamabat interdum : O æternitas! æternitas!... et hac cogitatione vehementer ad Dei cultum accendebatur...

Discipulo suo de vita eremitica pertæso suasit unus e sanctis Patribus in deserto, ut in cella sua meditaretur de æternitate... de æterna vita, de æterna morte... Quod fuit remedium efficax...

S. Antonius in deserto discipulos hortabatur, ut semper haberent præ oculis æterna illa gaudia, quæ per pœnitentiam paucorum annorum consequerentur...

Juvenis quidam dives et mundi jucunditatibus deditus, cum aliquando de brevitate vitæ et æternitatis duratione cogitaret, hæc secum statuit : si propter triginta annos in labore gravi transigendos, promitterentur mihi quinquaginta anni vitæ jucundissimæ : tam faustam conditionem utique acceptare deberem... quanto magis nunc brevi labore, dolore, gravamine momentaneo felicitatem debeo mihi comparare æternam?...

O anima mea, mox intrabis in domum æternitatis tuæ... an de æterna hac vita frequenter cogitas?...

II P. ÆTERNITATIS NOTIO. — Æternitas, *si spectetur in abstracto,* est duratio infinita, immobilis, prorsus

differens a tempore... quod mobile est, transitorium, breve...

Duratio *infinita* plus est quam diuturna, quam longissima... Pone centum annos, mille annos, sex vel decem millia annorum... tot millia annorum quot gramina super terram, quot guttulæ in oceano... Duratio hæc utique longissima est ; non tamen æterna, quia finita : et vocatur tempus...

Horologium fecit quidam artifex, quod indicaret annos et sæcula, atque ita paratum ut, dummodo libramenta revolverentur, continuaret indicare seriem centum et triginta millium annorum... Longum utique spatium, sed finitum, adeoque non æternum... Nonne igitur pro illa perpetua æternitate debeo mihi providere ?... Quomodo id ago?...

Æternitas est *immobilis*... tempus vero duratio mobilis. Tempus enim movetur sicut rotantia sidera... sicut alternantes perpetuo dies ac noctes... Æternitas autem est sol immobilis, dies absque vespera... vel, sole extincto, nox absque mane.. — Nox tibi vel dies æterna erit, anima mea, prout elegeris...

Tempus transit sicut aqua fluminis... æternitas stat sicut rupes in littore... — Tempus simile horologio, quod per momenta decurrens, successive horas indicat ; æternitas est horologium fixum, indice immobili ostendens, hinc *semper*, inde *nunquam*... semper luctus, nunquam gaudium... vel e contra...

Æternitas est abyssus inscrutabilis, qui, ut aiebat Simonides philosophus, quo magis cogitatione mensuratur, tanto profundior invenitur...

Tempus est via qua transitur, vel potius vehiculum quod nunquam sistit... æternitas domus in qua manetur... quæ portam habet ad intrandum, nullam vero ad exeundum... O æternitas, o perpetua, immutabilis, omnique fine carens æternitas !...

Duplex est domus æternitatis : domus gaudii et domus
Eccl. 12. luctus æterni... *Ibit homo in domum æternitatis suæ*.... dicitur *suæ*, quia quisque suam eligere et parare debet. Quamnam ego mihi hactenus paravi ?... quam in posterum parabo ?...

O æternitas ! æternitas ! in cujus limine sedeo, quæque

mihi quotidie potest aperiri... o æternitas inevitabilis, quæ unicuique appropinquat... o æternitas, quam tam parum recogitant mortales, insensati !... An ego tantæ veritatis immemor ero ?... Ne sinas, Domine Jesu, me hujusce insaniæ participem fieri...

De æternitate. Æternitatis notio

CONTINUATUR.

Pr. 1. *Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam.* Joan. VI, 27.

Pr. 2. Petere ut intelligam nihil esse solidum nisi quod æternum, utquè unice ad æterna bona aspirem.

Æternitas in concreto spectata non alia res est quam entia æterna, quæ finem non habebunt, semper manebunt, atque prorsus differunt a temporalibus quæ finiuntur et transeunt.

Jam vero entia æterna vel sunt I. personæ, II. vel bona, III. vel mala.

I. P. PERSONÆ. — Quænam sunt personæ æternæ ? Imprimis ipse Deus, deinde angeli, ac demum homines ratione animæ, qua præditi sunt... Propterea dicuntur immortales... Alio tamen modo Deus, alio angeli, alio homines immortales sunt et æterni...

De æternitate Dei sic Paulus: *Tu in principio, Domine, terram fundasti, et opera manuum tuarum sunt cœli. Ipsi peribunt : tu autem permanebis ; et omnes ut vestimentum veterascent, et velut amictum mutabis eos et mutabuntur : tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient...* Deus a sæculo et usque in sæculum, neque initium neque finem habens... O Deus æterne ! immensæ majestatis ! *a sæculo et usque in sæculum tu es Deus !...* Hebr. 1. et Ps. 101. Psalm. 89.

Angeli autem, tam boni quam mali... initium habent, finem non habebunt...

Homo initium habet, finem quoque habebit, sed finem transitorium, quoad corpus... Ad animam autem quod pertinet, finem non habebit... imo totus homo immortalis erit post resurrectionem... *Non moriar, sed vivam...* Psalm. 117.

Marc. 9. Has fidei veritates an credo fide vivida?... *Credo, Domine: adjuva incredulitatem meam...*

II P. BONA — Æterna bona spiritualia bona sunt, nimirum ipse Deus, vita æterna in cœlo, et quæcumque ad Deum atque ad animam pertinent in terra.

Deus nonne bonum æternum est, summum bonum?... *Deus meus et omnia!*

Vita æterna nobis a Deo promissa, quid est nisi cœlum
Psalm.121. cum omnibus suis gaudiis?... *Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi: in domum Domini ibimus.*

Æterna quoque bona sunt in terra, quæ ad Deum et ad animam pertinent: nempe gratia sanctificans... virtutes et bona opera... quæ æterna sunt, saltem in suo fructu:
Joan.15.6. *Ut fructus vester maneat... — Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam.*

Hæc æterna dicuntur *in fructu:* quia gratia sanctificans est semen gloriæ... virtutes et bona opera semen sunt mercedis æternæ...

Hæc æterna dicuntur *saltem* in fructu, quæ est gloria cælestis... — Gratia vero sanctificans vocatur jam vita æterna nunc, in animabus nostris existens: scilicet vita æterna inchoata, et in cœlo consummanda. Similis enim est semini divino, quod in tempore crescens, in æterni-
1 Joan. 3. tate florescet in gloriam... *Quoniam semen Dei in eo*, in homine justo, *manet*. — Datur quoque virtus una, nempe charitas, quæ numquam excidit, neque in gloria evanescet,
I Cor. 13. sed immensum augebitur et fiet perfecta... *Charitas nunquam excidit...*

Æterna bona distinguuntur a temporalibus... quæ sunt corpus, et quæcumque ad corpus pertinent... Hæc in Scriptura vocantur *caro*... Voce namque *carnis* designatur homo, in hac terra positus, ejus fortuna, voluptates, gloria, necnon opera manuum ejus corporalia... Omnia ista mortalia
Isaï. 40. sunt, fragilia, caduca... marcescibilia... ideoque dicuntur fœnum, herba, flos agri: *Omnis caro fœnum, et omnis gloria ejus quasi flos agri...*

Ex his bonis quænam vera sunt?... Quænam æstimo, persequor?...

O Domine, verte mihi in nauseam temporalia bona, ut unice concupiscam quæ æterna sunt...

III P. MALA. — Æterna mala sunt similiter spiritualia : nimirum, æterna mors, seu damnatio, post hanc vitam... et quæcumque in præsenti vita ad damnationem ducunt, nempe peccata... Hæc ultima æterna sunt in suo effectu et fructu...

Quinam enim est effectus peccatorum ? Nonne inducunt in animam horribilem fœditatem, quæ, nisi per pœnitentiam tollatur, in æternum manebit ?... — Et quis est peccati fructus ? Nonne damnatio æterna cum suppliciis suis pariter æternis ?... *Stipendia peccati mors...* Rom. 6.

Æterna mala distinguuntur a temporalibus, quæ sunt : fames, sitis, egestas, injuriæ, contumeliæ, infirmitates, et mortalitas ; seu quælibet corporalis privatio, dolor et mors... Hæc mala temporalia, non tantum transitoria sunt et momentanea, sed converti possunt in bona æterna : *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum...* Rom. 8.

Ex his malis quænam vera sunt ?... Quænam ego formido et fugio ?...

Fac Domine Jesu, ut non timeam nisi ea mala quæ vere timenda sunt, quia æterna; illudque verbum tuum alte meo animo imprime : *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere : sed potius timete eum, qui potest et animam et corpus perdere in gehennam.* Matth. 10.

De æternitate. Æternitatis cura.

Pr. 1. *Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam.* Joan. VI, 27.

Pr. 2. Ut practice intelligam præcipuam meam curam impendendam esse Dei servitio, et iis quæ æterna sunt.

Quoniam certissime manet nos æternitas, in quam brevi introibimus, curandum sane est ut bonam ibi mansionem nobis præparemus. Jam vero I. quanta cura hæc, II. qualis esse debet?

I P. QUANTA ÆTERNITATIS CURA ? — Quoniam agitur de bonis æternis... ac summis... summa debet esse cura :

ut æternitatem nostram nullo unquam periculo exponamus... ut nulla negligamus media quibus æterna bona consequamur... Ubi de æterna mea sorte agitur, quodnam sacrificium nimis grave esse posset?... aut quid in mundo tam pretiosum propter quod æternam meam salutem periculo exponere vellem?...

Eo major hæc cura esse debet, quod, ubi semel æternitatem fuerimus ingressi, nihil unquam poterimus immutare, sive ad minuenda mala in inferno, vel in purgatorio... sive ad augenda bona et fructus meritorum in paradiso...

Apoc. 10. Galat. 6. *Quia tempus non erit amplius... — Ergo dum tempus habemus, operemur bonum,..*

Æternitatis cura debet esse præcipua, rerum vero temporalium secundaria. Oportet, ait Kempensis, *ut exemptus sis verusque Hebræus, in sortem ac libertatem transiens filiorum Dei : qui stant super præsentia, et speculantur æterna; qui transitoria sinistro intuentur oculo, et dextro cœlestia...*

Lib. 3, cap. 38.

Ne rerum temporalium nimia sollicitudo impediat primariam curam æternarum, magna opus est fiducia in Deo respectu sustentationis corporalis : *Quærite*, inquit Dominus, *primum regnum Dei et justitiam ejus, et hæc omnia adjicientur vobis...*

Matth. 6.

An præcipua mea cura est æternitatis meæ?... secundaria vero rerum quæ ad corpus spectant?... Aperi, quæso, Domine, oculos meos, ut videam sub externa specie rerum temporalium vanitatem et pulverem sepulcri...

II P. QUALIS CURA? — Si practice spectetur, cura rerum æternarum mihi esse debet continua. In omnibus inquirendo, cum sancto Aloysio : *Quid hoc ad æternitatem?...* In omnibus operibus laborando intuitu æternitatis, juxta exemplum pictoris, qui dicebat : *Æternitati pingo...* Æstimando perditum quidquid ad æternitatem non valet et oculis Dei est inane. Ita censebat S. Barlaam septuagenarius, qui dicebat se quadraginta tantum annos vixisse, quia triginta consumpserat in vanitatibus sæculi...

Cura debet esse cauta et prudens : oportet nos, ut Ecclesia monet, sic transire per bona temporalia, ut non amittamus æterna...

Quapropter vitandum quidquid ducit ad malam æterni-

tatem... quidquid æternum luctum generabit... Cujusmodi sunt quæcumque vana, ac multo magis quæcumque peccaminosa... *Secundum duritiam tuam et impœnitens cor, thesaurizas tibi iram in die iræ et revelationis justi judicii Dei...* Rom. 2.

Quid autem agendum? Expianda peccata... et colligenda merita et quidem sine mora. *Dum tempus habemus operemur bonum... Thesaurizate vobis thesauros in cœlo...* Galat. 6. Matth. 6.

Seminandum nunc in tempore, quod volumus metere in æternitate. *Quæ seminaverit homo, hæc et metet. Quoniam qui seminat in carne sua, de carne et metet corruptionem : qui autem seminat in spiritu, de spiritu metet vitam æternam... — Qui parce seminat, parce et metet ; et qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus et metet...* Galat. 6. II Cor. 6.

Beati qui nunc laborant, qui cum Christo, cum Apostolis omnibusque sanctis, seminant in tribulationibus et patientia ! Mox enim tristitia vertetur in gaudium... *Euntes ibant et flebant, mittentes semina sua... Venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos suos...* Ps. 125.

An sic ego curo assidue expiare debita, et merita colligere æternitati ?... Nonne differo de die in diem, moras nexurus usque ad mortem ?...

Absit, Domine Deus, ut manibus vacuis perveniam ad æternitatem !... Multoque magis absit ut tunc in manibus meis iniquitates sint... Da ergo mihi tempestive providere, ac sine mora, ne tantum malum incurram.

De misericordia.

Pr. I. *Suavis Dominus universis : et miserationes ejus super omnia opera ejus.* Psalm. 144.

Pr. 2. Ut intime cognoscam misericordiam ineffabilem Dei, eaque movear ad magis deflenda, detestanda et expianda peccata mea.

Spectanda misericordia Dei, I. manifestata in vetere Testamento, II. manifestata in novo Testamento, III. exhibita mihimetipsi.

I P. IN VETERE TESTAMENTO. — Quam frequentissime Spiritus sanctus proclamat misericordiam Dei erga peccatores, quos omnes ad pœnitentiam vocat. *Vivo ego, dicit Dominus : nolo mortem impii, sed ut convertatur impius a via sua et vivat... Convertimini, convertimini a viis vestris pessimis : et quare moriemini, domus Israël ?...*

Ezech. 33.

Ibid. *Si egerit impius pœnitentiam a peccato suo... vita vivet et non morietur...*

Isai. 1. *Quærite judicium... et si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur...*

Nonne David, gravissimorum peccatorum reus, ex animo dicens : *Peccavi Domino !* illico ex ore Nathan prophetæ audire meruit : *Dominus quoque transtulit peccatum tuum ?...*

Reg. 12.

Quapropter sanctus ille rex, non cessat divinam misericordiam prædicare : *Misericordias Domini,* inquit, *in æternum cantabo...— Benedic anima mea Domino, qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis... Quomodo miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se, quoniam ipse cognovit figmentum nostrum...*

Psalm 88.

Psalm. 102.

Nonne cum omni fiducia ad Patrem tam bonum accedere debeo ?... Nonne summopere dolere quod tantam bonitatem offenderim ?...

II. P. IN NOVO TESTAMENTO. — Nonne multo adhuc magis misericordiam spirat Evangelium Jesu Christi ? Nonne ipsum nomem *Jesu* misericordiam sonat ?... *Vocabis nomen ejus Jesum : ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum...*

Matth. 1.

Nonne omnia filii Dei verba misericordiam enuntiant ?.. *Venit enim filius hominis quærere et salvum facere quod perierat...*

Luc. 19.

Considera, anima mea, parabolam de ove perdita... de drachma perdita... de filio prodigo... de publicano pœnitente... et vide quomodo Dominus semetipsum depingat quærentem, amplectentem peccatores...

Considera quantam exhibeat misericordiam erga Magdalenam... erga mulierem adulteram... erga Petrum, a quo

ter negatus... erga bonum latronem, cui in cruce dicit : *Amen dico tibi : hodie mecum eris in paradiso*... erga Paulum persecutorem Ecclesiæ, quem assumpsit in vas electionis... erga Augustinum, tam misere aberrantem, quem fecit Ecclesiæ suæ lumen... Luc. 23.

Quis ergo peccator, quamvis ingratus, desperet ? Nonne omni fiducia ad misericordissimum Patrem veniendum ? *Venite ad me omnes*... O Domine, *propter nomen tuum propitiaberis peccato meo : multum est enim*... Psalm. 24

III P. IN ME IPSO. — *Quia misericordia tua*, Domine, *magna est super me : et eruisti animam meam ex inferno inferiori*... Psalm. 85.

Nonne Dominus speciali misericordia vocavit me... conservavit... et adduxit ad sacerdotium... et peccatorum meorum oblitus, me amicum suum appellavit : *Jam non dicam vos servos*...

Quod si in sacerdotio adhuc peccavi, sicut Petrus... dummodo sicut Petrus peccatum amare defleam, misericordiam non denegabit. *Venite*, inquit, *ad me omnes*... non excludo sacerdotem meum, prout in Petro volui manifestare.

O Domine ! ego misericordia tua indignus sum nimis : sacerdos tuus, tot gratiis cumulatus, tot obligationibus tibi obstrictus ; ego ingratus a te recessi, te dereliqui... — Dereliquisti me, fili mi, sed culpæ te pœnitet : ego autem cor contritum et humiliatum non despicio...

Sed reus factus sum, Domine, peccati gravissimi, totiesque repetiti... oculis tuis abominabilis sicut Judas proditor, sacrilegus, reus corporis et sanguinis tui... nec jam dignus vocari sacerdos tuus... — At, fili mi, si misere imitatus es Judam, nonne per pœnitentiam factus es Petrus ?... Propter lacrymas tuas et cor humiliatum, misericordia mea dignus es : *Vivo ego : nolo mortem impii*, quicumque hic fuerit, *sed ut convertatur et vivat*... Ezech. 33.

O ineffabilis bonitas, o infinita misericordia Domini Dei mei ! *Quoniam apud te misericordia, et copiosa apud te redemptio : tu redimis Israël ex omnibus iniquitatibus ejus*... Quia si iniquitas mea abyssus profunda, profundior abyssus est misericordia tua... In hanc misericordiæ abyssum me conjiciens salvus ero : *Misericordias Domini in æternum cantabo.* Psalm. 129. Psalm. 88.

De filio prodigo.

Pr. 1. In memoriam vocetur parabola filii prodigi, et spectetur pater optimus amplectens cum lacrymis gaudii filium pœnitentem.

Pr. 2. Ut bene et cum fructu intelligam sensum parabolæ, et me semper gerere satagam sicut prodigum reversum, erga benignissimum Patrem.

I. Prodigi discessio a patre. II. Ejus reversio. III. Ejus deinceps gratitudo perennis.

I P. DISCESSIO. — Nonne hæc discessio ingrati filii ab optimo patre, ejusque subsequens abjectio ac servitus, imaginem mei refert et historiam?... Pater ille nobilis, qui tenerrime amavit filium, ei multa bona contulit, majoraque præparavit... nonne Pater cœlestis est, qui magnificentius egit erga me, adoptivum filium Dei... sacerdotem... *Filios enutrivi et exaltavi : ipsi vero spreverunt me...*

Isaï. 1.

Filius scilicet iste ingratus et insipiens aurem præbuit seductori... et volens perperam libertate frui absque obedientiæ tutela, spretis paternis monitis ac lacrymis... abit in regionem longinquam, ubi *vivendo luxuriose* omnia sua perdit ac maculat... Nonne ita ego, discedens ab obedientia Domini, maculavi vestem meam candidam... et sacerdotii dignitatem?... *Peccavi, Pater, in cœlum et coram te...*

Luc. 15.

At mox peccator, ipsa libertate spoliatus, mancipium factus, cupit implere ventrem suum de siliquis porcorum... Eo decidit filius Principis!.. *Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus?... Filii Sion inclyti, et amicti auro primo, quomodo reputati sunt in vasa testea, opus manuum figuli?.. Qui nutriebantur in croceis, amplexati sunt stercora...*

Thren. 4.

En imago, sed imperfecta valde, vilitatis meæ, filii Dei ac sacerdotis, qui per peccatum mancipium factus sum diaboli, et subditus jugo cupiditatum...

O Domine, aperi mihi oculos, ut abyssum miseriæ meæ

inspiciam... *Peccavi, Pater, in cœlum et coram te : jam non sum dignus...*

II P. REVERSIO. — Reditus filii pœnitentis exemplar mihi exhibet veræ conversionis ; et ejus receptio a benignissimo patre misericordiam Domini manifestat. Quomodo enim filius peccator humiliatur et conteritur corde?...Nonne veram ostendit contritionem, quæ *dolorem continet de peccato commisso cum proposito firmo ac efficaci non peccandi de cætero?...* Ex animo enim dolet de peccato gravissimo, quod commisit contra Deum et patrem, ac sine excusatione accusat semetipsum... Propositum autem habet surgendi et revertendi a via sua pessima, propositum, inquam, absolutum et efficacissimum, etsi executio difficillima videtur. *Surgam et ibo ad patrem...* At quomodo evades e servitute illa et effugies manus custodum, qui occident te ?... Quomodo præ fame moriens, longum iter perficies ?... Quomodo apparebis contemptibili aspectu oculis concivium ?... Nescio, inquit, quomodo id possibile mihi futurum sit ; sed Deus novit, et in Deo confidens, *surgam et ibo...* Et vere *surgens venit ad patrem suum...* sane divinitus adjutus... O Domine, da mihi similiter cor vere contritum et humiliatum...

Quomodo autem excipitur a patre ? En, videt eum pater a longe, quia exspectat reditum filii quem aberrantem corde secutus est... Videns autem filium indignum, qui opprobrium factus est nominis sui, non indignatur, sed misericordia motus, resipiscenti ac pœnitenti occurrit... *Et accurrens cecidit super collum ejus, et osculatus est eum,* nedum objurgationibus humiliet... non loquens nisi lacrymis et amplexibus... An ita revera me, miserum peccatorem, Christus Dominus amplectitur ?... Vix audeo credere Domine, et tamen tu ipse affirmas... imo longe majorem mihi misericordiam exhibuisti...

Filius autem pœnitens confitetur peccata sua... necdum cessavit loqui, cum pater optimus, audiens eum dicentem se non *esse dignum vocari filium,* eum filium suum appellat et in pristinam dignitatem restituit... idque cum gaudio et exultatione : *Quia hic, filius meus,* inquit, *perierat et inventus est...*

O misericordia ineffabilis ! Credo, Domine... Sed quid retribuam ?

III P. GRATITUDO PERENNIS. — Nonne filius iste erga optimum patrem gratitudinem servabit indeficientem ?... imprimis gratitudinem cordis, nunquam obliviscendo suæ aberrationis præteritæ... nec patris erga se benignitatis ?...

Deinde nonne gratitudinem exhibebit etiam opere ?... Nunquam sane in posterum aurem dabit seductori ut a paterna domo digrediatur... constanter manebit serviens patri in omni humilitate et amore, paratus vitam pro ipso sacrificare, quod sacrificium tanquam maximum ipsi gaudium foret...

Perpetuo manebit animo ejus impressus ille sensus humilitatis et amoris : O pater ! non sum dignus esse mercenarius in domo tua... et recipis me in filium !...

Fiat oratio ad Jesum, et petatur sensus ille filii prodigi respectu misericordissimi Salvatoris.

De pœnitentia.

1 Pr. *Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum.* Matth. IV, 17.

2 Pr. Intelligere necessitatem pœnitentiæ, et hanc semper virtutem colere ut sacerdotem decet.

I. Pœnitentiæ christianæ necessitas, II. natura, III. praxis.

Luc. 13. I P. NECESSITAS. — *Si pœnitentiam non egeritis, omnes similiter peribitis...*

Pœnitentia necessaria est omnibus christianis. Nonne omnes sunt peccatores ?... Nonne omnes ad salutem tendere debent ea via, quam Christus monstravit doctrina : *Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum...* ea, inquam, via quam etiam vestigiis signavit ?... — Nonne omnes christiani religionem divini Magistri sui, qualem ipse instituit acceptare debent et colere ? Jam vero eam instituit Christus Dominus ut expiationem, cujus symbolum est *crux*, altare expiatorium, in quo ipse immolatus est... — Nonne omnes christiani participes esse debent conditionis Magistri, qui fuit victima expiationis ?... *Non*

est discipulus super magistrum .. Domine Jesu, qui tam amare deflevisti peccata mea in horto Olivarum, eaque tam acerbe expiasti in cruce, da mihi spiritum pœnitentiæ... Matth. 10.

Quod si omnibus passim fidelibus pœnitentia est colenda, quanto magis sacerdotibus ?... Quomodo serio et cum fructu potero pœnitentiam prædicare, si ipse non ago ?.. Nonne in hoc, ut in cæteris, debeo exemplum dare ?... Nonne, ut sacerdos, magis teneor conformis esse Christo patienti ?... Imo, nonne sicut Christus, sacerdos summus, debeo aliorum peccata expiare ?... Nonne et in hac parte imitanda mihi sunt exempla Sanctorum, Caroli, Salesii, venerabilis Vianney ?. . O sancti sacerdotes, sancti pœnitentes, intercedite pro me...

Deinde melius sane est pœnitentiam agere in hac vita, quam agendam relinquere in futura. « Melius est modo « purgare peccata, et vitia resecare, quam in futuro pur- « ganda relinquere... nam ibi una hora gravior in pœna, « quam hic centum anni in gravissima pœnitentia... » Quamnam ego pœnitentiam hactenus egi ?... Nonne aliquid in hoc genere ex mea parte desideratur ?... Kemp. I, 24.

II P. NATURA. — Pœnitentia christiana, quam hic accipimus pro virtute, non sacramento, duplex est : interna et externa, utraque necessaria...

Pœnitentia interna est dolor animi, ac detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero... An hujusmodi pœnitentiæ actum frequenter elicio ?... An peto a Deo salutarem hunc dolorem de peccatis, *cor contritum et humiliatum* quod a Domino non despicitur ?... Ps. 50.

Hujusmodi pœnitentia interna seu contritio, si habitualis fuerit, est spiritus compunctionis, cujus exemplum exhibet propheta David : *Peccatum meum contra me est semper*... et S. Petrus, qui flevit amare per totam vitam suam... An ego hæc exempla imitor ?... An in spiritu compunctionis confessionem facio et pectus percutio ad pedem altaris ?... Ps. 50.

Pœnitentia externa ab interna procedit, si hæc fuerit vera... Est autem voluntaria susceptio operum pœnalium, ut expientur peccata et satisfiat divinæ justitiæ... nec non, ut vitia et passiones reprimantur... item, ut corroboretur vis

orationis, et facilius impetrentur a Deo gratiæ postulatæ.
Tob. 12. *Bona est oratio cum jejunio...*

Quælibet autem opera bona in spiritu pœnitentiæ suscipi possunt, et uniri cum satisfactionibus Christi...

An pœnitentiam externam cum interna conjungo ?... Quid mihi in praxi faciendum ? Quænam hic negligentia deflenda ? quæ gratia postulanda ?

III P. PRAXIS. — Qualis mea pœnitentia esse debet, nominatim externa ?... Nonne debet esse proportionata
Matth. 3. delictis meis ? *Facite fructum dignum pœnitentiæ...*
I Cor. 9. proportianata quoque passionibus edomandis. *Castigo corpus meum et in servitutem redigo, ne forte cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar...*

An imprimis stricte servo mandata pœnitentialia Ecclesiæ, nempe jejunia, et a subditis servanda curo ?...

An quædam supererogatoria superaddo, sive jejunia, sive vigilias, sive flagellationes, sive chameunias ?...

An in spiritu pœnitentiæ accepto afflictiones a Deo, laboresve a superioribus mihi impositos ?... nec non incommoda, cum status mei obligationibus conjuncta ?...

An quidpiam mortificationis mihi impono in cibo et potu, in somno et carnis commoditatibus ?...

Quid in hora mortis in hoc genere me fecisse juvabit ?....

Quodnam propositum formandum ?...

O Domine Jesu, pro me laborans, jejunans, pro me flagellatus, spinis coronatus, crucifixus... quomodo possem discipulus tuus, sacerdos tuus vocari, si nihil pœnitentiæ assumere velim... nec ullatenus expiationum tuarum fieri particeps ?... Da mihi, quæso, ita vivere ut cum Paulo di-
Coloss. 1. cere possim : *Adimpleo ea quæ desunt passionum Christi, in carne mea pro corpore ejus, quod est Ecclesia.*

De confessione sacramentali.

Pr. 1. *Samaritanus videns eum, misericordia motus est, et appropians alligavit vulnera ejus, infundens oleum et vinum.* Luc. x, 34.

Pr. 2. Ut rite intelligam quam pretiosum mihi sit sacramentum pœnitentiæ, eoque semper utar quam sanctissime.

I. Pretium et efficacia sacramenti pœnitentiæ. II. Ejusdem usus, III. administratio respectu sacerdotum.

I P. PRETIUM ET EFFICACIA. — Sicut sacramentum pœnitentiæ omnibus passim fidelibus magnum est medium salutis, ita et sacerdotibus præcipuum existit vitæ spiritualis subsidium : medicamen scilicet pro peccatis, munimen contra relapsus, et solamen in angustiis animæ... imo principium spiritualis directionis et profectus... dummodo recte, juxta mentem divini Institutoris adhibeatur... Da mihi, Domine Jesu, hoc salubri sacramento semper uti secundum divinam intentionem qua illud instituere dignatus es...

Quicumque igitur rite hoc medium salutis adhibet sacerdos, in tuto erit et progredietur in spiritu... Efficacia enim ex parte sacramenti deesse nequit...

Quod si minus tam salutares fructus percipio, nonne impedimentum obstat ex parte mea?... Quanta est mea æstimatio hujusce sacramenti?... quis meus usus?... Gratias tibi ago, Domine, pro instituto hoc sacramento pretiosissimo... da mihi eodem semper uti cum plenitudine fructus.

II P. USUS. — An utor hoc divino medicamine frequenter?... Puritatis causa, quæ ad sacrosanctum missæ sacrificium afferenda est, S. Ignatius, S. Philippus Nerius, S. Carolus, S. Fr. Salesius, aliique non pauci, divino sane Spiritui obedientes, quotidie sacramento pœnitentiæ expiabantur... An ego saltem singulis hebdomadis... menti statutorum diœcesis, adeoque Christi voluntati obediens?...

An, ut hebdomadaria confessio constanter fiat, obstacula removeo, vel supero?...

Num ad confessionem faciendam me diligenter præparo, prout ipse doceo fideles?... examinando conscientiam et præsertim insistendo contritionis actui?... et proposito firmo?...

An me satis accuso de neglectu vel truncatione meditationis et examinis... de defectu modestiæ clericalis et levi-

tate in verbis... de intemperantia recreationis et perditione temporis ?... de defectu ordinis et laboris?... de præcipitantia in celebratione missæ... de defectu præparationis aut gratiarum actionis ad sacrificium?... de defectu reverentiæ et collocutione indecenti in sacristia ?....

An accuso me candide et conscientiam meam confessario prorsus aperio ?...

An addere soleo accusationem unius alteriusve peccati anteactæ vitæ ?...

An in confessario aspicio personam Christi ?...

An confessionem instituo quasi ad moriendum?...

An confessarii monita audio reverenter, et executioni mando fideliter ?...

An non post confessionem, et ante debitam gratiarum actionem, subito cum confessario colloquia misceo ?... O Domine, veniam peto suppliciter de multis meis defectibus in hac parte... seriamque tibi promitto emendationem.

III P. ADMINISTRATIO. — Officium confessarii respectu sacerdotis summi momenti est. An ego ejusdem gravitatem intelligo ?... Nonne sacerdos integram repræsentat parochiam ?... Nonne igitur omni cura et peculiari sollicitudine talis pœnitens tractandus est ?...

Agendum cum confratre in sacro tribunali fortiter et suaviter. An debita ego fortitudine utor, ubi agitur de periculo vel occasione peccati ?... An principiis obsto et efficaciter prævenio mala ?... *Noli quærere fieri judex, nisi virtute valeas irrumpere iniquitates*... Ad confessarios quoque pertinet quod præcipiebat Josaphat judicibus Israel : *Videte*, ait, *quid facialis : non enim hominis exercetis judicium, sed Domini, et quodcumque judicium caveritis, in vos redundabit*...

Eccli. 7.

II Paral. 19.

At simul suaviter, non dure, sed in visceribus misericordiæ, et in spiritu illius, qui tam clementer respexit Petrum.... *Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui spirituales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis : considerans te ipsum ne et tu tenteris*... — « Noli duriter agere cum tentato, inquit Kempensis, sed consolationem ingere, sicut tibi optares fieri... »

Galat. 6.

Kemp. I, 13.

An præter absolutionem confratri impertiendam, curam gero directionis ejus, eumque in bono promovere studeo ?

An curo ut meditationem et examen conscientiæ peragat?... ut sit diligens in surgendo hora statuta?... ut ope examinis particularis defectum dominantem impugnet?...

Nonne aliquid in mea agendi ratione respectu sacramenti pœnitentiæ corrigendum?.. Quid in posterum faciam?...

Finali oratione petatur gratia perfecte recipiendi et administrandi hoc sacramentum.

De puritate cordis et purganda anima.

Pr. 1. *Mundamini, qui fertis vasa Domini.* Isaï. LII, 11.

Pr. 2. Ut intelligam quam sit necessaria sacerdoti puritas animæ, eique acquirendæ totis viribus incumbam.

1. Quænam in sacerdote requiritur puritas? II. Quare necessaria? III. Quomodo acquirenda?

I P. QUÆNAM REQUIRITUR PURITAS? — Distinguitur moralis puritas duplex: animæ nempe et corporis. Prior est immunitas a peccati macula quacumque, posterior vero specialis puritas castitatis... Utraque sacerdoti necessaria: *Quis ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto ejus? Innocens manibus et mundo corde...* Psalm. 23. Porro puritas animæ castitatem comprehendit, cum sine castitate anima immaculata esse non possit...

Immunitas a peccato vocatur *puritas*, quia peccatum in anima spectatum *macula* est... spiritualis autem, et, prout oculis Dei apparet, omni corporali coinquinatione fœdior...

Est porro hujusmodi macula multiplex... Imprimis macula mortis, peccatum nempe mortale... efficiens animam cadaver putridum... sepeliendum in inferno... *Væ vobis, scribæ et pharisæi hypocritæ, quia similes estis sepulcris dealbatis, quæ a foris parent hominibus speciosa, intus vero plena sunt ossibus mortuorum et* Matth. 24.

omni spurcitia... O Domine, a tam horrenda oculis tuis fœditate protege servum tuum...

Deinde, macula lepræ... peccatum scilicet veniale, quod non admit animæ vitam... sed inducit horrendam ulcerum fœditatem... O si oculis et lumine angelorum videre possem animam meam, quo in statu eam cernerem ?... Amplius lava me, Domine, ab iniquitate mea...

Postremo macula pravarum cupiditatum... quæ, velut peccatorum radices ac impura germina animam inficiunt...

A variis hujusmodi inquinamentis anima sacerdotalis liberanda est, ut munditiem induat sacerdotis propriam...

Levit. 21. *Omnis qui habuerit maculam de semine Aaron sacerdotis, non accedet offerre hostias Domino, nec panes Deo suo*... Hæc præscripta sacerdotibus legis veteris...

Quanto magis ego, sacerdos novæ legis, immaculatus esse debeo !... An talis sum oculis Dei ?... An non sum

Psalm. 50. 118. sepulchrum dealbatum ?... O Domine, *amplius lava me ab iniquitate mea... fiat cor meum immaculatum in justificationibus tuis, ut non confundar*...

II P. QUARE PURITAS ANIMÆ NECESSARIA ? — Si fidelibus omnibus requiritur cordis munditia, quia membra sunt Christi... templa Spiritus sancti... quia admissi ad communionem Corporis eucharistici Jesu Christi... Quanto magis sacerdoti, fidelium duci et exemplari ?...

Sacerdoti necessaria animæ puritas ratione ministerii

Isaï. 52. altaris : *Mundamini, qui fertis vasa Domini*... Vasa sacra quæ ferunt sacerdotes novæ legis, quænam sunt nisi

Sess. 22. sacramenta corporis et sanguinis Christi ?... Propterea « omnem operam et diligentiam in eo ponendam esse, « aiunt Tridentini Patres, ut quanta maxima fieri potest « interiori cordis munditie ac puritate sacrosanctum Missæ « sacrificium peragatur »...

Tit. 1. Ratione ministerii confessionalis... *Omnia enim munda mundis*...

Ratione ministerii prædicationis, ut sit efficax et fruc-

Joan. 15. tuosus... *Qui manet in me et ego in eo hic fert fructum multum*...

Ratione progressus in spiritu. Per viam purgativam perveniendum est ad illuminativam, quæ virtutibus orna-

tur... Ager cordis purgandus ut ferat fructus... Si tam exiguos in spiritu progressus facio, nonne ideo quod conscientiæ puritati non studeo ?...

Ratione felicitatis : *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt...* — *Cor mundum crea in me, Deus, et spiritum rectum innova in visceribus meis...* Matth. 5. Psalm. 50.

III P. QUOMODO PURITAS ANIMÆ ACQUIRENDA ? — Abluenda utique sunt peccata præterita... vitanda futura... An ego peccata vitæ anteactæ expiare pergo ?... An ad evitanda nova delicta opportuna media adhibeo ?...

Media autem præsto sunt : pœnitentia, tum interna tum externa... confessio sacramentalis... examen asceticum conscientiæ... mortificatio christiana... — Præterea oratio, meditatio, omneque pietatis exercitium ad emendandos defectus et animam purificandam conducunt...

An ego media ista studiose adhibeo ?... Quid in posterum faciendum decerno, ut, juxta Apostoli verba, *mundum me exhibeam ab omni inquinamento carnis et spiritus ?...* II Cor. 7

O fons puritatis, Jesu Domine, me immundum munda tuo sanguine... O Maria immaculata, refugium peccatorum, intercede pro me...

De peccato veniali.

Pr. 1. *Qui spernit modica paulatim decidet.* Eccli. XIX, 1.

Pr. 2. Ut intime cognoscam peccati venialis malitiam, et peccata venialia efficaciter studeam vitare.

I. Quare peccatum veniale impugnandum. II. Quænam peccata venialia præcipue vitanda. III. Quomodo id efficiendum cum successu.

I P. QUARE CONTRA PECCATUM VENIALE AGENDUM ? — Quia magnum illud malum est, tum in se, et prout apparet oculis Dei... tum in me sacerdote...

In se peccatum veniale nequaquam leve est, etsi *leve* a theologis appellari consuevit... cum sit offensa divinæ Majestatis... opus tenebrarum, pugnans cum divinis attri-

lutis, sicut tenebræ cum luce... operatio diaboli .. abomi-
Habacuc. 1. nabilis Deo : *Mundi sunt oculi tui, ne videas malum, et respicere ad iniquitatem non poteris*...Quapropter nullum opus bonum ei placere poterit, si ex peccato vel levissimo
Rom. 3. procedat... *Non, sicut blasphemamur : Faciamus mala ut veniant bona*...

Propterea omnes Sancti tantopere a peccato vel levissimo
1 Thess. 5. abhorruerunt... *Ab omni specie mala abstinete vos*... Da mihi, Domine, horrorem omnis vel levissimi peccati...

Nonne Deus manifestat quid sentiat de peccato veniali, severissimis pœnis illud puniendo, tum in hac vita... tum præsertim in purgatorio ?...

Respectu mei, sacerdotis, peccatum veniale est principium instabilitatis in bono... et, si odium peccati est illa firmissima petra in qua domus sacerdotalis virtutis ædificanda, nisi accedat odium efficax peccati venialis, petra illa mutabitur in arenam... Peccata enim hujusmodi debilitabunt fervorem charitatis, inducent tepiditatem... et anima *paulatim decidet*...

Nonne insuper in me, Christi ministro... commilitone in bello adversus peccatum et diabolum... res summe indigna si ad illa opera diaboli accedam ?...

Nonne insuper veniale peccatum in me regnans, obstaculum est in via... impediens progressum in spiritu, impediens fluenta gratiarum... impediens internam consolationem... impediens fructum ministerii ex opere operantis, ac proin salutem plurimarum animarum ?...

O Domine, malum atrox est in me vel minima venialis culpa ; fac ut ab ea magis magisque abhorream...Maria immaculata, ora pro me.

II P. QUÆNAM PRÆCIPUE VITANDA. — Imprimis ea quæ non ex inadvertentia, sed plena deliberatione committuntur... Ut si dicam : non est nisi veniale istud ; quid refert ?... non debeo esse tam perfectus... Hæc detractio, hæc sensualitas, hæc familiaritas quam mihi permitto, non excedit veniale... Supponamus hic recte judicari... quia facilis est illusio et error, præsertim ubi agitur de sacerdote cujus persona constituit circumstantiam aggravantem, dicente
Sess. 23. cap. 1. Tridentino : *Levia etiam delicta quæ in ipsis maxima essent, effugiant*... Nonne ex factis in se specie exiguis,

magna exorta sunt, nostris etiam diebus, scandala ?... — Posito tamen noxam de qua agitur non excedere limites venialis : qui eam sciens volens committit, pessima laborat dispositione et gravissima damna incurret : *Qui spernit modica, paulatim decidet...* Eccli. 19.

Deinde insectanda ea quæ frequentiora sunt, etsi minus plene deliberata et ex fragilitate fiant... quibus me obnoxium video, sive erga Deum... sive erga proximum... sive erga me ipsum... aut in exercitio ministerii... — Hæc autem quænam sunt ?... Examina, veniam pete, propone...

III P. PRAXIS. — Quomodo peccata venialia efficaciter impugnabo ac vitabo ?

Tollenda sunt obstacula, nimirum prætextus vani, ut illud : *Nimius rigor nocet valetudini...* Nonne tepor magis nocet animæ?... Quam multi nimia corporis sollicitudine in sensualitate merguntur !... *Qui amat animam suam perdet eam...* Joan. 12.

Obstaculum quoque esse solet exemplum laxiorum... *Denuntiamus vobis, fratres, in nomine Domini nostri Jesu Christi, ut subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinate, et non secundum traditionem quam acceperunt a nobis...* — Nonne exemplum dedit nobis Christus, ut quemadmodum ipse fecit, ita et nos faciamus ?... *Quid ad te*, ait Dominus Petro, *quid ad te, tu me sequere... me*, non talem aut talem... II Thess. 3. Joan. 21.

Deinde adhibenda mihi sunt media, quæ ad duo reducuntur : *examen conscientiæ*, tum generale tum particulare... et *instrumentum* illud christianæ mortificationis, semper manu tenendum : *Vince te ipsum...*

An non aliquo ex illis obstaculis impedior ?... An constanter et serio adhibeo media ?... Quid posthac faciendum ?...

Oratione finali offeratur Domino propositum impugnandi serio ac determinatis mediis peccatum veniale...

De defectibus emendandis.

Pr. 1. *Qui rectus est, corrigit viam suam.* Prov. XXI, 29.

Pr. 2. Ut necessitatem intelligam defectus meos emendandi, et huic exercitio constanter incumbam.

I. Necessitas defectus emendandi. II. Hujus emendationis praxis.

I P. NECESSITAS EMENDATIONIS. — Ad sacerdotem pertinet hoc Apostoli verbum : *Exemplum esto fidelium...* quapropter perfectus et absque defectu apparere debet.

I Tim. 4.

Sess. 23. cap. 1. de Reform.

« Clerici enim, ut Tridentinum habet, cum a rebus sæculi « in altiorem sublati locum conspiciantur, in eos tanquam « in speculum reliqui oculos conjiciunt, ex iisque sumunt « quod imitentur... Quapropter levia etiam delicta, « quæ in ipsis maxima essent, effugiant... »

Ut autem talis evadant, necesse utique est eos in defectuum suorum emendationem sese impendere...

Defectibus enim obnoxia est humana natura, germina continens vitiorum omnium... *Sensus et cogitatio humani cordis ad malum prona sunt ab adolescentia sua...* — *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus...* Jam vero hæc prava germina, hæc vitia assidue, et per totam hominis vitam impugnanda sunt...

Gen. 8.

I Joan. 1.

Quemadmodum terra, post peccatum maledicta, semper *spinas et tribulos germinabit homini ;* ita terra cordis humani vitia germinabit, nisi continua emendatione excolatur... Volo, Domine Jesu, exemplo Sanctorum in mei emendationem incumbere : adjuva me per gratiam tuam. Beatissima Virgo, ora pro me..

Gen. 3.

Sacerdos porro adeo defectibus carere debet, ut nemini, ne piissimo quidem inter fideles, præbeat offensionem... *Nemini dantes offensionem, ut non vituperetur ministerium nostrum.*

II Cor. 6.

Sacerdos ab omnibus ut pater a filiis amari, et cum reverentia ac fiducia adiri debet... Adeoque amabilis sit oportet, habeatque mores illos suaves ac moderatos, qui non nisi exercitio et emendationis studio acquiri solent...

Propterea per totam vitam vigilandum esse docent Sancti, atque allaborandum in emendatione defectuum... adduntque in extirpanda vitia præcipue dirigendum orationis exercitium...

Cur mihi post tot annos defectus non parvi nec pauci

inhærent?... Nonne idcirco, quia non ea qua par est vi et efficacia, emendare mea vitia contendo?...

Quodnam hic propositum faciendum?... *Persequar inimicos meos, et comprehendam illos : et non convertar donec deficiant...* Psalm. 17.

II P. PRAXIS. — Quinam defectus præcipue corrigendi veniunt? et quæ media adhibenda?... Imprimis illi defectus externi sunt removendi qui sacerdotem contemptibilem reddunt, vel invisum ac odiosum, quique parvulos prohibent ad eum accedere... Ea quoque omnia quæ scandalizant laïcos vel minus ædificant...

Emendanda igitur omnis asperitas morum... impatientia... iracundia... duritas... præsertim in confessionali...

Corrigenda morum ruditas, inurbanitas, indecora familiaritas...

Corrigenda intemperantia linguæ, loquacitas... et omne verbum, quod præsentes vel absentes posset offendere, severe abigendum...

Amandanda levitas in actione, dissipatio... irreverentia in loco sacro, in cæremoniis sacris...

Amandanda morositas... hilaris potius facies præferenda, comis et affabilis erga omnes...

Amandanda in obediendo tarditas... ut et in agendo... Tempora et horæ publicis officiis statutæ sedulo servanda...

Amandanda omnis species sensualitatis, intemperantiæ, atque illa intemperantia inchoata quæ incongruam loquacitatem et clamores provocat... item, omnis species avaritiæ... superbiæ ac vanitatis... susceptibilitatis vel rancoris...

Deinde etiam impugnandi defectus interni, præsertim tepiditas in Dei famulatu...

An hos defectus corrigere hactenus serio studui?... An in hunc finem adhibui examen particulare... An generose memetipsum vincere sum conatus?...

In hoc spirituali certamine adjuva servum tuum, Domine : *Doce*, quæso, *manus meus ad prælium, præcinge me virtute, et pone immaculatam viam meam...* Beatissima Virgo, ora pro me : da mihi virtutem contra hostes tuos... Psalm. 17.

De formatione indolis.

Pr. 1. *Discite a me quia mitis sum et humilis corde.* Matth. xi, 29.

Pr. 2. Ut impense studeam indolem meam conformare indoli Christi Domini.

1. Quanti momenti sit bona indoles. II. In quo indoles bona consistat. III. Quomodo formanda.

I P. MOMENTUM BONÆ INDOLIS. — Tam pretiosa qualitas est hominis bona indoles, ut divitias vincat et scientiam... imo vix cedat virtuti, quacum de cætero intime conjuncta est... Hanc Spiritus sanctus laudat verbis istis :

Prov. 18. *Vir amabilis ad societatem magis amicus erit quam*
Eccli. 45. *frater... — Dilectus Deo et hominibus Moyses... in fide et lenitate ipsius...*

Vir scilicet tam amabilis, Deo et hominibus dilectus, ille est qui indolis morumque suavitate omnia corda sibi concilians, hominibus multis ac sibimet ipsi pacem procurat... et societati utilissimus evadit...

Nonne hujusmodi indoles bona imprimis necessaria sacerdoti ? Nonne ipse tenetur omnium sibi corda conciliare, ut Ecclesiæ et animabus utilis esse possit ?...

Quænam causa cur parochus forte non ametur a populo? cur animos hominum, cæteroquin piorum, sibi reddat alienos ? cur negotia ab ipso suscepta perperam cedant ? cur personæ cum ipso viventes discedere cupiant ? cur a confessionali ipsius pœnitentes removeantur ? cur pietas et bona opera in parochia langueant ?... Ipse tamen pastor non caret scientia, nec talento, imo nec pietate... At indole laborat mala, qua omnia corrumpit...

Cur vicarius, de cætero irreprehensibilis, nec ingenio destitutus, ubique suscitat querimonias ?... nisi quia defectibus indolis suæ homines gravat et sibi offensos facit...

Cur tot sacerdotes inutiles, contemptibiles evadunt cum detrimento animarum ? nisi ob eamdem causam...

E contra sacerdos alius, nulla præclara dote conspicuus, velut angelus in parochia versatur, omnibus charus, omnia prospere gerens... quia indole bona præditus est...

Cur S. Franciscus Salesius tam mirabiliter corda lucrabatur, discordias componebat,et cœpta quælibet ad bonum exitum deducebat ? nisi quia suavissima pollebat indole, nec tantum scientia et sanctitate... O sancte Francisce, ora pro me, ut exemplum tuum valeam imitari...

Nonne igitur oportet ut vir ecclesiasticus, non solum acquirat scientiam, sed imprimis bonam habere indolem studeat ?...

An ego rem tanti momenti cordi habeo ?... Da mihi, Domine, ut generoso animo memetipsum vincam, quatenus indolem acquiram amabilem, et perfectus efficiar homo Dei...

II P. IN QUO CONSISTAT. — Hominis indoles, quæ agendi ratione vel moribus apparet, veluti facies interna est, quæ, sicut vultus externus, venusta vel difformis esse potest... Consistit autem indoles bona in agendi ratione non tantum irreprehensibili, sed suavi et moderata...

Fundatur in quibusdam virtutibus, quarum præcipuæ sunt probitas ac fides, fortitudo, æquanimitas, et magna erga homines benignitas ac benevolentia...

Melius autem Christus Dominus bonam indolem, perfectam scilicet ac sacerdotalem, expressit, dum suum Cor, omnis perfectionis exemplar, manifestans nobis, dixit : *Venite ad me omnes... et discite a me quia mitis sum et humilis corde...* Mansuetudo scilicet amoris tenerrimi ac fortissimi, mansuetudo patris, matris amantissimæ erga infantem, pastoris erga oviculam pro qua animam ponet... imo, mansuetudo agni inter lupos patientissimi... deinde vero humilitas, qua nihil quærit pro se, qua fit omnium velut servus ut omnes faciat salvos... hujusmodi, inquam, mansuetudo et humilitas a Christo ut norma exhibetur indolis bonæ et perfectæ... Matth. XI.

Hanc humilem mansuetudinem docebat Deus Moysen, committens ei populum Israël et dicens : *Porta eos in sinu tuo, sicut portare solet nutrix infantulum...* — Hanc Paulus manifestat, dum ad Thessalonicenses scribit : *Facti sumus parvuli in medio vestrum, tanquam si nutrix foveat filios suos... desiderantes tradere vobis animas nostras, quoniam charissimi nobis facti estis...* — *Factus sum infirmis infirmus, ut infirmos lucri-* Num. XI. I Thess. 2. I Cor. 9.

facerem. Omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos...

Cant. 8. Melliflua hæc humilitas fortissima est, quia *fortis est ut mors dilectio*... Quapropter magna operatur, sicut æterna
Sap. 8. Sapientia, *attingens a fine usque ad finem fortiter et disponens omnia suaviter*...

Quam desiderabilis spiritus ille mitis et humilis Christi !....

III P. QUOMODO FORMANDA. — Licet alii aliis melius ingenium a nativitate sint nacti, omnes passim indolem suam, ut vere bona sit, perficere et a defectibus corrigere debent....

Sunt autem hi defectus præcipui : irascibilitas, impatientia, susceptibilitas... asperitas in facie vel in verbis... spiritus contradictionis... tristitia et morositas... præcipitantia... superbia... avaritia et amor sui, quærens quæ sua sunt...

Qui defectus ut emendentur, confert imprimis *examen particulare*... item, instrumentum mortificationis internæ : *Vince te ipsum*... — Dein, correptio ac monita amici boni vel superioris. — Demum, magna erga SS. Cor Jesu devotio, qua cor nostrum illi exemplari divino conformemus, et *sentiamus* paulatim *quod et in Christo Jesu*... O
Philipp. 2. Cor Jesu, mite et humile, redde cor meum simile tibi...

An serio me impendo ad formandam ita et perficiendam meam indolem ?... Quinam sunt defectus indolis meæ ?... Quomodo eos corrigere studeo ?...

Finalis oratio fiat ad S. Franciscum Salesium, ad S. Paulum, ad SS. Cor Jesu, ut gratia petatur ad corrigendam ac formandam indolem secundum eorum exemplar.

De examine conscientiæ ascetico.

Pr. 1. *Si nosmetipsos dijudicaremus, non utique judicaremur.* I Cor. XI, 31.

Pr. 2. Intelligere necessitatem et excellentiam exercitii examinis, illudque accuratissime adhibere.

I. Examinis ascetici excellentia et necessitas. II. Ejusdem praxis.

I P. EXCELLENTIA ET NECESSITAS. — Commendatum examen conscientiæ quotidianum a S. Basilio, aliisque passim Patribus ac ordinum religiosorum fundatoribus, ut efficacissimum emendandæ vitæ medium... adhibitum videmus, non tantum a Sanctis omnibus et monachis, sed a fidelibus passim, quotquot profectus spiritualis fuerint studiosi. *Mane propone*, dicit indiscriminatim omnibus auctor Imitationis, *vespere discute mores tuos : qualis hodie fuisti in verbo, opere et cogitatione : quia in his sæpius offendisti Deum et proximum*... An igitur de hujus exercitii excellentia dubitare possum?... Kemp. I, 19.

Qui vult agrum suum ab herbis mundum servare, debet sarculum et runcinam semper manu tenere ; nonne id in agro spirituali multo magis necessarium est, in quo inimicus homo zizania seminare non desinit?...

Nonne per examen excitatur attentio, et sustentatur vigilantia illa tantopere a Domino commendata, cujus defectu plurima peccata committi, et irrepere pravæ consuetudines solent?...

Nonne gnavi et providi mercatores singulis diebus tum lucra tum dispendia supputant? Quanto magis id fieri decet in negotiatione cœlesti?...

Si obtemperandum est Apostoli monito *nosmetipsos dijudicandi*, quomodo id melius effici potest quam per examen?... I Cor. XI.

Quoniam obligatione teneor, ego præsertim sacerdos Domini, ut emendem a defectibus vitam meam, nonne hoc ipso teneor adhibere medium emendationis aptissimum, examen?...

Et quoniam examen illud a Sanctis censetur medium emendandæ vitæ necessarium, num ego alia via incedere præsumam ?... Gratias tibi ago, Domine, quod medium tam efficax emendationis ostendisti mihi : da mihi eodem uti quam diligentissime.

Nec tantum examen illud *generale*, sed peculiari modo ad sanctificationem efficax est *examen particulare*... quo singuli defectus successive impugnantur, imprimisque defectus dominans.... *Si omni anno unum vitium exstirparemus, cito viri perfecti efficeremur*... Kemp. II. 11.

Num serios hactenus in via Dei progressus feci, prout requirit mea sancta vocatio?... Nonne iidem semper defectus persistunt?... imo, forte augentur et multiplicantur?... Quæ causa? nisi quod examen quotidianum negligo, vel decurto, vel obiter ac non serio instituo... Recte enim Magister Avila : *Non diu defectus tui durare poterunt, si hoc in te duret examen.*

Num defectus meos ac vitam tepidam trahere velim usque ad mortem?... Hoc tamen certissime eveniet, nisi serio et constanter salutare adhibeam instrumentum examinis... Quid hic Deus requirit a me?... Quid faciam?... Volo, Domine, illud medium sanctificationis sedulo adhibere : da mihi, quæso, auxilium gratiæ.

II P. PRAXIS. — Quomodo instituendum examen asceticum ut efficax sit et fructus producat?

Regula sanctorum est, ut examen instituatur quotidie, saltem semel... per quadrantem... Quod spatium non est longius, si methodus adhibeatur quinque punctorum (1), quam docent quoque Sancti... Nonne hanc regulam sequi oportet?...

Methodus quinque punctorum excellentem constituit orationem, quæ, partim saltem, loco orationis vespertinæ assumi potest. 1° Primo enim loco, aguntur Deo gratiæ pro beneficiis, tum generalibus, tum particularibus... juxta Ecclesiæ mentem, quotidie proclamantis *vere dignum* illud *ac justum esse*... 2° Imploratur Spiritus sanctus, sine cujus lumine ac numine nihil est in homine... 3° Fit discussio, percurrendo actiones singulas ab ultimo examine... 4° Elicitur actus contritionis et petitur venia... 5° Propositum formatur, non generale neque vagum, sed determinando actiones et occasiones in quibus vigilandum erit; simulque petitur Dei auxilium ad exequendum generose...

Cur in examine faciendo tam inconstans fui?... An quia ordine careo vel tempus huic exercitio fixum non statui?... An quia quadrantem per horologium non metior?... An quia mortificationis spiritum non sequor, ut illud tempus, cum aliquo gravamine Deo tribuam?... At si mortificatio exercenda est a sacerdote, nonne hæc optima est mortificationis materia?...

(1) Formulam vide ad calcem voluminis.

An materiam examinis particularis bene determinavi ?..

Si examen particulare seorsim non instituo, an post examen generale et discussionem actionum diei, quæstionem mihi posui : *Quomodo me habui circa materiam examinis particularis ?* Quot victorias de me retuli ?... quotve actus exercui ?...

An imprimis examen particulare applicui ad defectus externos ?...

An persequor defectus constanter usque ad exterminationem ? *Persequar inimos meos et comprehendam illos, et non convertar donec deficiant...* — An adnoto numerum defectuum vel actuum in aliquo libello ?... an impono mihi sanctionis loco aliquam pœnitentiam ?... Ps. 17.

An mane in surgendo, vel in oratione matutina, renovo propositum circa examen particulare ?...

Adjiciatur in fine meditationis oratio congrua, ut Deo offeratur propositum fideliter conscientiæ examen instituendi, et gratia petatur exequendi propositum.

De vigilantia.

Pr. 1. *Vigilitate et orate, ut non intretis in tentationem.* Matth. XXVI, 41.

Pr. 2. Ut, juxta monitum Domini, vigilantiam diligenter exerceam.

Duplex vigilantia in Evangelio commendatur : personalis et pastoralis. De vigilantia personali, quæ ad animam purgandam spectat, hæc meditatio proponitur.

I. Quare vigilandum ? II. Qualis vigilantia adhibenda ? III. Quodnam præmium erit ?

I P. QUARE VIGILANDUM ? — Nonne quia Dominus vigilantiam enixe commendat et præcipit ?... *Vigilate*, inquit, *et orate, ut non intretis in tentationem...* — *Vigilate, quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit...* — *Videte, vigilate et orate... ne cum Dominus venerit repente, inveniat vos dormientes. Quod autem vobis dico, omnibus dico : Vigilate...* Da mihi, Domine, his monitis sancte obedire... Beatissima Virgo, adjuva me. Matth. 26. Matth. 24. Marc. 13.

Nonne, quia vigilare non curavit, Petrus misere lapsus
Marc. 14. est ?... *Et ait Petro : Simon, dormis ? Non potuisti una hora vigilare ?...* Ne sinas, Domine, me Petrum sequi in negligentia et lapsu...

Matth. 26. Vigilandum in oratione, *quia spiritus quidem promptus est, caro autem infirma...* id est, licet voluntas bona sit, et bona sint proposita, nisi humana fragilitas vigilantia et oratione juvetur, facile succumbet...

Vigilandum itaque omnibus... etiam mihi, sacerdoti, *ne intrem in tentationem*, et vincar ab inimico... qui nunquam dormit... sed omni hora, nocte ac die, animabus insidiatur... Sic vigilant milites tempore belli...

Vigilandum, ne domus animæ meæ a fure perfodiatur et diripiatur... atque amittat virtutes... nempe patientiam... humilitatem... temperantiam...

Vigilandum, ut virtutis incrementum non impediatur dissipatione aut negligentia... Sic gnavus agricola, postquam seminavit, agro invigilat...

Vigilandum, ut pietatis exercitia et muneris officia omnibus numeris absolvantur... Sic vigilant fideles famuli.

Vigilandum, ingravescente morbo vel senectute, ut ultima sacramenta tempestive recipiantur...

Num præceptum evangelicæ vigilantiæ ego sic impleo?... An non tepiditate, negligentia, sicut Petrus... sicut fatuæ virgines... dormito et dormio ?... Quid mihi emendandum ?... Propositum formetur et petatur gratia.

II P. QUALIS VIGILANTIA ? — Vult Dominus ut ne somno
Matth. 26. ac quieti nimium indulgeamus : *Sic non potuistis una*
Luc. 6. *hora vigilare mecum ?...* — Et ipse *erat pernoctans in oratione Dei...* Maximi scilicet momenti est mature surgere...
Psalm. 62. An fas est mendaciter dicere quotidie : *Deus, Deus meus, ad te de luce vigilo... in matutinis meditabor in te ?...*

Quomodo autem vigilandum sit ostendit divinus Magis-
Luc. 12. ter, dicens : *Sint lumbi vestri præcincti*, quod mortificationem denotat... *et lucernæ ardentes in manibus vestris*, quo significatur fervor bonorum operum...

Itaque mortificatione restringendæ sunt et cohibendæ animæ facultates et sensus corporis, ne in quampiam inordinationem diffluant... Quapropter invigilandum cogi-

tationibus et phantasiæ... invigilandum affectibus cordis, ne cui creaturæ adhæreant, neve in impatientiam erumpant... invigilandum oculis... invigilandum auribus, ne vanis et inutilibus sermonibus sint apertæ... invigilandum linguæ... invigilandum gressibus, ne exeatur quo aut quando non oportet...

Cum fervore autem perficienda sunt opera bona... et officia status... ita ut nihil omittatur, et omnia animentur lumine fidei ac flamma charitatis...

Media autem practica sic vigilantiam exercendi, sunt examen conscientiæ... et ordo vivendi...

An ita vigilantiam servo ?... Nonne quid perfectius quam quod hactenus feci, hic a me postulat mea vocatio ?...

Da mihi, Domine Jesu, gratiam tuam, ut perfecte vigilantiam servem, quam nobis tantopere commendasti...

III P. PRÆMIUM. — *Beati servi illi, quos quum venerit Dominus, invenerit vigilantes : amen, dico vobis, quod præcinget se, et faciet illos discumbere, et transiens ministrabit illis...* Affirmante scilicet Domino, qui vigilantiam sanctam servaverit, beatus erit... beatus in vita, quæ abundabit virtutibus... beatus in morte, et in æternitate... Luc. 12.

Præcinget se... quoniam prompti sunt ac parati ad omne obsequium Domini, ipse vicissim Dominus vigilantibus famulis, velut minister, in omni necessitate aderit... et dapes spirituales præbebit, quibus cum jucunditate crescant et confortentur *in viros perfectos, in mensuram ætatis plenitudinis Christi...* Ephes. 4.

Concludatur meditatio oratione ferventi ad Jesum, qua petatur gratia vigilandi perfecte, juxta mentem et exemplum ejus. Invocetur et Beatissima Virgo, sanctique angeli, tam vigiles in custodia nostra....

De mortificatione. Mortificationis necessitas.

Pr. 1. *Semper mortificationem Jesu in corpore nostro circumferentes, ut et vita Jesu manifestetur in corporibus nostris.* II Cor. IV, 10.

Pr. 2. Ut intelligam necessitatem mortificationis christianæ, eamque exerceam sicut mea vocatio requirit.

I. Mortificatio necessaria mihi est ratione Christi et Sanctorum, II. ratione meimetipsius.

I P. RATIONE CHRISTI ET SANCTORUM. — Mortificationis necessitatem, nonne doctrina atque exempla tum Christi, tum Apostolorum, imo omnium Sanctorum demonstrant?...

Quid Christus Dominus, quid Apostoli ejus respectu mortificationis docuerunt?... egerunt?...

Luc. 9. *Dicebat autem ad omnes : Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam quotidie, et*
Joan. 12. *sequatur me... — Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet : si autem mortuum fuerit, multum fructum affert. Qui amat animam suam, perdet eam ; et qui odit animam suam in*
Coloss. 3. *hoc mundo, in vitam æternam custodit eam...— Morti-*
Galat. 5. *ficate membra vestra quæ sunt super terram... — Qui Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis...* Da mihi gratiam, Domine, hæc præcepta servandi.

I Pet. 2. Quænam exempla habemus? *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia*
Galat. 2. *ejus... — Christo confixus sum cruci... — Mihi mundus*
Galat. 6. *crucifixus est et ego mundo...* — Nonne hæc vestigia secuti sunt omnes Sancti?...

Num ego melioris sum conditionis quam Dominus ac Magister meus?... Quam Apostoli et Sancti?...— Da mihi, Domine Jesu, gratiam tuam, ut semper cum Apostolo mortificationem tuam in corpore meo feram, ut et vita tua manifestetur in me...

II P. RATIONE MEIMETIPSIUS. — Quod si meipsum considero, sive ut hominem christianum, sive ut sacerdotem Domini, an a mortificatione alienus esse possum?...

Ut homo christianus, nonne Christi patientis vestigia sequi teneor?... *Sub capite spinoso*, inquit S. Bernardus, *non decet esse membrum delicatum...*

Omni christiano necessaria est mortificatio ad edomandas passiones... *Regnum cœlorum vim patitur, et vio-*
Matth. XI.

lenti rapiunt illud... ad stabiliendum imperium rationis in sensus nostros... Defectu mortificationis dominium usurpat caro et sensualitas : homo noster carnalis fit dominus... spiritualis vero, servus ac mancipium.... *Est malum quod vidi sub sole : vidi servos in equis, et principes ambulantes super terram quasi servos*... Nonne ego, Dei filius ac minister, non servio alicui passioni dominanti... Eccl. 7.

Omni christiano dictum est ab Apostolo : *Spiritu ambulate, et desideria carnis non perficietis*... — Et illud quod pronuntiavit Deus ab initio : *Sub te erit appetitus ejus* (peccati), *et tu dominaberis illius*... — Da mihi, Domine Jesu, crucem tecum ferre et mortificationem amplecti .. Galat. 5. Gen. 4.

Quilibet christianus debet legem Dei servare et peccata vitare, quod sine mortificationis ope non efficitur... Mortificatio enim velut ferrum putatorium est, quo resecare vitia debemus sicut agricola resecat palmites pravos... *Omnem palmitem non ferentem fructum, tollet eum ; et omnem qui fert fructum purgabit eum, ut fructum plus afferat*... Joan. 15.

Qua sacerdos sum, nonne multo magis mortificationem exercere teneor ?... nonne hic, ut in cæteris, populo præbere exemplum ?... Volo, Domine : da mihi fortitudinem tuam.

Sacerdos Domini prædicare debeo hominibus delicatis, carnem non esse molliter tractandam... nec proclivem esse e terris in cœlum viam... Quomodo hanc doctrinam persuadebo, si ipse non servo ?... Nonne exprobrabunt mihi, quod Christus Pharisæis : *Dicunt et non faciunt* ?... Matth. 23.

Nonne sacerdos in vestibus signatam præfert crucem Domini ? An illud externum signum esse non debet mortificationis Christi, quam cum Apostolo in corpore ac sensibus meis porto? *Semper mortificationem Jesu in corpore nostro circumferentes*... Ne permittas, Domine, ut crucem tuam dumtaxat specietenus feram et mendaciter... II Cor. 4.

Oportet me ambulare cum Apostolo, non secundum carnem, sed secundum spiritum : *In carne enim ambulantes non secundum carnem militamus*... II Cor. 10.

Mortificatione utendum est ut luxuriæ spiritum arceam, *qui non ejicitur nisi in oratione et jejunio*... et castitatem servem illibatam, quæ est *lilium inter spinas*... Marc. 9. Cant. 2.

Oportet ut Dei implorem gratiam pro multis, et conversionem peccatorum...quæ impetrari non solent nisi orationi jungatur aliqua mortificatio...

Oportet ut securus sim adversus pericula in ministerio meo occurrentia ; atqui fortissimum habebo in mortificatione munimen....

An hactenus mortificationis necessitatem practice intellexi ?... An mea vita non est prorsus sensualis ?... Quid statuendum ?... Oratione finali tanquam gratia petatur a Jesu crucifixo, crucis ejus per sanctam mortificationem fieri participem.

De mortificatione. Excellentia et praxis.

Præl. 1. *Mortificatus quidem carne, vivificatus autem spiritu.* I Pet. III, 18.

Pr. 2. Ut mortificationem christianam amem et amplectar generose.

I. Mortificationis fructus. II. Ejusdem objectum et praxis.

I P. FRUCTUS. — Per mortificationem vetus homo cum
II Cor. 4. suis vitiis moritur, novus vero corroboratur... *Semper mortificationem Jesu in corpore nostro circumferentes, ut et vita Jesu manifestetur in corporibus nostris...* Vita autem Jesu quæ est? nisi fides vivida... fiducia constans... charitas invicta... nisi etiam spiritus orationis...

Ille tam necessarius sacerdoti, tamque pretiosus spiritus orationis et contemplationis, ut secundus fructus, e mortificatione nascitur ; atque ita quidem, ut secus existere
Kemp. III, 21. nequeat : nam *nisi quis ab omnibus creaturis fuerit expeditus, non poterit libere intendere divinis...*
Serm. 255 de temp. In templo Salomonis, ait S. Augustinus, duo altaria erant : unum in atrio exteriori, super quod animalia immunda mactabantur et cremabantur ; alterum in *Sancto*, super quod thymiama variis odoramentis compositum adolebatur. Similiter duo nos altaria habere oportet : unum in corde, orationis... alterum in corpore, mortificationis... ad

illud autem sanctius, nisi per hoc externum perveniri non potest...

Sic etiam sponsa Canticorum *ad collem thuris*, seu orationis, non ascendit nisi *per montem myrrhæ*, quæ mortificationis symbolum est...Quam exoptabilis itaque virtus, quæ tam pretiosum generat fructum!... Cantic. 4.

Tertius fructus est profectus in spiritu. Navicula animæ nostræ contra lapsum fluminis ascendere debet ad perfectionem... impellitur autem per remos mortificationis... quos deponere non licet, quin mox retroagatur...

Ultimus demum fructus est glorificatio futura corporis nostri. *Si tamen compatimur ut et conglorificemur...* — *Qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ...* Rom. 8. Phil. 3.

Num fructus tam pretiosos percipere cupio?... Ne igitur mortificationis me pigeat... — Petatur gratia.

II P. OBJECTUM ET PRAXIS. — Mortificationis objectum aliud est necessarium, aliud supererogatorium.

Necessarium est illud quod affert ipsa impletio divinæ legis et obligationum status mei... vel quod imponit Providentia in adversitatibus vitæ... Num accepto in spiritu mortificationis labores et incommoda mei muneris?... gravamina quoque tentationum... tædia quælibet aut molestias quæ in observatione ordinis diurni occurrunt?... vel quæ ex parte valetudinis experior?... vel ex parte aliorum hominum, quorum defectus, importunitates, ruditas... aut etiam malevolentia, quotidie materiam mortificationis suppeditant?... Num, inquam, illa omnia in spiritu mortificationis suffero?. . — Gratia petatur.

Objectum mortificationis *supererogatorium* consistit in jejunio voluntarie suscepto... in abstinentia a cibo, potu, recreatione, collocutione licita... in vigilia et privatione somni... in dura cubatione... in usu cilicii... in repressione curiositatis... in arcta custodia sensuum... in servanda modestia clericali...

Alia est mortificatio externa, quæ ad sensus et corpus pertinet, alia interna quæ in repressione cupiditatum consistit... Utraque necessaria est; interna tamen potior...

An quotidie mortificationem exerceo, præsertim in surgendo hora statuta... in meditatione, examine, aliis-

que exercitiis pietatis suo tempore, integre ac rite obeundis ?...

An aliquid de corporalibus commoditatibus mihi subtraho intuitu Christi patientis, accto ac felle potati ?...

An in spiritu mortificationis accepto tribulationes occurrentes ?...

An in corde insculpta gero mortificationis dictamina ? nimirum : *Vince te ipsum... — Non quod placet sed quod oportet... — Tantum proficies, quantum tibi ipsi vim intuleris.* Kemp. I, 25.

O Domine Jesu, concede mihi cum Apostolo gentium *mortificationem tuam semper in corpore meo circumferre*... Beatissima Virgo, ora pro me, SS. Patroni intercedite pro me.

De peccatis internis et externis sacerdotis.

Pr. 1. *Mundemus nos ab omni inquinamento carnis et spiritus.* II Cor. VII, 1.

Pr. 2. Ut novo accendar ardore ad evitanda peccata quælibet, interna et externa.

I. De peccatis internis. II. De peccatis externis.

I P. PECCATA INTERNA. — Ea dicuntur peccata interna, quæ in corde, in mente committuntur nec in externum actum prodeunt. Hæc præcipuo studio a sacerdote cavenda sunt, quia tanta cordis mundities ipsi est necessaria... Non enim sufficit ministro altaris externos vitare defectus,
I Reg. 17. qui hominum oculos offendunt... *Homo enim videt ea quæ parent, Dominus autem intuetur cor*... O Domine Jesu, da mihi cordis puritatem.

Jam vero interna illa peccata quæ sunt? nisi cogitationes ac desideria prava, et contraria sive pietati, sive humi-
Matth. 15. litati, sive puritati, sive charitati... *De corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria... hæc sunt quæ coinquinant hominem...*

Contraria pietati sunt, non tantum distractiones volun-

tariæ in oratione et Missa... sed defectus fiduciæ in Domino, defectus submissionis Providentiæ divinæ...murmurationes tacitæ adversus superiorum mandata, et judicia eorum ordinationes improbantia... vel alienatus ab ipsis animus, defectus amoris ac reverentiæ...

Contraria humilitati sunt cogitationes vanæ de se ipso, complacentia in suis talentis et operibus, desideriumque placendi hominibus potius quam Deo... ambitiosi sensus et appetentia muneris altioris... tristitia ob læsionem amoris proprii...

Contraria castitati ea sunt quæ per sensus male custoditos ascendunt... vel quæ non illico excutiuntur... Sacerdotem enim angelicam puritatem æmulari decet, et corporis et mentis suæ munditia... O Beata, immaculata Virgo Maria, custodi me ab omni macula.

Contraria charitati sunt judicia quælibet malevola, temeraria, vel severiora de proximo... ubi non excusatur saltem ejus intentio... Item, affectus minus benevoli...sensus vindictæ, rancoris... odium, frigiditas, aversio... Item, impatientia, iracundia, amaritudo mentis... ac defectus condonationis injuriarum... omnis demum affectus qui cordi Jesu ac dilectioni ejus conformis non est...

An his omnibus non facile deficio, eo quod cogitationibus meis et affectibus cordis non sat studiose invigilo?... *Omni custodia serva cor tuum, quia ex ipso vita procedit...* — Cor mundum crea in servo tuo, Domine... Clarifica me, Jesu bone, claritate interni luminis : et educ de habitaculo cordis mei tenebras universas. Prov. 4. Kemp. III, 23.

II P. PECCATA EXTERNA. — Ea dicuntur externa peccata, quæ corde concepta, verbo externo vel opere consummantur... Et ea diligenter cavere debet sacerdos, ut non minus sit *innocens manibus* quam *mundo corde*... Psalm. 23.

Peccata oris vel linguæ facile committuntur, sive contra pietatem, humilitatem, obedientiam, ædificationem... sive contra discretionem aut charitatem proximi...

Ad peccata operum referuntur peccata omissionis... Quam facile est sacerdoti, nisi omni cura vigilaverit, aliquid de obligationibus omittere !.. An ego non omitto, saltem ob leviorem causam, partem exercitiorum pietatis?... gratiarum actionis post sacrum ?... An non omitto visitationem

scholarum... infirmorum ?... An non omitto lectionem, studium?... præmeditationem eorum quæ in cathedra, aut in catechismo dicenda sunt? ... aut, si professoris munere fungor, an non omitto accuratam lectionis præparationem... aut vigilantem custodiam discipulorum?... An non negligo serium studium quæstionum quæ in conferentiis sunt tractandæ?...

Operibus facile peccat sacerdos, si in ministerio sacro pietate caret : si cæremonias sacras in missa non servat accurate... si promptior est aut levis in actione ad altare... si indecore aspicit populum... si irreverenter tractat SS. Sacramentum, præsertim in communione distribuenda... si munditiem non curat in templo, in linteis sacris et in omnibus quæ ad cultum pertinent... si avarum se ostenderit vel tenacem... si amatorem vini et epularum... si frequentius excurrit quo non vocatur a ministerio... si familiarius agit cum personis junioribus, præsertim alterius sexus... si in dissidio vivit cum confratribus vel aliis... si quartum Mandatum non servat, erga superiores reverentia deficiens vel obedientia... si despotice agit cum subditis... licentius autem et absque submissione erga præpositos... si tempus consumit ludo aliisve rebus inutilibus... si decorum clericale non servat, nec modestiam, præcipue oculorum... si agendi ratione malum exemplum aut scandalum præbet... aut fideles minus ædificat...

Nonne ego in pluribus ex his deficio?... Quinam mihi est defectus præcipuus?... Quomodo eum extirpabo?...

Da mihi, Domine, auxilium gratiæ tuæ, ut me a tot peccatis et defectibus expediam... Tu ipse, quæso, inimicos meos prosternere et conterere digneris, ut in omnibus irreprehensibilis efficiar sicut ministrum tuum decet.

De peccatis linguæ.

Pr. 1. *Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir.* Jac. III, 2.

Pr. 2. Ut cognoscam peccata linguæ quibus sacer-

dos maxime obnoxius est, eaque diligentissime caveam.

I. Peccata linguæ quæ sint. II. Remedium.

I P. NOTITIA. — Peccata linguæ eo studiosius vitare debet sacerdos, quod perfectus ipse et exemplaris esse tenetur ; quandoquidem absque linguæ custodia perfectio nulla sit... *Si quis putat se religiosum esse, non refrenans linguam suam, sed seducens cor suum, hujus vana est religio...* — *Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir...* Jac. 1. Jac. 3.

Perfectionem porro in moderanda lingua sitam esse ex eo percipitur, quod omnis humanæ perfectionis norma et exemplar sit ipsum Verbum, Verbum incarnatum... Ideoque apostolos suos ac sacerdotes sanctificavit Dominus mittens Spiritum suum in specie linguarum... ideo jam in antiqua lege, ut faceret sibi Isaïam prophetam perfectum, omne verbum nequam sustulit de ore ejus, mundans labia calculo ignito... Quanto magis labia sacerdotis novæ legis sancta esse decet ?...

Verba nequam sunt vel otiosa, vel contraria pietati, aut charitati, prudentiæ, modestiæque sacerdotali...

Otiosa verba sunt quibus tempus longa et inutili confabulatione consumitur... Et utinam semper essent mere otiosa ! nam *in multiloquio non deerit peccatum...* — *Dico autem vobis quoniam omne verbum otiosum quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii...* — *Vir linguosus non dirigetur in terra...* Prov. 10. Matth. 12. Psalm. 139.

Contraria pietati verba sunt ubi de Deo vel de rebus sanctis sermo fit absque debita reverentia... ubi colloquia fiunt in loco sancto, in sacristia, præsertim ante et post celebrationem missæ... ubi in oratione liturgica, in breviario, in missa, male pronuntiantur verba, vel velocius... quando oratio publica, ut recitatio rosarii in templo, non ea dignitate qua par est, sed indecora præcipitantia decurritur...

Contraria charitati sunt verba detractionis, de defectibus proximi, qualia quis de se ipso dicta non vellet... verba quoque improbationis et censuræ eorum quæ a confratribus, præcipue a superioribus aguntur vel agenda sunt...

verba obmurmurationis et querimoniæ... verba fallacia et adulatoria, aut etiam mendacia... verba aspera et iracunda... verba contentionis et contradictionis...

Contraria prudentiæ sunt quæ spectant, vel a longe, audita in sacro Tribunali... vel etiam quæ sub secreto naturali fuerunt accepta... aut quacumque de causa secreto servanda sunt... — Item, quæ minus considerate, vel minus urbane dicuntur aut scribuntur hominibus adversis... quæ præcipitanter proferuntur, antequam res fuerit bene audita et cognita... — Deinde quæ minus parata dicuntur e suggestu, et personas offendere possint... — Imprudentia esse solent verba quæ pronuntiantur sub influxu alicujus passionis... vel quæ reponuntur homini irato... aut calumniatori... *Jesus autem tacebat...* — *Responsio mollis frangit iram ; sermo durus suscitat furorem...*

Matth. 26. Prov. 15.

Contraria modestiæ sunt quæ de se ipso quis loquitur et vanam gloriam sapiunt... item verba culinaria de potu et esculentis... — verba levia et mundana, sive de mulieribus sive ad mulieres dicta... — verba scurrilia, plebeia, ore sacerdotali indigna... *Omnis immunditia nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos : aut turpitudo, aut stultiloquium, aut scurrilitas quæ ad rem non pertinet...* verba inurbana... aut nugatoria nomina fratribus applicata... inconditi risus et indecori clamores...

Ephes. 5.

Nonne ego pluribus ex his defectibus laboro?... Quomodo eos emendabo?... O Verbum incarnatum, per tuum divinum silentium, per tuos sapientissimos sermones, sanctifica linguam meam...

II P. REMEDIUM. — Ad emendanda peccata linguæ, imprimis invigilandum verbis, juxta monitum Sapientis : *Aurum tuum et argentum tuum confla, et verbis tuis facito stateram, et frenos oris tui rectos...* Porro vigilantia optime exercetur per examen conscientiæ.

Eccli. 28.

Præter vigilantiam et examen particulare, plurimum confert exercitium silentii... *Nemo secure loquitur, nisi qui libenter tacet...* Item prodest, multum loqui cum Deo, parce cum hominibus... cor gerere plenum humilitate et charitate : *Ex abundantia cordis os loquitur...* Prodest, nunquam loqui in æstu iracundiæ alteriusve passionis, qua ratio obscuratur... Demum orandum est cum Psal-

Kemp. I, 20

Matth. 12.

mista: *Pone, Domine, custodiam ori meo et ostium circumstantiæ labiis meis. Non declines cor meum in verba malitiæ...* Psalm. 14.

In fine meditationis imploretur præsidium B. Mariæ Virginis, sancti Joseph, et sanctorum Doctorum Ecclesiæ.

De peccato superbiæ.

Pr. 1. *Superbiam nunquam in tuo sensu aut in tuo verbo dominari permittas : in ipsa enim initium sumpsit omnis perditio.* Tob. IV, 14.

Pr. 2. Petere ut magis magisque malitiam superbiæ cognoscam, utque efficacius vitium istud detestari ac debellare possim.

I. Superbiæ malitia, II. ejus actus, III. ejus remedium.

I P. SUPERBIÆ MALITIA. — Quam detestabile sit vitium istud, ostendit imprimis illud Spiritus sancti effatum : *Odibilis coram Deo et hominibus superbia...* Propterea *Deus superbis resistit...* — Homines vero superbum contemnunt, præsertim sacerdotem, qui humilitatis Christi imitator esse debet... O humillime Jesu, nunquam in me superbiam dominari permittas... Eccli. 10. I Pet. 5.

In se spectata superbia Deo injuriosa est. *Disperdat Dominus universa labia dolosa et linguam magniloquam. Qui dixerunt : Linguam nostram magnificabimus, labia nostra a nobis sunt : quis noster Dominus est?...* Psalm. 11.

Est vitium Satanæ, qui postquam voluit *super astra Dei exaltare solium suum*, dejectus est in abyssum... *Quomodo cecidisti de cœlo, lucifer, qui mane oriebaris...* Irrident in inferno dæmones superbum sacerdotem : *Et tu vulneratus es sicut et nos, nostri similis effectus es? Detracta est ad inferos superbia tua...* Isaï. 14. Ibid.

Est vitium hæresiarcharum, qui propterea lapsi sunt quod suo sensui auctoritatem Ecclesiæ postposuerunt...

Est principium humiliationis. *Omnis qui se exaltat humiliabitur*...Destitutus gratia et benedictione Dei, super- Luc. 14.

bus homo successu carebit, decidet in vitia turpissima et
Rom. 1. demum in damnationem. *Dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt... propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam...*

Superbia principium est perturbationis, et tollit pacem. Semper agitatur superbus, sicut arbor in montis culmine plantata... Nonne perturbationis cordis mei causa est secreta superbia?... O humillime Jesu, libera me ab omni superbiæ spiritu...

« Imprimis abjice superbiam, aiebat S. Franciscus Salesius ; velim reliqua vitia cuncta, potius quam istud »...

Quam multa vitia profluunt ex impuro fonte superbiæ !...
Eccli. 10. *Initium omnis peccati est superbia...* Quid hic a Domino petam ?...

II P. SUPERBIÆ ACTUS. — Quomodo superbia peccatur, sive cogitatione, sive verbo, sive opere ?...

Ubi superbia dominatur in homine, exerit se primum
Galat. 6. cogitationibus : dum quis *existimat se aliquid esse, cum nihil sit...* Vana scilicet in se complacentia delusus putat se talenta habere, sive interna, sive externa... quæ non habet... — Dum super alium se extollit, quem talentis vel virtute sibi inferiorem judicat... — Dum talenta quæ habet, vel bonum quod operatur, Deo non tribuit sed sibi :
I Cor. 4. *Quid habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?...* Itaque in omni
Ps. 113. successu, dicam cum propheta : *Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam...*

Superbia apparet verbis, dum quis libenter de se ac de suis gestis loquitur... *Propria laus sordet.* — Dum aliorum facta vituperat, dijudicat quasi censor, nihil approbans nisi quod a se ipso venit... Dum alios alloquitur arroganter, absque reverentia... vel sententiam suam profert tanquam infallibilem, non patiens contradictionem...

Superbia apparet operibus et agendi ratione : si quis exteriorem hominem nimis curat... si punctum honoris magis respicit quam sacerdotalem simplicitatem in supellectili et apparatu mensali... si aspirat ad officia altiora, et ministeria splendidiora... si hominum oculos vel laudes quærit in prædicatione, aliisve exercitiis publicis... si ob

injuriam quamcumque irritatur... si ob reprehensionem a superiori acceptam, vel aliam quamvis humiliationem, animo cadit, tristatur... et ubi culpam fateri vel humiliter tacere deberet, excusationes prætendit... si demum rebellis fuerit et inobediens... Nonne hujusmodi defectibus ego laboro ?

III P. REMEDIUM. — Contra superbiam remedia sunt : 1° Præ oculis semper habere humiliationes Jesu Christi Domini nostri... 2° Considerare quam indignum sit ministro Christi vitium superbiæ... 3° Recogitare quam sit insanum homini superbire, cum non sit nisi *pulvis et cinis*... cum de se non habeat nisi nihilum... et peccatum : *Pauperem et superbum odit Deus*... Deus solus magnus, et *soli Deo honor et gloria*... 4° In rebus prosperis dicere : *Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam*... — 5° In adversis autem et humiliationibus : *Bonum mihi quia humiliasti me... Priusquam humiliarer ego deliqui*... — 6° Cum affectu quotidie recitare hæc verba : *Dispersit superbos mente cordis sui. Deposuit potentes de sede et exaltavit humiles*... 7° Recordari parabolam Pharisæi superbi et Publicani humiliati, *qui descendit justificatus in domum suam ab illo*... 8° Considerare quod, ut S. Bernardus ait, *nihil facilius est volenti, quam humiliare seipsum ;* nemo enim obsistere contendet...

Eccli. 10. Eccli. 25. — I Tim. 1. Ps. 113. — Ps. 118. — Luc. 1. — Luc. 18.

Quid respectu superbiæ emendandum habeo ?... Quid faciam ?...

O Domine Jesu, exemplar humilitatis, o Beatissima Virgo propter humilitatem tuam exaltata, fac ut nunquam in meo sensu aut in verbo meo superbia dominetur...

De Avaritia.

Pr. 1. *Radix malorum omnium cupiditas.* I Tim. VI, 20.

Pr. 2. Ut intelligam quam detestabile vitium sit avaritia, illudque magis magisque averser ex animo.

I. Avaritiæ malitia, II. actus, III. remedium.

I P. MALITIA. — Avaritia, seu inordinatus amor pecuniæ, hominem reddit pessimum : *Avaro,* inquit Sapiens, *nihil scelestius...*

Eccli. 9.

Ephes. 5.

Avaritia sacerdotem reddit impium, idololatram : *Omnis avarus, quod est idolorum servitus, non habet hæreditatem in regno Christi...*

Avaritia perdidit apostolum Judam, qui Christum propter pecuniam tradidit... O Jesu, qui propter nos egenus factus es, libera me ab omni avaritia.

Sacerdos avarus nihil habebit zeli : non enim animas lucrari,sed pecunias studebit,et quidem ope ministerii sacri...

Sacerdos avarus mox in populo *vir cupidus* audiet et *tenax ;* hac autem nota inustus contemnetur, nec quidquam boni efficere poterit...

Da mihi, Domine, exemplum Judæ abhorrere, et magis magisque abominabile avaritiæ vitium detestari...

II P. AVARITIÆ ACTUS. — Sacerdos se isto vitio laborare cognoscet, 1° si in ministerio suo plus cogitat de stipendio et emolumentis, quam de gloria Dei et bono animarum...

2° Si loqui amat de hujusmodi materiis, instar hominum sæcularium, qui materiale lucrum persequuntur...

3° Si ecclesiastica officia æstimat ex reditu pecuniario, et in hunc sensum loquitur : quasi sacrum ministerium esset speculatio lucri, cultus Dei mercatura, et Ecclesia domus negotiationis. *Domus mea domus orationis vocabitur, vos autem fecistis eam domum negotiationis... speluncam latronum...*

Matth. 21. Joan. 2.

4° Si severius exigit quæ sibi debentur...

5° Si parcum se exhibet in retribuendo... in eleemosynas largiendo... in bona opera sustentando...

6° Si coacervat pecuniam instar avari, post obitum cum scandalo inveniendam...— aut, quod non minus scandalum facit, si emit sibi domos vel agros in sua parochia...

7° Si nimium providet senectuti, nec sat confidit paternæ providentiæ Dei : *Nolite solliciti esse... scit enim Pater vester quia his omnibus indigetis.*

Matth. 6.

Num quodpiam ex his avaritiæ signis in me reperio ?... O Domine Jesu, libera, quæso, servum tuum ab omni specie cupiditatis vel avaritiæ...

III P. REMEDIUM. — Ad avaritiam debellandam vel præcavendam proderit, 1° considerare avaritiam esse sacerdoti unam ex viis inferni, a qua præcipue recedendum...

2° Considerare quanta stultitia sit sacerdoti non comparare pretiosa merita sancte utendo pecuniis, quas mox sine merito relinquere debebit quibuscumque hæredibus...

3° Ab illis conversationibus abstinere, in quibus de temporalibus emolumentis indecoro modo tractatur...

4° Larga manu eleemosynam facere, pro mensura facultatum : *Omni petenti te tribue... Date et dabitur vobis.* Luc. 6.

5° In retribuendo mercedem, potius plus dare quam minus ; ne unquam dici possit : *Parcus est ille et tenax*...

6° Amare pauperes, et in gratiam pauperum sibi sacrificia imponere, nominatim in usu vini... Cavere autem a nimio amore erga consanguineos...

7° Considerare quam turpe sit et scandalosum, si post sacerdotis mortem, collectæ sacro ministerio pecuniarum summæ inveniantur...

8° Præ oculis habere verba Domini : *Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris... Gratis accepistis, gratis date...* Et hæc Apostoli : *Nihil intulimus in hunc mundum : haud dubium quod nec auferre quid possumus. Habentes autem alimenta et quibus tegamur, his contenti simus...Nam qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem et in laqueum diaboli... in interitum et perditionem...* Matth. 10. I Tim. 6.

Quid in mea agendi ratione reformandum ?... O Domine Jesu, quam longe disto ab apostolica paupertate !...

De Luxuria.

Pr. 1. *Homo cum in honore esset, non intellexit : comparatus est jumentis insipientibus et similis factus est illis.* Ps. XLVIII.

Pr. Magis magisque abhorrere ab omni immunditia, et quam studiosissime omnia castitatis præsidia adhibere.

I. Luxuriæ horrenda fœditas. II. Luxuriæ viæ. III. Remedia.

I P. FŒDITAS LUXURIÆ. — Vitium istud hominis christiani opprobium est. *Nescitis quoniam corpora vestra membra sunt Christi? Tollens ergo membra Christi, faciam membra meretricis? Absit... An nescitis quoniam membra vestra templum sunt Spiritus sancti, qui in vobis est?... — Nescitis quia templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat in vobis? Si quis autem templum Dei violaverit, disperdet illum Deus... — Qui autem consensus templo Dei cum idolis?... Vos enim estis templum Dei vivi...* Si talia ad omnes dicuntur christanos, quanto magis ad sacerdotes...

1 Cor. 6.

1 Cor. 3.

II Cor. 6.

Sacerdos *angelus Domini exercituum est...* atque ideo veste candida induitur, ut immaculatus ad Agnum immaculatum accedat, *qui pascitur inter lilia...* Per impudicitiam autem efficitur animal immundum... coinquinans sanctuarium Dei...

Malach. 2.

Cant. 2.

Nonne ipse nobilis filius a cœlesti Patre enutritus et exaltatus?... Quid si dissipet substantiam suam vivendo luxuriose?... et eousque vilescat ut siliquis delectetur porcorum?...

Quis ascendet in montem Domini? aut quis stabit in loco sancto ejus?... Quam mundus, quam angelicus esse debet minister altaris, tractans sanctissima mysteria! *Mundamini qui fertis vasa Domini...* Quam mundæ sint oportet manus ejus... oculi, labia, mens et cogitationes cordis ejus!... Ea autem per luxuriam immunda fiunt omnia... O Domine Jesu, o Beatissima Virgo, ne permittas me hoc vitio coinquinari...

Ps. 23.

Isai. 52.

Sacerdos impudicus in domo Domini omnia contaminat sordibus suis: altare... confessionale... mensam communionis... deinde etiam domum suam... imo domos inficit parochianorum...

Sacerdos impudicus in sacrilegia cadet horrenda et innumerabilia...

Sacerdos impudicus fit scandalum animabus, imo lupus rapax in grege... fur et latro qui *non venit nisi ut furetur et mactet et perdat...* Væ sacerdoti a scandalis!... Væ

Joan. 10.

illi etiam juveni, qui absque solida castitate in sacros ordines irreperet !...— O immaculata Virgo, sub patrocinio tuo meam castimoniam protegere digneris : tu, quæso, ab omni macula me tuere...

II P. VIÆ LUXURIÆ. — Variæ sunt viæ quæ sacerdotem ad luxuriam ducunt, mimirum :

1° Otium .. *Hæc fuit iniquitas Sodomæ : superbia, saturitas panis et otium*... Semper, monet S. Hieronymus, te diabolus occupatum inveniat... — Ad otium reducuntur immodicæ recreationes... Ezech. 16.

2° Intemperantia, præsertim potus, vini, *in quo est luxuria*... nec tantum excessus graves cavendi... Eph. 5.

3° Quæcumque familiaritas cum personis alterius sexus, etiam piis... etiam consanguineis...

4° Superbia, vana gloria, spiritus independentiæ : *Propterea tradidit illos Deus in passiones ignominiæ.* Rom. 1.

5° Incustodia sensuum. *Ascendit mors per fenestras*... Jerem. 9.

6° Vitæ sensualis et immortificata : *Non enim invenitur* castitas *in terra suaviter viventium*... Job. 28.

Nonne ego temerarie ad hujusmodi vias accedo ?... O Angele sancte, ab omni periculo custodi me...

III P. REMEDIA. — Alia sunt remedia protegentia, alia medicantia... nimirum : 1° Fuga. Fugiendum omne periculum... Fugiendum otium, quod malorum omnium origo est... Laborandum est studiose, ferventer... Et si alia occupatio desit, sacra Scriptura memoriter discatur... Num ita ego labori insisto ?...

2° Vigilantia, et custodia sensuum, oculorum præcipue, aurium et linguæ... Memoria divinæ præsentiæ. *Melius est mihi mori quam peccare in conspectu Domini*... Dan. 13.

3° Oratio. *Vigilate et orate, ut non intretis in tentationem*... Matth. 26.
— *Oportet semper orare et non deficere*... Luc. 18.
præsertim urgente tentatione... Exoranda autem peculiari fiducia B. Virgo Maria...

4° Jejunium et mortificatio christiana. *Hoc genus non ejicitur nisi in oratione et jejunio.* Marc. 9.

5° Profunda humilitas. *Ut castitas detur*, ait S. Bernardus, *humilitas meretur... quoniam humilibus Deus dat gratiam.* Epist. 24.

6° Demum devotio vivida erga SS. Sacramentum, quod

Zachar. 9. est *frumentum electorum et vinum germinans virgines*...

Num ego media illa diligenter adhibeo?..

Fiat in fine oratio ad S. Angelum custodem, ad S. Joseph, ad B. Virginem, ut petatur protectio adversus pericula castitatis.

De invidia.

Pr. 1. *Invidia diaboli mors introivit in orbem terrarum : imitantur autem illum qui sunt ex parte illius.* Sap. II, 24.

Pr. 2. Ut magis magisque istud vitium detester ac fugiam.

I. Quam detestabilis sit invidia, II. quinam ejus actus, III. quod remedium.

I P. DETESTABILIS INVIDIA. — Vitium istud, charitati et spiritui Christi prorsus contrarium, est in se ignobile, homini autem sacerdoti præsertim, fœdum ac turpe. Sacerdos enim, vir charitatis, velle censetur et quærere proximo omne bonum... per invidiam autem de bono proximi tristatur... imo potius delectatur ejus malo... sive temporali... sive etiam spirituali...

Hujusmodi spiritus non est Christi, sed Caïn, qui occidit fratrem suum... sed filiorum Jacob, qui fratrem Joseph vendiderunt... sed Judæorum, qui ipsum Christum ex invidia crucifixerunt. *Sciebat enim* Pilatus *quod per invidiam tradidissent eum*... Imo invidiæ spiritus diaboli est, qui invidens hominis felicitati eum in ruinam conjecit... Matth. 27.

Consectaria invidiæ sunt pessima, mala nempe multa culpæ et pœnæ. Nonne peccata generat quam plurima? ut judicia temeraria... detractiones... odium et varia nocumenta proximo intentata. .

Invidia vermis est quo animus corroditur... venenum, quo pax omnis et felicitas corrumpitur...

Invidia lumen rationis obscurat, animum exasperat, corpus alterat...

Core, Dathan et Abiron, invidia moti, Aaronis et Moysis dignitatem sibi usurpare voluerunt; quare *disrupta est terra sub pedibus eorum, et aperiens os suum devoravit illos, et descenderunt vivi in infernum...* — Petatur protectio contra vitium invidiæ... Numer.16.

II P. INVIDIÆ ACTUS. — Influxum invidiæ patior, si de quocumque proximi bono tristitiam, vel de malo ejus gaudium in me oriri sentio. . Itaque invidiæ effectus sunt:

Tristitia affici quando collega cum successu verbum Dei prædicat, vel melius cantat, vel ad altius munus promovetur, vel quocumque modo mihi præfertur...

Tristari, si video ejus confessionale magis frequentari quam meum, vel pœnitentes a me ad ipsum transire... tristari quoque, ubi ipse laudatur, de me vero tacetur...

Ubi video ad confratrem propendere favorem populi... ab ipso plus boni effici... id ægre ferre...

Demum invidia ducor, si alterius verba vel gesta vituperare satago... vel si, exemplum secutus Pharisæorum, eum capere studeo in verbis...

Nonne aliqua ex hisce invidiæ signis in me reperiuntur?... O Domine Jesu, per charitatem Cordis tui libera me a vitio invidiæ...

III P. REMEDIA. — Contra invidiam hæc sunt remedia.

Imitari Moysen, fidelem Dei famulum, qui cum a Josue invitaretur ut prohiberet quosdam alios prophetare: *Quid*, inquit, *æmularis pro me? Quis tribuet ut omnis populus prophetet, ut det eis Dominus spiritum suum?...* Numer.XI.

Dicere cum Paulo: *Quid enim? Dum omni modo, sive per occasionem sive per veritatem, Christus annuntietur: et in hoc gaudeo, sed et gaudebo...* Philipp. 1.

Deo gratias agere pro omni bono quod ab aliis producitur, et pro eorum successu orare...

Me ipsum humiliare et dicere: *Elegi abjectus esse in domo Dei mei...* Ultimus locus, infimum et obscurissimum officium pro me magnum erit, et semper melius quam pro meo merito... Ps. 83.

Ubi videro aliorum successum, gaudere, gratias Deo agere, imo etiam examinare utrum in me non obstet defec-

tus quispiam, impediens quominus eumdem ac fratres mei successum consequar...

Imitari sanctos, qui juxta mentem Kempensis, *amabant nesciri et pro nihilo reputari*...

Cogitare, me omne bonum operaturum esse quod Deus a me exspectat, si fuero humilis, et pro mensura virium ac talenti mei laboravero...

Quod si fuero ipsemet objectum invidiæ, cavebo ne invidiosos irritem aliquo contemptu .. sed potius invidiæ cedam cum humilitate et charitate...

Quodnam propositum hic formandum?... Quid in mea agendi ratione emendandum?...

O Domine Jesu, cujus Cor abundat purissima charitate, ita, quæso, meum cor eadem dilectione repleas, ut nullus sit alieno sensui locus...

De gula.

Pr. 1. *Non est regnum Dei esca et potus*. Rom. XIV, 17.

Pr. 2. Cognoscere quam fœdum quamque nocivum sit sacerdoti vitium gulæ, et ab eo semper cavere diligenter.

1. Quam sit detestabile vitium gulæ; II. quænam gulæ peccata, III. quod remedium.

I P. VITIUM DETESTABILE. — Quid gula fœdius, qua homo animalis efficitur, stomacho suo et ventri vivens sicut pecora campi. *Multi ambulant*, aiebat Apostolus, *quos sæpe dicebam* (*nunc autem et flens dico*) *inimicos crucis Christi : quorum finis interitus : quorum deus venter est, et gloria in confusione ipsorum*... Domine Jesu, libera me a vitio gulæ et intemperantiæ... Philipp. 3.

Quid gula nocivius, tum corpori, tum præsertim animæ?... *Utere quasi homo frugi his, quæ tibi apponuntur... vigilia, cholera, et tortura viro infrunito... somnus sanitatis in homine parco... Vinum multum potatum irritationem et iram, et ruinas multas facit*... Eccli. 31.

Noli avidus esse in omni epulatione, et non te effundas super omnem escam... in multis enim escis erit infirmitas... Propter crapulam multi obierunt... qui autem abstinens est, adjiciet vitam... Eccli. 37.

Gula hebetat intellectum et velut impinguat speculum mentis... sacerdotem ineptum reddens ad scientiam et studium... imo ad exercitium orationis, meditationis, omnisque commercii cum Deo. *Animalis homo non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei...* I Cor. 2. Gula scilicet effectus habet contrarios jejunii, quod *vitia comprimit et mentem elevat...* Præfat. quadrag. — *Qui seminat in carne sua, de carne et metet corruptionem...* Galat. 6.

Gula passiones fovet et vitia : *Qui delicate a pueritia nutrit servum suum, postea sentiet eum contumacem...* Prov. 29. Quopropter *frena gulam*, Kempensis ait, *et omnem carnis inclinationem facilius frenabis...* Lib. I, c. 19. Da mihi, Domine, gratiam frenandi appetitum gulæ.

Nonne per gulam humanum genus periit in paradiso ?... Nonne propter cibum, propter lentis edulium, *vendidit Esaü primogenita sua ?...* Gen. 25. Nonne postquam *sedit populus Israel manducare et bibere,* in idololatriam lapsus est ?... Exod. 32.

Israelitæ carnes inordinate appetierant, et cum *adhuc escæ eorum essent in ore ipsorum, ira Dei ascendi super eos, et occidit pingues eorum...* Ps. 77.

Præsertim fugiendus immoderatus potus... Quid de sacerdote potatore dicendum ?... Qui propensionem habet ad potum, vocatione sacerdotali caret...

An ego ab omni inordinatione in hoc genere diligenter caveo ?...

II P. GULÆ ACTUS. — Vitium gulæ varios producit actus, quales sunt : Frequentare convivia. *Facile contemnitur clericus,* inquit S. Hieronymus, *qui sæpe vocatus ad prandium, ire non recusat...* Epist. ad Nepot.

De cibo et potu frequenter cogitare... libenter de vinis et esculentis sermocinari...

Compotationes inter fumigandum sectari...

Immodicas in vino et prandiis impensas facere cum detrimento pauperum, templi, bibliothecæ...

Non sequi in alendo corpore aliam regulam quam appe-

titum... plus assumere cibi vel potus, quam corporis constitutio in ordine ad functiones animæ postulet...

Manducare vel bibere propter solam voluptatem... et extra tempora statuta...

Delicatiora quærere alimenta et communiora fastidire...

Nimiam valetudinis sollicitudinem habere, et sub prætextu sanitatis obedire cupiditati : *Nescit*, inquit S. Augustinus, *cupiditas ubi finiatur necessitas*...

Nonne ego aliquo ex his modis gulæ indulgeo?... Quid hic statuendum?... Quid a Domino petendum?... Nonne ut sobrietatem custodiam?

III P. REMEDIUM. — Ut gulæ atque omni intemperantiæ resistam oportet me habere præ oculis fel et acetum Domini... Nec non istud monitum ejus : *Attendite vobis, ne forte graventur corda vestra in crapula et ebrietate, et superveniat in vos repentina dies illa* adventus Domini...

Luc. 25.

I Pet. 5. Et illud Petri : *Fratres, sobrii estote, et vigilate : quia adversarius vester diabolus, tanquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret : cui resistite fortes in fide*... — et exempla omnium Sanctorum...

Expedit mensuram ac diætam sibi statuere, ut ratio dirigat, non appetitus... nec unquam appetitum plene satiare...

Item præmittere benedictionem et addere gratiarum actionem cum pietate, juxta formulam saltem abbreviatam breviarii...

Nec oblivisci exemplum divitis epulonis... nec regulæ

Confess.X. 31. S. Augustini : *Hoc me docuisti, ut, quemadmodum medicamenta, sic alimenta sumpturus accedam*...

Prov. 20. Nec istius oraculi : *Luxuriosa res vinum*... Nec demum

Galat. 3. christianæ mortificationis : *Qui Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis suis*...

Quamnam ego in victu regulam sequor?... an eam quæ probabitur ante tribunal Dei?...

Da mihi, Domine Jesu, tuam sobrietatem, tuam temperantiam imitari...

De iracundia.

Pr. 1. *Qui irascitur fratri suo, reus erit judicio.* Matth. v, 22.

Pr. 2. Ut intelligam quam alienus ab iracundia esse debeat minister Christi, et magis magisque discam animo meo temperare.

I. Iracundiæ mala, II. effectus ac peccata, III. remedia.

I P. IRACUNDIÆ MALA. — Vitium istud spiritui Jesu mansuetissimi prorsus est contrarium...

Ira est propria lupi, non agnorum neque ovium, quales Christi fideles vocantur... propria est tyranni, non pastoris... propria diaboli *qui habet iram magnam*, non Christi qui est *mitis et humilis corde*... Apoc. 12. Matth. 11.

Iracundiæ spiritus suffocat spiritum devotionis... et Spiritus sanctus qui habitat in pace atque in iis qui quieti sunt corde, fugit iratos...

Iracundia sacerdotem spoliat sua dignitate et similem facit herinacio, quem omnes contemnunt, nemo audet attingere...

Eum privat amore et fiducia subditorum... nam iracundia durum facit et asperum erga omnes...

Eum privat auctoritate persuasionis : quia, ubi rationes desunt, facile ira succedit... E contra, vir moderatus et æquo animo loquens, facile auscultabitur...

Eum privat sano judicio : ira enim, consiliatrix pessima, in plurimos impellit imprudentiæ et iniquitatis actus...

Eum privat interna pace... imo et corporis sanitate...

Eum privat passim omni successu in operando, quia per duritatem, iracundiam, impatientiam animos offendit, negotiaque perturbat... — Vel quod maxime timendum, os pœnitentium occludit in confessionali...

Eum privare potest salute æterna... si quidem animabus sibi concreditis grave affert detrimentum...

Num ego iracundiæ non sum obnoxius ?... Num odium nullum habeo in corde ?... Num generosam mihi vim infero ut *in patientia mea possideam animam meam ?...* Luc. 21. Quid hic a Deo postulandum ?

II P. EFFECTUS. — Iracundiæ in me dominantis signa sunt : interni motus impatientiæ, ubi quidpiam occurrit molestum, contrarium... — ubi personæ mihi subditæ, vel aliæ, importunæ sunt... aut rebelles... aut negligentes... — ubi pueri inquieti sunt et petulantes .. — ubi pœnitentes valde rudes sunt vel vitiosi aut intricati... In his omnibus da mihi, Domine, patientiam servare...

Præter internos motus male cohibitos, sunt quoque verba duriora, brevia... vel etiam silentium morosum... aut aspectus torvus...

Vindicta, vel agendi ratio quæ iram significat... frigiditas erga proximum et mussitatio...

Nonne ego hujusmodi defectibus laboro, et tacitam impatientiam externis signis manifesto ?... O Domine, veniam humiliter peto de meis iracundiæ et impatientiæ peccatis...

I Pet. 2. III P. REMEDIA. — Considerare exemplum Christi, *qui cum malediceretur, non maledicebat ; cum pateretur non comminabatur...*

Luc. 21. Præ oculis habere verba Christi et Spiritus sancti : *In*
II Cor. 6. *patientia vestra possidebitis animas vestras... — In omnibus exhibeamus nos sicut Dei ministros, in multa patientia...*

I Tim. 2. Vult Apostolus fideles omnes, adeoque multo magis sacerdotes *orare in omni loco, levantes puras manus, sine*
Rom. 12. *ira et disceptatione...* Vult ut *vincamus in bono malum...*
Ephes. 4. vult ut *sol non occidat super iracundiam nostram...* Et de charitate loquens, omnibus, præsertim
I Cor. 13. sacerdoti tam necessaria : *Charitas,* inquit, *patiens est, benigna est,... omnia suffert, omnia sustinet...*

Eccli. 3. *Fili,* inquit Sapiens, *in mansuetudine opera tua perfice, et super hominum gloriam diligeris...*

Eccli. 4. *Noli esse sicut leo in domo tua, evertens domesticos tuos, et opprimens subjectos tibi...*

Prov. 15. *Responsio mollis frangit iram, sermo durus suscitat furorem...*

Prov. 16. *Melior est patiens viro forti, et qui dominatur animo suo, expugnatore urbium...*

Imit. I, 16. « Quæ homo in se vel in alio emendare non valet, ait « Kempensis, debet patienter sustinere, donec Deus aliter « ordinet. »...

Efficacissimum medium domandi iracundiam illud adhibendum videtur, quo tanto successu est usus S. Franciscus Salesius, nempe examen particulare, contra vitium istud dirigendum generose et perseveranter...

Fœdus pepigi, aiebat idem Sanctus, cum lingua mea, ut quamdiu cor esset commotum, ipsa immobilis remaneret...

Num illa media adhibeo ?... Quid in posterum faciam ?...

Fiat oratio ad Jesum, mitem et humilem corde...

De acedia.

Pr. 1. *Mullam malitiam docuit otiositas.* Eccli. XXXIII, 27.

Pr. 2. Ut omnem acediam detester ac fugiam semper.

I. Acediæ mala, II. effectus, III. remedia.

I P. MALA ACEDIÆ.—Non immerito dicit Sapiens : *Multam malitiam docuit otiositas...* Extinguit scilicet omnem virtutem... pietatem, obedientiam charitatem... et inducit omnia vitia... Eccli. 33.

Fons est tentationum... ideo dicitur pulvinar diaboli...

Fons est turpis ignorantiæ...

Fons tædii... murmurationum... sensualis vitæ : hinc enim excursiones, visitationes inutiles... vana colloquia... in quibus non desunt peccata.

Per agrum hominis pigri transivi, inquit Sapiens, *et per vineam viri stulti : et ecce totum repleverant urticæ et operuerant superficiem ejus spinæ, et maceria lapidum destructa erat...* Nonne hæc est imago animæ sacerdotis pigri et otiosi ?... imago parochiæ ejus ?... Nonne ego aliquatenus hoc vitio laboro ?... O Domine, libera me ab omni otiositate et acedia... Prov. 24.

Otiositas in sacerdote est igitur principium funestissimæ negligentiæ... principium ruinæ animarum... adeoque ruinæ ac damnationis propriæ...

Propensio itaque invicta ad otium et pigritiam, signum est non vocationis ad sacerdotium...

Jerem. 48. *Maledictus qui facit opus Dei fraudulenter* et negligenter...

Nonne ad laborandum in agro Domini vocatus est sacerdos, et propterea sacerdotale munus suscepit ?... Quam turpe igitur est eum acedia torpere... tempus pretiosum perdere... atque inanibus studiis consumere !...

Apoc. 3. Primus fructus acediæ est tepiditas : *Quia tepidus es incipiam te evomere ex ore meo...* Si in hac parte reus sum, quantum debeo coram Domino dolere !...

Matth. 13. Secundus fructus est zizania seminata, in anima propria et in animabus subditorum. *Quum dormirent homines, venit inimicus ejus, et superseminavit zizania in medio tritici...*

Matth. 25. Tertius fructus erit damnatio. *Serve male et piger... oportuit te committere pecuniam meam nummulariis... Itaque inutilem servum ejicite in tenebras exteriores : illic erit fletus et stridor dentium...*

Num ego velim tam funesto vitio me tradere ?... Num satis mihi ab eo caveo ?... — O Domine, da mihi, quæso, spiritum laboris, et ne permittas mihi unquam dominari vitium acediæ.

II P. ACEDIÆ EFFECTUS ET SIGNA. — Variis effectibus sese manifestat acediæ vitium ; ejusque influxum me pati cognovero, si tardus et languidus sum nimisque commode me habere volo in exercitiis spiritualibus... vel si meditationem et examen conscientiæ negligo...

Eccli. 32. Si mature et statuta hora non surgo, nec prompte. *Hora*

Prov. 24. *surgendi non te trices... — Sicut ostium vertitur in cardine suo, ita piger in lectulo suo...*

Si quæ agenda sunt non diligenter aggredior, sed vel

Prov. 13. differo, vel muto, quia minus placent... *Vult et non vult piger...*

Si ordinem non sequor in rebus agendis, sed libidine ducor et mutabili impetu animi...

Si tarde ad officia venio...

Si, postposito labore serio... inanibus occupationibus, lectionibus, præsertim diariorum, nugisque variis tempus consumo... præsertim intempestivis et prolixis confabula-

tionibus .. De hujusmodi hominibus Apostolus scribit : *Audivimus inter vos quosdam ambulare inquiete, nihil operantes, sed curiose agentes...* II Thess.3.

Si in templo, in sacristia... omnia sunt pulvere cooperta, absque munditie et absque ordine... Venia hic petenda et emendationis gratia.

Nonne hujusmodi signa acediæ ac pigritiæ in me reperio ?... quomodo vitium istud expellendum ?...

III P. REMEDIA. — Ut excutiatur acedia eique omnis aditus præcludatur, utile est præ oculis habere legem laboris a qua nemo est immunis. *In sudore vultus tui vesceris pane... Homo nascitur ad laborem et avis ad volatum...* Gen. 3. Job. 5.

Exemplum Christi Domini. *Pauper sum ego et in laboribus a juventute mea... — Pater meus usque modo operatur, et ego operor... — Me oportet operari opera ejus qui misit me, donec dies est : venit nox, quando nemo potest operari...*— Exemplum Apostolorum : *In laboribus plurimis... operantes manibus nostris...* — Exemplum filiorum hujus sæculi, qui pro lucro temporali laboribus non parcunt... — Imo exemplum diaboli, qui non dormit, sed omnia molitur ad perdendas animas... Ps. 87. Joan. 5. Joan. 9. II Cor. 11. I Cor. 4.

Fructus laborum. *Quia modicum laboravi, et inveni mihi multam requiem...* Eccli. 51.

Monita Apostoli : *Si quis non vult operari, nec manducet... — Laborantem agricolam oportet primum de fructibus percipere...* II Thess.3. II Tim. 2.

Demum necesse est generose se ipsum suamque segnitiem vincere : *Vince te ipsum...*

Quodnam hic mihi propositum formandum ?... Quid a Domino petendum ?...

De vitiis capitalibus sacerdotis.

Pr. I. *Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero.* Psalm. 18.

Pr. 2. Ut cognoscam capitales inimicos animæ meæ, eosque usque ad internecionem impugnem.

Quinque sunt vitia quæ sacerdotis animam frequentius invadunt, et velut radices sunt cæterorum ac propterea diligentius extirpanda, nimirum : tepiditas, superbia, avaritia, otium, sensualitas.

I P. TEPIDITAS. — Intelligitur hic tepiditas respectu orationis rerumque divinarum... vitium scilicet, quo religionis quælibet exercitia vel oscitanter fiunt, vel omnino negliguntur...

Hoc vitium nonne eo magis sacerdoti timendum quod ille, utpote dispensator mysteriorum Dei, in rebus sacris
Jerem. 48. assidue versari debet ?... *Maledictus* enim *qui facit opus Domini fraudulenter*, id est negligenter...

Nonne ex divinis mysteriis sancte pertractandis, velut e fonte gratiarum, vitales aquas indesinenter haurire debet, quibus si privetur, mox misere arescet ?...

Nonne tepiditas fluenta gratiarum animæ præcludit ?... Atque hæc ratio est, cur adversarius noster diabolus tepiditatem inducere tantopere nitatur. Agit scilicet sicut Holo-
Judith. 7. phernes erga Bethuliam : præcidit aquæductum, ut civitatem siti expugnet...

O Domine Jesu, per Cor tuum amore flagrans, ne sinas me incidere in teporem...

II P. SUPERBIA. — Sicut omnibus hominibus, ita et
Eccli. 10. sacerdoti, et quidem in ipso magis, *initium omnis peccati est superbia*... Eo facilius in superbiam incidit, quod se super reliquos fideles exaltatum videt...

Superbia autem sacerdotis occulta esse solet, consistens in defectu obedientiæ ac reverentiæ erga superiores, quorum actus dijudicat et improbat... in nimia tenacitate ac sollicitudine puncti honoris... in usu quodam arbitrario potestatis, quo in ipsis consiliis quibus præsidet, se gerit dominatoris instar... in vana gloria... inde mox ambitio loci altioris, querimoniæ, discordiæ, perturbationes ani-
I Pet 5. mæ... et substractio gratiæ Dei, *qui superbis resistit*... — O humillime Jesu, libera me ab omni superbia...

III P. AVARITIA. — Nomine avaritiæ non solum hic intelligenda sordida illa passio accumulandi pecunias, quæ post mortem sacerdotis Christi cum scandalo reperiuntur... sed etiam illud lucri studium... illa in dando tenuitas ac tenacitas... imo illa nimia parcimonia, qua sacerdos mox *vir pecuniæ* audiens, contemptum populi incurrit,

et ad ministerium suum cum fructu exercendum ineptus efficitur...

Quapropter minister altaris sibi præcipue scripta existimet hæc Pauli verba : *Habentes alimenta et quibus tegamur, his contenti simus. Nam qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem et in laqueum diaboli...* Memor sit Judæ Iscariotæ... — O Jesu, qui pro me egenus factus es, custodi me ab avaritia. I Tim. 6.

IV P. OTIUM. — Non sine causa *malorum omnium origo* vocatur otiositas : ex ea enim pullulat, cum ignorantia, universa progenies vitiorum... Porro tanto magis sacerdos esse debet ab otio alienus, quanto frequentius ex hac parte tentatur a diabolo et delabitur in ruinam... — An industrie quæro ut diabolus me semper occupatum... et bene occupatum inveniat ?... O Jesu, qui propter me in laboribus fuisti a juventute tua, da mihi assidue laborare pro te...

V P. SENSUALITAS. — Hoc nomine intelligitur vitiosus ille habitus quo sensuum appetitui indulgetur, carnisque blandimenta quæruntur... in cibo et in potu... in somno et in corporis commoditatibus... quique christianæ mortificationi est prorsus oppositus...

Quintus iste inimicus capitalis sacerdoti plurimas struit insidias, et frequenter suos injicit laqueos. Illaqueatus autem sensualitate et corpori serviens, homo Dei mox in peccata plurima, præsertim in luxuriam trahitur... atque rebus carnalibus immersus, ad spiritualia velut ineptus efficitur : *Animalis homo non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei... et non potest intelligere...* I Cor. 2.

An nulli ex his vitiis obnoxius sum ?... An, ope præsertim examinis particularis, ea strenue debello ?...

O Domine Jesu, qui docuisti me abnegare memetipsum et crucem tecum portare, ne permittas me, sacerdotem tuum, blandimenta sectari hujus sæculi...

De scandalo.

Pr. 1. *Fili hominis, speculatorem dedi te domui Israël... Si non annuntiaveris, impius in peccato suo morietur: sanguinem vero ejus de manu tua requiram.* Ezech. III, 18, 20.

Pr. 2. Ut cognoscam quam atrox sit peccatum scandali in sacerdote, atque ab eo summopere abhorream.

I. Scandali atrocitas. II. Quomodo a scandalo cavendum.

I P. ATROCITAS. — Scandalum, ut et sacrilegium, in sacerdote Domini est peccatum grande... oculis Dei et Ecclesiæ supra modum horribile...

In omni quidem homine scandalum est scelus horrendum : cum sit homicidium spirituale, occisio animæ pro qua Christus mortuus est... cum sit officium diaboli, cujus est animas perdere quas Christus venit salvare...

Matth. 18. Quopropter terribile væ pronuntiatur a Filio Dei : *Væ mundo a scandalis... Væ homini illi per quem scandalum venit... Qui scandalizaverit unum de pusillis istis qui in me credunt, expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, et demergatur in profundum maris...* O Domine, ne permittas me unquam vel minimum scandalum dare fidelibus tuis...

Si homicidium corporale vindictam clamat, quanto magis
Gen. 4. interfectio animæ?... *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra...*

Si tam atrox peccatum est scandalum in quovis homine, quid in sacerdote?... cujus est animas cum Christo salvare... qui, sicut Christus, vitam dare pro animabus deberet...
Joan. 10. *Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis... Fur non venit, nisi ut furetur et mactet et perdat...*

Peccatum magnum utique, si sacerdos mercenarius non arceat lupos a grege... Quid, si ipse fiat lupus in ovili?...

Positus est ut sit exemplum fidelium... ut ædificet domum Dei... Quid, si fiat causa ruinæ?...

Quantæ proferuntur in inferno imprecationes contra sacerdotem, ab anima damnata quæ per scandalum ejus aternum periit !...

Quantus furor Dei adversus pastorem perfidum, qui factus est ei inimicus !...

Quantum sacerdoti abhorrendum est a levissimo scandalo malitiæ, cum Paulus sollicite cavere præcipiat a scandalo infirmorum! *Videte*, inquit, *ne licentia vestra offendiculum fiat infirmis... Quapropter si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum, ne fratrem meum scandalizem...* Cor. 8.

O Domine ! melius est mihi mori, quam ut causa sim perditionis animæ pro qua Christus mortuus est...

II P. CAVENDI CURA. — Ut nulla in re fidelibus scandalum præbeam sive malitiæ, sive infirmitatis, scire expedit unde præcipue scandalum oriatur. Oritur autem sequentibus sacerdotis defectibus.

Defectu pietatis, si minister Christi in templo dissipatus, nec modestus appareat...

Defectu sobrietatis et temperantiæ : si deditus potui... epularum amator...

Defectu spiritus paupertatis, si potius quærit accipere quam dare...

Defectu mansuetudinis in confessionali, si pœnitentibus per impatientiam aut asperitatem os occludit... Pueri autem præcipua bonitate sunt excipiendi...

Defectu castitatis, si levitate verborum... familiaritate indecora... visitationibus præposteris... suspiciones moveat aut rumores noxios... ita ut dicatur : sacerdotes nostri non sunt meliores quam nos...

Defectu obedientiæ erga superiores... et unionis fraternæ... Nonne ad nos præcipue pertinet illa Christi precatio : *Sint unum sicut et nos?...* Magnum animarum detrimentum oritur ex discordia sacerdotum... Joan. 17.

An ego in nullo ex his punctis deficio ?... An in omnibus circumstantiis bonum exemplum dare contendo ?...

Oratione ferventi pete, ut numquam vel minimum animabus noceas, sed eas semper bono exemplo ædifices...

De decem mandatis. I et II mandatum.

Pr. 1. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Matth. XIX, 17.

Pr. 2. Ut intelligam et amem legem Domini, ejusdemque servator sim et zelator.

I. Mandatum primum. II. Mandatum secundum.

Matth. 4 et Deut. 6. I P. *Dominum Deum tuum adorabis et illi soli servies.* — Primum istud mandatum primæ tabulæ cultum Dei et religionem præscribit... Quam dignum, justum et æquum... quamque salutare est nobis, Deo, Creatori ac Domino nostro obsequium summum præstare !... tum propter se ac majestatem suam infinitam... tum propter

Apoc. 4. bonitatem erga nos... *Dignus es, Domine Deus noster, accipere gloriam et honorem et virtutem : quia tu creasti omnia, et propter voluntatem tuam erant, et creata sunt...* Gratias tibi ago, Domine, pro hoc mandato, quod nobis concesseris gratiam, favorem ineffabilem adorandi ac laudandi tuam immensam majestatem...

Adoratio præscribitur et *servitium* seu operatio... *Adorare* Deum, id est obsequium supremum præstare Deo, et comprehendit omnem laudationem ac orationem... et speciatim sacrificium... *Servire* Deo, id est Dei voluntatem implere, mandata servare, quia supremus Dominus

Psalm. 118. est, cui omnes creaturæ obedire debent : *Quoniam omnia serviunt tibi...*

Hæc duo religionem constituunt quam Deus requirit : oratio et operatio sancta... quæ ambo ita necessaria sunt, ut unum sine altero Deo placere non possit... nec sufficiat

Matth. 7. oratio si desit operatio sancta... *Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum... Discedite a me qui operamini iniquitatem...*

Obsequium autem illud præstatur Deo perfectum per tres virtutes divinitus infusas, fidem, spem, charitatem... quæ velut anima sunt religionis sanctæ et omnis cultus

Joan. 4. Deo acceptabilis, tum interni, tum externi... *Veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate... Spiri-*

tus est Deus, et eos qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare...

An virtutes illas vitales in me perficere satago ?.. ut pietas mea et religio sit perfecta et exemplaris...Domine Jesu, Beatissima Virgo, da mihi spiritum religionis ac perfectæ pietatis...

Nonne ego, qua sacerdos, sum religionis magister, custos ?... Nonne pietatis velut fons, de cujus plenitudine accipere debent fideles ?... An itaque religione ac zelo plenus, summa diligentia procuro, tum exemplo... tum verbis... tum exercitiis et externi cultus splendore, ut templum frequentetur et pietas floreat ?...

An sicut Deum honore supremo, ita B. Virginem ac Sanctos cultu subordinato venerandos curo ?...

An summa reverentia tracto res sanctas ?... et quæcumque huic reverentiæ adversantur, nominatim in cæremoniis liturgicis studiose evito ?... — Petatur venia... et gratia melius hoc mandatum servandi.

II P. *Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum.* — Proscribitur hoc mandato blasphemia, omnisque injuria atque irreverentia quæ Deo per verba infertur... Blasphematur nomen Dei, non tantum maledictis illis et imprecationibus brevibus et quasi jaculatoriis, quæ viva voce eructantur; sed multo magis scriptis ac ephemeridibus illis, quæ longo et quotidiano sermone contra Christum et Ecclesiam suam, quasi infernali concentu conspirant... *Et aperuit os sum in blasphemias ad Deum, blasphemare nomen ejus, et tabernaculum ejus, et eos qui in cœlo habitant...* Exod. 20. Apoc. 13.

Quid opponere debet sacerdos huic impietati ?... Quanta charitate pro miseris blasphematoribus orare, sicut Christus in cruce : *Pater, dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt*, neque quid dicunt !... Quanto zelo injurias Deo illatas reparare !... blasphemiam impedire, remedia opportuna adhibendo, præsertim in confessionali... Quanta reverentia ipsemet nomen Dei proferre, et de rebus quibuscumque sacris loqui debet ?... Luc. 23.

An illa religiosa reverentia spirat in omnibus verbis meis ?... Quæ conclusiones practicæ e considerationibus præcedentibus deducendæ ?... Quæ proposita formanda ?...

Petatur venia de culpis contra hæc duo mandata commissis, et gratia melius ea servandi de cætero.

De decem mandatis. III et IV mandatum.

Præludia eadem ac in meditatione præcedenti.

I. Mandatum tertium. II. Mandatum quartum.

Exod. 20 I P. *Memento ut diem sabbati sanctifices.* — Quam æquum est ut diem Dominicam Deo consecrent fideles!... ut post sex dies laboris externi, seposita omni cura hujus mundi, Deo vacent et curæ vitæ futuræ...

Quam necessaria quoque illa vacatio rebus divinis, ne temporalibus rebus immersi homines, quæ ad Deum et animam sacramque doctrinam pertinent obliviscantur!...

Quam stricte quoque hoc mandatum servatum velit, significat Deus hoc verbo : *Memento...*

Mihi autem imprimis dictum *memento*... ut omni zelo allaborem ad sanctificandum diem Domini... non tantum verbis et exhortationibus... sed officiorum divinorum jucunditate... Ecclesia munda sit et ornata, cantus pius et suavis... Missæ et officia reliqua hora statuta inchoentur, nec nimium protrahantur .. instructio bene præparata, clara sit, ad captum populi, aliquo exemplo condita, nec prolixa... — Pro circumstantiis temporis ac festorum, aliquid novi fiat : sive exercitium quodpiam, verbi gratia in honorem SS. Cordis Jesu, aut in honorem B. Virginis ; sive concio ab alieno sacerdote habita... Varietas enim placet, dum uniformitas fastidium parit... Ita fiet ut templum ametur, et dies Domini sanctificetur a fidelibus...

An magni facio hoc mandatum Domini ?... An nihil negligo, et potius studiose excogito ac exquiro quæcumque ad sanctificandum diem Domini conferre possint?... — Petatur venia... et gratia conveniens.

Exod. 20. II P. *Honora patrem tuum et matrem tuam, ut sis longævus super terram.* — Hoc mandatum præcipuo quodam modo se cordi habere ostendit Deus, dum illud primo loco ponit in secunda tabula, et solemni sancit pro-

missione... *Quod est mandatum primum in promissione : ut bene tibi sit et sis longævus super terram...* Est enim mandatum hoc fundamentum societatis omnis, tum domesticæ, tum civilis, tum ecclesiasticæ... Eph. 6.

Itaque peculiari cura id ipsemet servare, et satagere debeo ut a fidelibus servetur...

Porro servabo quartum mandatum, non tam honorando corporales parentes... quam spirituales, id est superiores meos, in quorum persona Christum ipsum venerari... diligere... et audire debeo... *Qui vos audit, me audit, et qui vos spernit, me spernit...* — *Obedite præpositis vestris et subjacete eis. Ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri; ut cum gaudio id faciant et non gementes...* Luc. 10. Hebr. 13.

An ita servo mandatum illud ?...

An idem frequenter, suaviter ac fortiter inculco, tum parentibus, tum filiis eorum?... An ostendo ab hoc pendere totam eorum felicitatem... et, si neglexerint, fore ut a Dei benedictione priventur?...

An parentibus ingemino, magnam eorum obligationem in eo sitam esse, ut pueros, quos dedit eis Deus, christiana educatione instituant... tum verbis... tum exemplis bonis.. tum correptione .. *Et vos, patres, filios vestros educate in disciplina et correptione Domini...* suaviter quidem, sed etiam fortiter, et conjuncto patris et matris conatu... Eph. 6.

An filiis propono exemplum Christi obedientis?... *Et erat subditus illis...* O Domine Jesu, per obedientiam tuam, da nobis perfecte mandatum quartum amare et servare. Luc. 2.

An omnibus explico Patrem nobis et Matrem esse spiritualem, quibus obedire tenetur omnis homo, *ut bene sit ipsi, et sit longævus super terram...* Porro ille Pater Christus est, in persona Romani Pontificis, et Mater, sponsa ejus Ecclesia... Eph. 6.

An clare et frequenter expono auctoritatem hanc divinitus in terra constitutam ab omnipotenti Deo, cui omnis homo obedire tenetur, sicut Christo, unigenito Filio Dei?... *Qui vos audit, me audit, et qui vos spernit, me spernit...* quam Christus per claves tradidit S. Petro ejusque successoribus, et per Petrum Episcopis ac presbyteris... Luc. 10.

quam qui respuit, ipsam respuit auctoritatem Christi,
Luc. 19. dicens : *Nolumus hunc regnare super nos...* — Cujus rebellionis consequentia ineluctabilis erit perditio... *Verumtamen inimicos meos illos, qui noluerunt me regnare super se, adducite huc; et interficite ante me...* — Nonne melius est obedire Christo et imperio ejus, quod est Ecclesia?... Nonne Deo servire regnare est?...

Fundamentalis hæc doctrina opponitur liberalismo, pestiferæ sectæ ævi moderni... Nonne confutatione hac indirecta et minime irritanti efficacius impugnabitur ille hostis, quam directis et amaris increpationibus ?...

An quartum hoc mandatum mihi maxime cordi est, tum pro me, tum pro fidelibus ?...

Oratione finali petatur venia de delictis, contra ista mandata commissis, et gratia perfecte ea servandi in posterum.

De decem mandatis. Mandatum V, VI et IX.

Præludia eadem.

I. Mandatum quintum. II. Mandatum sextum et nonum.

Exod. 20. I P. *Non occides.* — Præscribitur hoc mandato quinto amor proximi, respectu vitæ ac integritatis corporis ejus... ac multo magis respectu vitæ ejus spiritualis, quæ in gratia sanctificante consistit...

Prohibet autem, non tantum homicidium, aliudve nocu-
Matth. 5. mentum ; sed ejus principium, iracundiam... *Audistis quia dictum est antiquis : Non occides. Ego autem dico vobis, quia omnis qui irascitur fratri suo, reus erit judicio...* Numquid ad iracundiam pronus sum ?...

An omnem vindictam, amaritudinem, frigiditatem e corde excludo ?... An pro inimicis meis, calumniantibus et persequentibus oro ?...

Prohibet damnum inferre propriæ valetudini per intem-
Serm. 8 de Jej. perantiam quamlibet... *Quotidiano enim*, inquit S. Leo, *experimento probatur, potus satietate aciem mentis obtundi, et ciborum nimietate vigorem cordis hebetari :*

ita ut delectatio edendi, etiam corporum contraria sit saluti, nisi ratio temperantiæ obsistat illecebræ... Numquid ego sobrietatem servo, optimam valetudinis animi corporisque custodem ?...

Prohibet læsionem spiritualem per scandalum et malum exemplum... Numquid ego quacumque inordinatione... vel etiam re aliunde licita, scandalum saltem infirmis præbeo ?... *Videte autem ne forte hæc licentia vestra offendiculum fiat infirmis...* 1 Cor. 8.

Num e contra scandala, præcipue venenatæ lectionis, a fidelibus removere studeo... omnique modo animas ædificare in bono, nominatim spargendo bonos libros ?...

Num proximo in corporalibus necessitatibus, in fame, frigore, in infirmitatibus, sum opitulatus ?...

Quænam circa mandatum quintum proposita facienda?... Quid a Domino petendum ?... O Domine Jesu, per Cor tuum charitate flagrans, da mihi perfecte diligere proximum sicut me ipsum... sicut tu dilexisti nos...

II P. *Non mœchaberis... Non desiderabis uxorem proximi tui.* — Prohibetur his mandatis, sexto nempe et nono, omne peccatum impudicitiæ, tam internum quam externum : id est, sive verbo, aspectu aut opere, sive cogitatione aut desiderio patratum... et præscribitur pulcherrima virtus castitatis... Exod. 20.

Sane, si omni christiano homini castimonia secundum statum suum servanda est ; quanto magis sacerdoti, ministro altaris... qui castitatis voto ligatus, *angelus Domini exercituum est ?...*

Eo magis castitate insignis esse debet et in ea virtute radicatus, quod in ministerio suo pericula inveniat non exigua... et castitatem prædicare non minus exemplo quam verbo teneatur... O bone Jesu, o purissima Virgo, custodi me ab omni mentis et corporis immunditia...

Præ oculis semper habeat, et fidelibus frequenter proponat hæc verba Apostoli : *Fugite fornicationem... An nescitis quoniam membra vestra templum sunt Spiritus sancti, qui in vobis est, quem habetis a Deo, et non estis vestri ?... Empti enim estis pretio magno. Glorificate et portate Deum in corpore vestro...* 1 Cor. 6.

Ut castus sit, tenerrimam foveat devotionem erga Bea-

tam Virginem... laboret assidue... et ambulet in præsentia Dei...

Ut castitatem in aliis servandam juvet, suadeat eis eamdem devotionem erga B. Virginem... orationem tempore tentationis... frequentationem sacramentorum... memoriam præsentis Dei et angeli custodis... et, quod caput est, incutiat omnibus horrorem peccati... ac timorem inferni...

Ut exterminet turpiloquia, ostendat quam indignum sit profanare spurcitiis diabolicis linguam, Christi corpore in sacra Communione sanctificatam...

O Beatissima Virgo Maria, Regina castitatis, esto mihi adjutrix, ut virtutem hanc, tibi Filioque tuo tam charam, in me et in fidelibus, iis præcipue qui ad me tanquam pœnitentes accedunt, illibatam valeam custodire...

De decem mandatis. Mandatum VII ac X, mandatum VIII.

Præludia eadem.

I. Mandatum septimum et decimum. II. Mandatum octavum.

Exod. 20. I P. *Non furtum facies... Non concupisces domum proximi tui, nec omnia quæ illius sunt.* — Prohibetur his mandatis injuria quælibet proximo inferenda in bonis externis... Præcipitur autem eleemosyna et fuga omnis avaritiæ... Suadetur contemptus divitiarum...

An exhibeo me ab omni specie avaritiæ alienum?...

An accurate et prompte mea debita solvo?...

An, accepto stipendio, missas celebrare ad intentiones petitas non negligo?... aut non diutius differo?...

An non, minus confidens divinæ Providentiæ, pecuniam congrego pro senectute; quæ pecunia forte post mortem meam cum scandalo reperietur?... quæ senectus fortassis mihi nequaquam reservatur...

An non, seposita cura pauperum, nimis consulo rationibus consanguineorum?...

An eleemosynam suadeo, imprimis exemplo meæ liberalitatis ?... ac deinde, propositis frequenter populo his Tobiæ verbis ? *Ex substantia tua fac eleemosynam, et noli avertere faciem tuam ab ullo paupere : ita enim fiet ut nec a te avertatur facies Domini... Quomodo potueris, ita esto misericors... Si multum tibi fuerit, abundanter tribue : si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stude... Præmium enim bonum tibi thesaurizas in die necessitatis... Quoniam eleemosyna ab omni peccato et a morte liberat, et non patietur animam ire in tenebras... Fiducia magna erit coram summo Deo eleemosyna omnibus facientibus eam...* Domine Jesu, da mihi veram paupertatem spiritus, et ab omni avaritia me custodi... Tob. 4.

An eleemosynam tribuo benigna facie, non amara ?... *In omni dato hilarem fac vultum tuum...* — Proposita sancta formentur et commendentur Domino. Eccli. 35.

II P. *Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium.* — Prohibetur hoc mandato mendacium, et sub nomine mendacii omnis injuria, proximo per abusum loquelæ inferenda... præcipitur autem veracitas, sinceritas, animi candor, omnisque bonus usus linguæ respectu proximi... Da mihi, Domine Jesu, linguam perfecte moderari secundum exemplum tuum. Exod. 20.

An mandatum istud ad exemplum observo ?... An *principium verborum meorum est veritas*, ab omni duplicitate aliena ?... Psalm. 118.

An verax et simplex sum in loquendo, juxta regulam Domini ? *Sit autem sermo vester : Est, est ; non, non : quod autem his abundantius est, a malo est...* Matth. 5.

An sincerus, candidus, prorsusque apertus sum confessario meo in sacramento pœnitentiæ ?...

An ab omni specie detractionis abstineo ?... An nec interno judicio fratres meos condemno ?...

An occasione data, proximi actus, vel saltem intentiones excuso ?... præsertim ubi de superioribus agitur...

An præ oculis semper habeo, et frequenter populo in memoriam revoco hæc Domini præcepta? *Nolite judicare, et non judicabimini ; nolite condemnare et non condemnabimini... Dimittite et dimittemini...* Luc. 6.

An caveo verbis durioribus, irrisoriis aut ironicis etiam præsentes contristare ?...

An diligentissime evito discordiam seminare vel fovere ?... et e contra omni industria studeo custodire unionem et pacem inter fratres ?... *Sex sunt quæ odit Dominus, et septimum detestatur anima ejus... eum qui seminat inter fratres discordias...*

Prov. 6.

An exemplis ac verbis doctrinam hanc prædico Christi ? *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur...* Et hanc sancti Jacobi ? *Si quis putat se religiosum esse, non refrenans linguam suam, sed seducens cor suum, hujus vana est religio... Si quis autem in verbo non offendit, hic perfectus est vir...*

Matth. 5. Jac. 1. 3.

Quid faciam in posterum ut perfecte mandata ista observem ?...

Fiat oratio ad S. Franciscum Salesium, ut per intercessionem ejus petatur gratia mansuetudinis, gravitatis et charitatis in sermone.

De potentiis animæ.

Pr. 1. *Repleti sunt omnes Spiritu sancto.* Act. II, 4.

Pr. 2. Ut magis magisque anima mea mundetur per gratiam Spiritus sancti.

I. Memoria. II. Intellectus. III. Voluntas.

I P. MEMORIA. — Ut recte utamur memoria, quædam sunt vitanda, seu obliviscenda, alia vero præstanda.

Obliviscenda sunt quæcumque injuriose nobis a proximo fuerint illata, per seriam et christianam condonationem... *Et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris...*

Matth. 6.

Obliviscenda sunt verba pungentia nobis dicta, et quævis læsio amoris proprii...

Obliviscendæ sunt vanitates sæculi, quarum forte fuimus misere participes... ne mentem a sanctis cogitationibus aut ab amore Dei distrahant... *Obliviscere populum tuum et domum patris tui...*

Psalm. 44.

Obliviscenda sunt bona quæ egimus... ut quotidie pro Domino laboremus, quasi nihil esset quod hactenus fecimus... *Quæ retro sunt obliviscens, ad ea quæ sunt priora extendens me ipsum...* Philipp. 3.

At e contra, memoria sunt retinenda beneficia Dei... præsertim vocationis ad sacerdotium... *Quid retribuam Domino?...* Psalm. 115.

Recordandæ sunt divinæ promissiones et cœlestis patria... *Si oblitus fuero tui, Jerusalem, oblivioni detur dextera mea. Adhæreat lingua mea faucibus meis, si non meminero tui, si non proposuero Jerusalem in principio lætitiæ meæ...* Psalm. 136.

Recordanda Dei præsentia. *Vivit Dominus Deus, in cujus conspectu sto...* III Reg. 17.

Recordanda mihi peccata mea, ut ea defleam per totam vitam, sicut Petrus, qui usque ad mortem flevit amare... *Peccatum meum contra me est semper...* Psalm. 50.

Ordinanda quoque mihi est *phantasia*, quæ cum memoria conjungitur... Phantasiæ non licet obedire... eam oportet moderari, pacare, servando sanctam recollectionem...

An ita memoriam ac phantasiam sanctificare studeo?... O Anima Christi, in omnibus facultatibus tuis sanctissima, meam memoriam sanctificare digneris...

II P. INTELLECTUS. — Quædam iterum sunt intellectu vitanda, quædam præstanda... Vitandæ imprimis quælibet cogitationes pravæ: *De corde exeunt cogitationes malæ, fornicationes... Quæ coinquinant hominem...* Matth. 15.

Vitandæ cogitationes malevolæ... vel invidiosæ... de proximo.

Vitandæ cogitationes quæ contrariæ sunt reverentiæ erga superiores... improbationis scilicet, murmurationis...

Vitandæ cogitationes et imaginationes vanæ, fabulosæ...

Vitanda judicia temeraria et iniqua de proximo. *Nolite judicare... nolite condemnare...* Luc. 6.

Vitandæ cogitationes vanitatis et superbiæ, ac vanæ complacentiæ...

Fovendæ autem cogitationes sanctæ: de mysteriis fidei, de Christo... de B. Virgine... de angelo custode... Nonne intellectus præsertim sanctificatur per fidem?...

Fovendæ cogitationes humiles de me ipso... *Quia pulvis es...* Gen. 3.

Fovendæ cogitationes misericordiæ... charitatis erga
Matth. 5. proximum... *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur...*

Fovendæ cogitationes zeli, de ministerio sacro, de celebrandis festis, de ornanda ecclesia, de missione procuranda populo... de juvandis pauperibus... de quæstionibus theologicis...

Hujusmodi cogitationes fovendæ ac nutriendæ sunt lectione pia... oratione assidua... et sanctis interdum colloquiis... Quid hic statuendum ? Quid a Deo petendum ?...

III P. VOLUNTAS. — Hæc facultas animæ est appetitiva, cujus actus sunt volitio, desiderium, amor et odium.

Vitanda omnis voluntas rebellionis, contraria voluntati superiorum... Omnis voluntas non conformis mandatis vel Statutis diœcesanis...

Voluntate autem amplectendum id omne quod Deus vult et jubet... quod Deo placet ut opere impleatur... *Fiat voluntas tua...*

Voluntate quoque bona et humili acceptanda omnis tribulatio aut crux, quam Dominus mihi imponere voluerit... in omnibus conformando voluntatem meam cum voluntate
Matth. 26. divina... *Pater, non sicut ego volo, sed sicut tu ..*

Reprimenda sunt desideria ambitiosa, quibus sacerdos
Luc. 14. aspiret ad altiorem locum... *Vade*, inquit Dominus, *recumbe in novissimo loco...* — Desiderandum autem unum, mihi vere desiderabile : ut Deo perfecte serviam,
Psalm. 26. tamquam fidelis minister in domo ejus. *Unam petii a*
I Tim. 6. *Domino, hanc requiram : ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ...*

Reprimenda desideria carnis... desideria cupiditatis et avaritiæ... *Qui* enim *volunt divites fieri, incidunt in tentationem et in laqueum diaboli...*

Quoad amorem, removendus a corde amor proprius... amor carnalis... et omnis affectus sensualis erga creaturas, quæ unice in Domino et propter Dominum sunt amandæ... Exuendus quoque nimius affectus erga propinquos...

Similiter odium omne, imo omnis amaritudo erga homines quoscumque procul pellenda... Unice odisse debeo ac detestari quod odit ac detestatur Dominus, nempe peccatum...

Aperiendum autem cor divinæ charitati... amori Dei et proximi...

An ita studeo sanctificare animam meam, omnesque potentias ejus?... Quid posthac faciendum statuo?... Utinam anima mea similis esset animæ sanctissimæ Christi Domini!... Anima Christi sanctifica me, Cor Christi inflamma me purissima charitate tua...

De quinque sensibus. Oculi, aures.

Pr. 1. *Neque exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato; sed exhibete vos Deo, tanquam ex mortuis viventes, et membra vestra arma justitiæ Deo.* Rom. IV, 13.

Pr. 2. Ut sensus nostros ab omni iniquitate custodiamus, iisque sancte utamur, sicut ipse Christus Dominus et benedicta ejus Mater.

Considerandi duo priores sensus: I. oculi, II. aures.

I P. OCULI. — Fugiendi aspectus pravi, adhibendi aspectus boni.

Pravi sunt aspectus turpes... libidinosi... *Omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo...* An oculos meos diligenter custodio?... Matth. 5.

Item, aspectus immodestiæ... dissipationis... præsertim in templo.

Item, aspectus invidiæ... *Non rectis oculis Saül aspiciebat David a die illa...* I Reg. 18.

Item, aspectus curiositatis temerariæ... *Vidit mulier quod bonum esset lignum ad vescendum, et pulchrum oculis, aspectuque delectabile: et tulit de fructu illius et comedit...* Gen. 3.

O Domine, *averte oculos meos ne videant vanitatem...* Psalm. 118.

Boni sunt aspectus pietatis, ubi oculos defigimus in imaginem crucifixi... *Fecit Moyses serpentem æneum: quem cum percussi aspicerent, sanabantur...* Aut quum Num. 21.

aspicimus imagines B. Mariæ Virginis et Sanctorum, quæ totidem sunt specula virtutum...

Item, aspectus misericordiæ... quem nobis a Domino
Psalm. 118. petimus : *Aspice in me et miserere mei...* quo et nos debemus intueri pauperes...peccatores...miseros omnes...
Tob. 4. *Noli avertere faciem tuam ab ullo paupere...*

Item, aspectus benevolentiæ, benignitatis, charitatis...
Marc. 10. *Jesus, intuitus eum, dilexit eum...*

Item, aspectus vigilantiæ, ut omnia inspiciam diligenter quæ curæ meæ sunt concredita... nec cæco quodam modo
Luc. 12. confidam ministris inferioribus... *Beati servi illi, quos Dominus invenerit vigilantes...*

An ita ego moderari curo oculos meos ?.. Quid corrigendum ?...

Eccli. 28. II P. AURES. — *Sepi aures tuas spinis,* inquit Sapiens : *linguam nequam noli audire...* claudendæ itaque aures omni detractioni... susurrationi de defectibus proximi...
Prov. 22. item, irrisionibus... *Ejice derisorem, et cœbit cum eo jurgium, cessabuntque causæ et contumeliæ...*

Item, aures occlude omni censuræ de superioribus... stultiloquiis, quæ sacerdotem non decent... item verbis laudatoriis et adulationis...

Item,non facile aures præbeas delationibus... quæ solent esse erroneæ, vel amplificatæ, vel multum a rei veritate distantes...

Sed aures aperi monitis, quæ a superiore vel alio quovis tibi de defectibus tuis dantur...

Item, prædicationibus atque exhortationibus sanctis... et confessarii consiliis...

Item, audi libenter quæcumque ad proximi bonum et gloriam Dei tendunt...

Item, audi vocem pauperum... et eorum qui consilia petunt... neque respondeas priusquam bene audieris : *Sit omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum, et tardus ad iram...*

Item, audi libenter et patienter pœnitentes in sacro tribunali...

Item, et præsertim audi quæcumque præcepta Superiorum : obedientia enim præcipue sanctificatur auditus...
Psalm. 39. *Sacrificium et oblationem noluisti, aures autem perfe-*

cisti mihi... In capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam...

An ita ego auditum meum sanctifico ?...

O Domine Jesu, qui carne nostra indutus, cuncta sensuum nostrorum organa sanctificare dignatus es, da mihi, quæso, oculos auresque ita moderari secundum exemplum tuum, ut iisdem non nisi sanctissime utar. O Beatissima Virgo, quæ tam perfecte Jesum in usu sensuum imitata es, adjuva me ut in eodem usu me geram sicut tu ipsa exoptas...

De quinque sensibus. Gustus, odoratus, tactus.

Præludia eadem ac in meditatione præcedenti.

Considerandi I. gustus, II. odoratus, III. tactus.

I P. GUSTUS.— *Dederunt*, inquit Christus per os prophetæ, *in escam meam fel, et in siti mea potaverunt me aceto...* Quare Dominus in gustu suo ita voluit cruciari ? Nonne ad expiandam gulam protoparentum, qui fructum vetitum comederunt ?... Nonne ad expiandam sensualitatem tot sacerdotum, qui in esca... et præsertim in potu, tam inordinate gustus blandimenta quærunt ?... An ego satis de felle et aceto Domini recogito ?... Humiliter venia petatur... Psalm. 68.

Libenter itaque, si quid gustui minus placet, in spiritu mortificationis acceptandum...

Libenter a rebus etiam licitis aliquatenus abstinendum intuitu jejunii Christi, Apostolorum, omniumque Sanctorum... *In fame et siti, in jejuniis multis* .. « Sancti et « amici Christi Domino servierunt in fame et siti... O quam « strictam et abdicatam vitam sancti Patres in eremo « duxerunt ! Quam rigidas abstinentias peregerunt !... » II Cor. 11. Kemp.I,18

An jejunia ecclesiastica stricte observo, et observanda curo ?... An sobrietatem, non tantum verbis, sed etiam exemplis prædico ?... Quid practice statuendum vel refor-

mandum?... Nonne a Deo venia petenda? aut gratia imploranda?...

II P. ODORATUS. — Nonne in visitatione pauperum... infirmorum... nimis delicatum me exhibeo?... An etiam in sensu odoratus, ubi occurrit occasio, mortificationem Christi Domini exercere non negligo?...

At an fœtorem illum spiritualem, quem exhalant vitia et animarum morbi, patienter et misericorditer in confessionali sustineo, ut vulneribus medear animarum?...

An currere satago in odorem suavissimæ charitatis
Cantic. 1. Christi Domini?... secundum verbum istud: *Curremus in odorem unguentorum tuorum*... An ipsemet odorem Christi per pietatem et mansuetudidem meam diffundere
II Cor. 2. studeo?... *Christi bonus odor sumus*... Fac, quæso, Domine Jesu, ut hæc verba proferre possim in veritate...

III P. TACTUS. — Ad tactum pertinent omnes corporis commoditates et dolores...

Nonne ego, Christi crucifixi minister, nimis commoditatibus carnis servio... in lecto... habitatione et supellectili... in vestimentis?...

Nonne fugio laborem et fatigationem?...

Nonne tardus sum in surgendo, et primitias diei diabolo sensualitatis concedo?... Nonne ob defectum mortificationis corporalis, in oratione languco vel etiam obdormisco?...

Nonne ob minimum incommodum querimoniis, impatientiæ indulgeo?...

An frigoris... caloris... sitis... itineris... pluviæ incommoda libenter, intuitu Christi et animarum accepto?...
II Cor. 11. *Gloriabor*, inquit Apostolus, *in infirmitatibus meis... in laboribus plurimis, in itineribus sæpe, in vigiliis multis, in frigore et nuditate*...

An dolores corporis, ægritudinis... aut senectutis gravamina... sancte et patienter fero?... tum intuitu Christi et animarum... tum intuitu satisfactionis a me ipso solvendæ, ut purgatorium meum in hoc mundo peragam...

An recordor frequenter passionis Christi, et hujus verbi
Joan. 15. ejus: *Non est servus major Domino suo?*...

An præ oculis habeo præclaram S. Bernardi sententiam: *Sub capite spinoso non decet esse membrum delica-*

tum?... Et hanc S. Petri? *Christo igitur passo in carne,* I Pet. 4.
et vos eadem cogitatione armamini...

An exempla Sanctorum qui tanta pro Christo passi sunt, tam acerbas pœnitentias egerunt, in mente habeo?...

Quamnam itaque reformationem hic a me sanctitas vocationis meæ requirit?...

O Sancti apostoli, tu nominatim, Beate Paule, quanta passi estis pro Christo et animabus, quantos labores exantlastis! Facite, quæso, orationibus vestris, ut vestigia vestra, saltem a longe, sequi valeam.

De sacerdotis obligationibus.

Pr. 1. *Tu vero vigila, in omnibus labora, opus fac evangelistæ, ministerium tuum imple.* II Tim. IV, 5.

Pr. 2. Ut bene obligationes status mei cognoscam, easque accurate implere studeam.

I. Obligationes sacerdotis erga Deum, II. erga se ipsum, III. erga proximum.

I P. ERGA DEUM. — Sacerdos peculiari debet pollere pietate ac religione in omnibus quæ ad ministerium altaris, ad sacramenta et ad divinum cultum spectant...

An vivida fide intueor realem Jesu Christi in Sacramento altaris præsentiam?... quæ fides fundamentum est ac radix omnis devotionis erga hoc divinum mysterium... quod non sine causa *mysterium fidei* nuncupatur... O Jesu, adauge fidem meam, adauge fidem omnium in te credentium...

An religiose quoque curo munditiem in linteis, præsertim corporalibus, quæ circa divinam Eucharistiam adhibentur?...

An curo diligenter ut omnia in templo nitida sint et decenter composita?...

An sacramentum pœnitentiæ administro cum zelo... cum scientia... cum bonitate ac patientia... cum paterna gravitate?...

An doctrinam christianam doceo cum claritate... cum amore erga parvulos tam charos Cordi Jesu?...

An quæ pro concione dicturus sum, diligenter, quantum per tempus licet, præparo ?... An materias tracto practicas, quæque ad captum sunt audientium... unice intendendo utilitatem eorum... ac propterea ita loquendo,ut veritas pateat, ut veritas placeat, ut veritas moveat ad operandum?...

An officium divinum integre, devote et opportuno tempore recitare consuevi ?...

An meditationem, examen conscientiæ, rosarium, lectionem spiritualem, confessionem sacramentalem accurate perficio?...

An rectam intentionem in omnibus habere studeo ?...

Petatur venia de defectibus una cum gratia emendationis...

II P. ERGA SE IPSUM. — Tenetur sacerdos castitatem servare, imo angelicam puritatem æmulari, et corporis et mentis munditia... adeoque sensus omnes ab omni inordi-
1 Tim. 5. II Tim. 4. natione custodire : *Te ipsum castum custodi...*

Item sobrietatem colere et temperantiam : *Sobrius esto...*

II Tim. 2. Labori incumbere : *Labora sicut bonus miles Christi Jesu...*

Luc. 22. Joan. 13. Humilis esse... *Vos autem non sic : sed qui præcessor est in vobis, fiat sicut ministrator... — Ego lavi pedes vestros Dominus et Magister...*

II Cor. 6. Patienter et mansuete opus Dei peragere : *In multa patientia...*

Quærere demum non quæ sua sunt sed quæ Jesu Christi...

An in nulla harum obligationum deficio?... Venia petatur et gratia.

III P. ERGA ALIOS. — Superiores suos hierarchicos, Romanum Pontificem, Episcopum, et alios quicumque fuerint... sacerdos religiose venerari debet... amare... eisque obedientiam præstare sicut Christo... præsertim servando quæcumque Statutis diœcesanis præscribuntur...

Confratribus autem et collegis debet reverentiam illam,
Rom. 12. quæ excludit indecoram familiaritatem : *Honore invicem prævenientes...* debet charitatem et defectuum sufferen-
Galat. 6. tiam : *Alter alterius onera portate...* — Debent confratres sibi invicem adjutorium et obsequia in occasionibus...

debent in spiritu charitatis concordiam et unionem omni modo servare : *Ut sint unum sicut et nos unum sumus...* Joan. 17. *Ecce quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum !...* Psalm 132,

Absit omnis dissensio : *Implete gaudium meum*, inquit Apostolus, *ut idem sapiatis, unanimes idipsum sentientes...* — *Cum omni humilitate et mansuetudine, cum patientia, supportantes invicem in charitate, solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis. Unum corpus et unus spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestræ...* Philipp. 2. Eph. 4.

Erga subditos debet sacerdos bonum præbere exemplum in omnibus : *Imitatores mei estote, sicut et ego Christi...* 1 Cor. 4. et charitatem pastoralem... nimirum, mansuetudinem, patientiam... beneficentiam... Debet vigilare, habere curam sodalitatum piarum, ut S. Vincentii, S. Francisci Xaverii... nihil negligere et indefessim laborare usque ad finem vitæ... *Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis...* Joan. 10.

In fine, ferventi oratione petatur gratia copiosa ad explendas amussim sanctas obligationes, quæ clericali statui incumbunt...

De statutis diœcesanis.

Pr. 1. *Audi, fili mi, disciplinam patris, et ne dimittas legem matris tuæ.* Prov. I, 8.

P. 2. Ut amem in spiritu obedientiæ Ecclesiæ disciplinam et ordinationes superiorum.

I. Cur amanda Statuta diœcesana ? II. Quomodo servanda ?

I P. CUR AMANDA. — Statuta diœcesana ab Episcopo vi potestatis legislativæ condita, et a Sancta Sede approbata, velut ab ipso Christo Domino mihi proponuntur... *Qui* enim *vos audit, me audit...* Luc. 10.

Sunt itaque veluti regula mihi divinitus proposita : *Quicumque hanc regulam secuti fuerint, pax super illos et misericordia, et super Israel Dei...* Galat. 6.

Et quoniam a Deo veniunt, continent principium vitæ et
Luc. 10. successus : *Hoc fac et vives.*

Habenda sunt Statuta ut materia obedientiæ, adeoque ut principium fructus in ministerio et triumphi de diabolo :
Prov. 21. *Vir obediens loquetur victoriam...*

Qui ordinationes istas legitimas spernit vel servare
I Reg. 15. negligit... incommoda multa et pericula incurrit... *Numquid vult Dominus holocausta et victimas, et non potius ut obediatur voci Domini?... Pro eo ergo quod abjecisti sermonem Domini, abjecit te Dominus ne sis rex...*

Coram divino Judice aperietur ille liber Statutorum, una cum Evangelio, et respondere debebo quomodo servaverim
Psal. 7. omnia quæ in eo scripta sunt... *Judicium sedit, et libri aperti sunt.*

Statutis comprehenduntur quæcumque agenda mihi sunt ut sim perfectus, in sacerdotali spiritu, et in sacerdotali ministerio... quemadmodum tota monachi perfectio religiosa in suis regulis continetur...

An hactenus rite æstimavi thesaurum quem in Statutis possideo?... An sanctam illam ac facilem regulam bene agendi sequi studeo?... Domine Jesu, da mihi amare et observare perfecte regulam, quam mihi in Statutis diœcesanis dare dignatus es.

II P. QUOMODO SERVANDA. — Ut statuta perfecte serventur, necesse est ea probe cognosci et in praxi præ oculis haberi...

An ego ea cognoscere et intelligere studui?... An serio examine consideravi totius codicis divisionem in duas partes *de personis ecclesiasticis* et *de rebus ecclesiasticis*, quibus tota Ecclesiæ œconomia continetur?...

An varios titulos et capita ita memoriter teneo ut, quidquid in dubium venerit, facile inveniam?...

An in occurrentibus circumstantiis, ut recte me geram ad statutorum normam respicio?...

An identidem, saltem bis in anno, libellum Statutorum pro lectione spirituali totum evolvo?...

An circa præcipuas partes, qualis est titulus *de vita et honestate clericorum*, interdum meditationem instituo?... et varia puncta coram Deo perpendo, examinando an non mihi sint aliquando exprobranda a divino Judice?...

An quandoque meam vitam et agendi rationem ad normam Statutorum exigo, inquirendo, verbi gratia, utrum celebratio missæ, sacramentorum administratio, verbi Dei prædicatio a me peragatur sicuti Statuta requirunt?...

« Vehementer optamus, ait Ill. Malou in statutis diœ-
« cesis Brugensis, ut liber statutorum non tantum in biblio-
« thecis clericorum et sacerdotum reponatur, sed etiam,
« et maxime quidem, ut in eorum memoria fideliter des-
« cribatur, et in universa eorum agendi ratione quasi
« vivus exhibeatur. Nam si vel hæc statuta ab omnibus
« ad litteram servarentur, nihil profecto, nec a S. Matre
« Ecclesia, neque a Nobis, in vita dilecti nobis in Christo
« cleri desiderandum superesset... Quapropter omnibus
« suademus, ut singulis saltem mensibus, semel vel bis,
« unum articulum tituli primi, in quo de vita sacerdotali
« recte instituenda agitur, pro argumento meditationis
« suæ eligant; eoque in conspectu Domini perpenso, seip-
« sos interrogent, utrum vitam suam præscriptæ regulæ
« composuerint nec ne?...

Quid hactenus in his omnibus desiderandum reliqui?...

Quid in posterum?...

Concludatur meditatio ferventi ad Deum precatione, ut ad servandas quaslibet diœcesis leges, gratiam mihi uberem largiatur...

Pericula sacerdotis et causæ spiritualis ruinæ.

1 Pr. *Sobrii estote et vigilate, quia adversarius vester diabolus, tanquam leo rugiens, circuit, quærens quem devoret.* I Pet. v, 8.

2 Pr. Ut bene cognoscam pericula vitæ sacerdotalis, et ab iis semper diligentissime caveam.

Pericula occurrunt sacerdoti I. ex parte sui, II. ex parte mundi, III. ex parte diaboli.

I P. EX PARTE SUI. — Sacerdos, licet in sanctuario positus et velut in monte sancto... homo tamen est, et peri-

culo expositus... ut exemplo Judæ, ac tot aliorum patet...

Periculum ei est superbia, qua cecidit Lucifer de cœlo... sæpe non aperta, sed ut radix occulta, generans fructus mortiferos...

Fructus superbiæ est ambitio : non esse suo loco contentum... existimare sibi meliorem deberi... Inde tædia, querelæ, detrimenta spiritualia non levia...

Inde quoque inobedientia. Humilitate carens sacerdos non manet modeste in suo gradu ; extollit se, et quasi ex æquo agit cum superiore suo, sive Pastore, sive Decano, sive Episcopo... ejus præcepta et interdicta dijudicat, vituperat, negligit... correptionem ejus non humiliter recipit...

Hebr. 13. Hinc discordiæ et infinitæ miseriæ... *Obedite præpositis vestris et subjacete eis...*

Inde etiam temeritas. Sibi confidens, etsi clericus junior, consilium a viro prudenti non petit... monita fraterna respuit... pertinaciter proprio judicio inhæret...

Secundum periculum præbet pigritia atque segnities... segnities in labore studii... in labore ministerii...

Accedit periculum tertium, sensualitas... qua sacerdos frequentiora convivia sectatur... excursiones amat et immodicas recreationes...

Ab his nisi caveat homo Dei, mox erit animalis homo, sacerdotali spiritu destitutus...

An nihil hic mihi timendum ?... Quid prudentia postulat ?... Quid a Deo petendum ?... Eheu, quot pericula me circumdant !... O Domine, protegat me dextera tua...

II P. EX PARTE MUNDI. — Sacerdoti periculum est ava-

I Tim. 6. ritia, quæ perdidit Judam... *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem et in laqueum diaboli...*

Periculum deinde est, mala liberiorum fratrum exempla... verba... consortia... Quod quidem periculum præcipue

II Thess. 3. junioribus clericis est metuendum... *Denuntiamus vobis in nomine Domini nostri Jesu Christi, ut subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinate...*

Demum periculum est familiaritas cum laïcis, quibuscum agendum utique est, sed ministerii sacri causa vel intuitu... — et præsertim, familiaritas cum quacumque persona alterius sexus... *Nolite diligere mundum neque*

I Joan. 2. Joan. 15. *ea quæ in mundo sunt...* — *De mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo...*

Num vere me considero ac gero ut hominem Dei... de mundo isto profano segregatum ?... O angeli Dei, tu præsertim angele custos, adsitis mihi in omnibus viis meis, et pedes meos avertite a laqueis mundi...

III P. EX PARTE DIABOLI. — Multa sacerdoti a diabolo suscitantur pericula, struuntur insidiæ.

Imprimis neglectus exercitiorum pietatis, præsertim meditationis... quod est principium omnis mali... Si enim, ut propheta dicit, *in meditatione exardescit ignis;* deficiente meditatione, ignis internus et spiritus ecclesiasticus extinguitur... — Porro neglectus meditationis a tarditate in surgendo oriri solet... Psalm. 38.

Dein, tepiditas in rebus quæ ad Deum et animas pertinent... quæ manifestatur, tum in exercitiis privatis, tum in ministeriis publicis...

Privata pietatis exercitia sunt breviarii recitatio... et, præter meditationem ac examen conscientiæ, rosarium, visitatio Sanctissimi, Via crucis, confessio hebdomadaria... Quæ si oscitanter ac tepide fiant, mox, radice pietatis languente, spiritus ecclesiasticus deficiet...

Ministeria publica, nempe sacrificium missæ, sacramentorum administratio, verbi Dei prædicatio, satagit dæmon ut absque debita reverentia interna... et externa... fiant. Unde damnum animarum, animæ scilicet ipsius sacerdotis, et earum quæ ejus curæ sunt concreditæ...

Alius laqueus est conscientiæ laxitas, qua rector animarum graves suas obligationes parvi pendens, in negligentia obdormiat... — vel scrupulositas... damnose persistens eo quod non obediatur Christo Domino in persona confessarii...

Quomodo inter tot pericula tutus ero ? Nonne per humilitatem... pietatem... ac mortificationem... quibus cum Christo conjunctus ero ?... *Non timebo mala quoniam tu mecum es.* Psalm. 22.

O Domine Jesu, susceptor meus es tu et refugium meum !... Quamdiu tecum maneo securus ero... Ne permittas, quæso, ut per tepiditatem aut temeritatem discedam a te et peream...

De impedimentis et mediis in via sacerdotali positis.

—

Pr. 1. *Sint lumbi vestri præcincti et lucernæ ardentes in manibus vestris.* Luc. XII, 35.

Pr. 2. Ut bene intelligam in opere sanctificationis strenuam ex mea parte cooperationem requiri.

I. Quare impedimenta removenda et media adhibenda? II. Quænam impedimenta et media dantur?

I P. QUARE? — Ingredienti clerico viam sacerdotalis sanctitatis occurrunt, ex una parte, impedimenta removenda, ex altera vero adjumenta adhibenda... a divina Providentia ideo disposita, ut homo cum gratia cooperetur... *Qui te creavit sine te, non te salvabit sine te*, Augustinus ait. Quod principium S. Doctoris ad perfectionem cujusque statui propriam extenditur, et sacerdoti applicari potest hoc modo : *Qui te ad sacerdotium elegit sine te, non te sacerdotali sanctitate ornabit sine te...* non te defectibus ac vitiis liberabit... nec vir tutibus quibus effulgere debes in Ecclesia Dei, ornabit, nisi strenue gratiæ cooperando impedimenta removeas, et media adhibeas constanter...

Luc. 3. Quo spectat illud : *Parate viam Domini*...et istud : *Præ-*
I Reg. 7. *parate corda vestra Domino*... Volo, Domine : sed adjuva infirmitatem meam.

Nonne hæc suavis dispositio Providentiæ est, ut sicut in ordine naturæ, ita in ordine gratiæ, creaturarum suarum cooperationem requirat?... Si Deus dat homini agros et semina, nonne hominis est parare terram et semina jactare ut messis exsurgat?... Et si Providentia dat lapides et ligna, nonne homini incumbit ædificandi cura, ut habeat domum?...

Psalm. 126. Verissime quidem : *Nisi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt qui ædificant eam ;* at nisi homo strenue allaboraverit, neque ipse Dominus ædificabit spiritualem domum sanctificationis nostræ...

Cur itaque non pauci sacerdotes parum in virtute progrediuntur? Cur post plures annos iisdem defectibus ac

vitiis obnoxii?... Cur eadem semper indigentia aut absentia virtutis, patientiæ, charitatis, humilitatis?... Causa sane non est defectus gratiæ ex parte Dei. Etenim non minus illi quam cæteri sacramentum Ordinis receperunt... nec minus quotidie missæ sacrificium celebrant... nec minus ipsis Dei offertur auxilium, quo alii sancti evadunt...

Quæ igitur causa cur in miserabili statu hærent? nisi quia impedimenta non tollunt... aut media efficacia non adhibent ut par est... Nonne jubet Dominus *tollere lapidem... implere hydrias aqua?...* Joan. 11. Joan. 2.

Tres distingui possunt sacerdotum classes: alii nulla adhibent media, semper in crastinum differentes... et hi vitam trahunt minime sacerdotalem usque ad mortem, et ad tremendum tribunal Dei...

Alii adhibent media aliqua, sed non efficacia... neque constanter... et hi miseram ac tepidam vitam ducunt... in hora autem mortis dolebunt vehementer...

Alii demum generoso animo adhibent media omnia, dicentes: *Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum!...* Et isti progrediuntur *de virtute in virtutem, donec videant Deum deorum in Sion...* Psalm. 56. Psalm. 83.

Ad quam ex his classibus pertinere volo?... Quid hic oratione petendum?...

II P. QUÆNAM IMPEDIMENTA ET QUÆ MEDIA SUNT? — Inter impedimenta quibus progressu spirituali arcetur sacerdos, primo loco venit tepiditas... quæ vincitur fervore in divino servitio...

Deinde sensualitas et otiositas, quæ inducere solent affectus carnales et teneriores, quibus cor alligatur...

Tertio, dissipatio, de qua scriptum est: *Effusus es sicut aqua, non crescas...* Gen. 49.

Quarto, exterioris hominis neglectus... qui corrigendus est modestia clericali...

Media præcipua et quibus reliqua continentur, sunt imprimis meditatio quotidiana... examen conscientiæ diligenter institutum et impugnatio defectus dominantis... secessus annuus, cui tanquam complementum accedit recollectio menstrua et hebdomadaria... demum spiritus laboris et ordinis...

Nec omittendum profecto quod essentiale est, ut ædifi-

cetur domus *supra petram*, id est super fundamentum duplex : odium peccati et vitæ sanctæ propositum...

Concludam oratione ferventi, qua statuam cum divina gratia quælibet impedimenta removere, et adhibere media ut dignus evadam sacerdos secundum cor Domini.

De vitæ sanctæ proposito.

Pr. 1. *Juravi et statui custodire judicia justitiæ tuæ.* Ps. 118.

Pr. 2. Ut intelligam quanti sit momenti vitæ sanctæ propositum, illudque firmissime constituam.

I. Quid nomine propositi sancti intelligendum. II. Quare hujusmodi propositum concipiendum.

I P. NOTIO. — Propositum sanctum, seu propositum sanctæ vitæ, est firma determinatio ac voluntas instituendi vitam vere sacerdotalem, totumque vitæ cursum Domino consecrandi, et ad hoc idonea media adhibendi...

Quid tali proposito justius, quid convenientius?...

At vero, vita *vere sacerdotalis* quid est? Nonne talis vivendi ratio qualis sacerdotem decet?... nonne vita, tum Apostolorum, tum Christi vitæ simillima?... nonne vita a peccato ac mundi vanitatibus aliena?... nonne vita exemplaris, quæ fidelium oculis speculum sit christianæ sanctitatis?...

Propositum itaque sanctum illud est : Sacerdos sum, et ut sacerdotem Domini decet, vitam degere volo usque ad mortem...

Quid autem est *vitam Domino consecrare?* nisi totum vitæ tempus impendere gloriæ Dei et saluti animarum...

Joan. 17. Hoc est opus Dei, de quo Christus dicebat : *Pater, opus consummavi quod dedisti mihi ut faciam...* Nonne ita, post Christum Dominum, vitam suam Deo consecrarunt Apostoli, omnesque eorum digni successores?...

Igitur propositum sanctum erit, si dicam ex animo : Sacerdos sum, segregatus cum Paulo in evangelium Dei :

volo proinde vitam integram negotio Dei et animarum impendere...

Quænam autem sunt *media idonea*, velut complementum proposito adjecta ? Hæc duo principalia occurrunt adhibenda : oratio et labor... sine quibus vita vere sacerdotalis, aut Deo consecrata esse non possit...

Igitur propositum sanctum perficiam, si dicam ex animo: Ut vitam degam vere sacerdotalem, volo esse vir orationis et laboris... Quod ut efficaciter fiat, auxilium gratiæ postulandum...

II P. PROPOSITI STATUENDI MOTIVA.— Plures me rationes movere debent, ut propositum sanctum circa totam meam vitam firmiter et immutabiliter constituam : scilicet obligatio qua teneor, utilitas et necessitas hujusmodi propositi.

Nonne ad vitam sacerdotalem ac sanctam ducendam obligor vi vocationis meæ, qua factus sum *homo Dei*... qui sicut Apostoli, relictis retibus sequi debeo Dominum... *militans Deo et non implicans se negotiis sæcularibus*... II Tim. 2.

Nonne sacra ordinatione Deo et Ecclesiæ consecratus sum?... Nonne velut contractum inivi cum Deo in sacramento Ordinis ? Deus enim dedit mihi gratiam et promisit gloriam... ego vero memetipsum Deo integre tradidi et consecravi...

Nonne igitur sanctam hanc obligationem implere firmum ratumque mihi esse debet?...

Deinde propositum sanctum nonne principium est omnis boni?... Inde enim quasi fructus consequuntur vera pax et tranquillitas animi... in muneribus ecclesiasticis obeundis alacritas... adversus tentationes irruentes robur... ex hoc demum proposito firmiter concepto et quotidie iterato procedit perseverantia, quæ virtutum reliquarum velut coronis est et complementum...

Denique an non necessarium esse intelligitur propositum firmissimum ? Siquidem eo deficiente, vita sacerdotis ut plurimum infrugifera... instabilis... variisque periculis spiritualibus est obnoxia, præsertim periculo tepiditatis...

Quid igitur obstat quin hac ipsa hora, hoc ipso momento, divina gratia innixus, concipiam inconcussum propositum vitæ meæ secundum Dei voluntatem instituendæ, et ad

normam muneris, mihi ab Ecclesia imponendi vel impositi, componendæ ?...

Illud itaque propositum sic conceptum Deo offeram, per Christi merita postulans, ut in eo me stabilire et confirmare dignetur... eamdemque oblationem et postulationem
Philipp. 1. quotidie curabo renovare, ut *qui cœpit in me opus bonum, perficiat...*

De duplici fundamento.

Pr. 1. *Assimilabitur viro sapienti, qui ædificavit domum suam supra petram.* Math. VII, 24.

Pr. 2. Ut ædificium sacerdotalis vitæ imponam fundamento bono, quo firmiter consistat et consummetur.

Fundamentum bonum duplex ponendum : I. odium peccati, II. propositum perfectionis assequendæ.

1 P. ODIUM PECCATI. — Solida illa petra in qua, affirmante Domino, domum nostræ salutis ac perfectionis stabilire debemus, ut insultibus ac procellis tentationum non corruat, est *odium peccati...* seu timor Domini,
Psalm.110. scilicet timor offendendi Domini per peccatum : *Initium sapientiæ timor Domini...*

An illud in imo corde posui fundamentum, odium peccati ?... an semper firmius stabilire studeo ?... An ex
Psalm.118. animo pronuntio quotidie hæc verba Psalmi : *Iniquitatem odio habui et abominatus sum ?...*

Quodnam autem et quale hujusmodi odium esse debet?...

Requiritur imprimis odium peccati mortalis, quo malum istud abhorream tanquam pejus omni malo... adeoque absque deliberatione, majore voluntatis impetu repellam quam corporalem mortem, aut supplicium fornacis ardentis...

Requiritur insuper odium peccati venialis tale, ut firma fide credam vel minimum peccatum veniale esse oculis Dei malum, pejus omni malo temporali... simulque efficaci

studio contendam, quoad pro humana fragilitate licet, peccata venialia evitare...

Ut autem hoc salutare odium animam meam penitus pervadat, confert interdum de peccato meditari... Oratione odium peccati et spiritum pœnitentiæ postulare... elicere frequenter et ex animo actum contritionis... humiliter veniam peccatorum implorare, tum in oratione, tum in missæ sacrificio, tum in examine conscientiæ quotidiano... — Da mihi, Domine, ex animo dicere et cum rei veritate : *Iniquitatem odio habui et abominatus sum.*

II P. PROPOSITUM PERFECTIONIS. — Hoc nomine intelligitur voluntas sacerdotis determinata et efficax perfectionem status sui assequendi...

Atqui propositum perfectionis non minus necessarium est sanctificationis nostræ operi, quam fundamentum ædificio, radix arbori...

Si desit perfectionis propositum, ad perfectionem non pervenitur ; imo vix proceditur... sed in peccatis aut misera tepiditate hæret animus et languescit...

Sin propositum adsit, sequuntur conatus, adhibentur media, superantur obstacula... assurgitur, proceditur...

Unde differentia tanta inter sacerdotes ? unde vigor in unis et languor in aliis ?... Nonne quia vel inest vel deest propositum, ceu energiæ principium ?...

Quale autem propositum requiritur ? Imprimis requiritur ut sit verum, id est non mera velleitas... sed determinata voluntas, quæ non tantum perfectionis quodam sterili amore capitur, eamque possidere *vellet ;* sed eam assequi statuit et vult omnino, dicens : unum mihi necessarium, ut secundum vocationem meam, bonus ac sanctus sacerdos existam : talis ese volo, talis ero : *Juravi et statui custodire judicia justitiæ tuæ...* Psalm.118.

Sit deinde propositum firmum, fundatum in motivis solidis ac rite intellectis... quæ sunt : perfectionis sacerdotalis excellentia ac felicitas, pro tempore et pro æternitate... ex mea vero parte, ejusdem necessitas et obligatio... Porro propositum hujusmodi quotidie renovandum ac stabiliendum est : *Omni die renovare debemus propositum nostrum...* Kemp.I,19.

Sit generosum : ut ad summa, ad perfectionis apicem

contendamus... eo magis quod, sicut sagittarii, ut attingamus metam, altius collimare debemus...

Sit efficax : ut manum operi admoveamus, mediaque adhibeamus serio et constanter... Qualia sunt ordo diurnus, meditatio, examen conscientiæ...

Sit fiduciale, id est, conjunctum cum diffidentia sui... et
Matth. 19. cum fiducia in Domino. *Apud homines*, aiebat Christus, *hoc impossibile est : apud Deum autem omnia possibilia sunt*... Quapropter instandum orationi assidue... nec unquam animo cadendum... sed exorandus suppliciter Dominus, ut quemadmodum largitus est hoc propositum sancte concipere, ita quoque ad explendum gratiam uberem largiatur...

An sicut sapiens architectus duplex hoc fundamentum posui?... idque stabilire diligenter curo?... A Christo Domino petatur ut ipsemet sancte me in suo amore stabiliat : nisi enim ipse ædificaverit domum, in vanum laborabo ego in ædificanda et firmanda ea...

De humana vita in hoc mundo.

Pr. 1. *Non habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus.* Hebr. XIII, 14.

Pr. 2. Ut meam vitam in hoc mundo recte intelligam eamque peragam sapienter.

I. Quid sit humana vita in hoc mundo. II. Quomodo eam degere oporteat.

I P. QUID SIT. — Humana vita intelligitur tempus existentiæ hominis in terra ; interdum autem pro ipsa hominis existentia accipitur.

Vita hominis in hoc mundo est transitus, planta fructifera sed caduca, præparatio et missio...

1° Humana vita est transitus hominis in terra, non quieta nec stabilis habitatio... Nonne omnes transierunt qui vixerunt ante nos?... Nonne omnia cum homine transeunt,

bona quæ possidet, mala quæ patitur ?... *Transierunt omnia illa...* Sap. 2.

At quo ? Ad mundum alterum et stabilem... ubi non jam transitur... *Non habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus...* — Ad patriam, ubi maneamus cum Patre nostro in cœlis... quo præcessit Christus, ipsemet *transiens ex hoc mundo ad Patrem...* — Num eodem eum sequi studeo ?... Sequar te, Domine, quocumque ieris... Hebr. 13. Joan. 13.

Via autem periculosa est et similis procelloso mari... At parum refert, aiebat S. Franciscus Salesius, si trajectus fuerit laboriosus... et navicula vilis ac minime deaurata... dummodo secure ad portum perveniat...

Quid e contra homini prodest, quod cursus sit jucundus... deducatur vero ad abyssum, et animæ suæ detrimentum patiatur ?...

2° Humana vita, seu homo in terra aliquamdiu vivens, exhibetur in Scripturis ut planta, quæ *mane floreat et transeat, vespere decidat, induret et arescat...* — *Homo*, inquit propheta Job, *natus de muliere, brevi vivens tempore... quasi flos egreditur et conteritur, et fugit velut umbra...* Psalm. 89. Job. 14.

Quidquid in homine externum est, quidquid ad animam non pertinens, *caro* vocatur... sicut flos marcescit, et veterascit sicut vestimentum quod comeditur a tinea... *Omnis caro fenum, et omnis gloria ejus quasi flos agri : exsiccatum est fenum et cecidit flos...* Ubi sunt flores anni præteriti ?... et ubi tot sacerdotes qui floruerunt ante me ?... Nonne similiter in pulverem mox decidet quidquid in me corporale est ?... Vanitas ergo... Isai. 40.

At vero, licet decidua planta, vel arbor, ideo tamen terram aliquantisper occupat, ut producat fructum suum... et quidem bonum : *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur et in ignem mittetur...* Fructus ille quid porro aliud est, quam sanctificatio animæ, quæ in homine mortali, sicut amygdalum sub cortice succrescit ?.. Cortex autem, id est corpus et corporalia bona, sacrificanda est pro fructu spirituali animæ : *Qui amat animam suam perdet eam ; et qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam ?...* Matth. 7. Joan. 12.

3° Vita hominis in hoc mundo præparatio est... præparatio, inquam, vitæ novæ in mundo venturo... Quapropter vigilandum ac laborandum esse monet Dominus, ut *parati* inveniamur ad intrandum cum Sponso ad nuptias... Non ergo præsens vita est tempus quietis, dormitionis, oblectationis...

Porro præparatio ista exhibetur ut ædificatio domus, turris, templi cujuspiam spiritualis... in superna civitate locandi... — Ut sementis, qua seminare debemus merita, in cœlo metenda : *Quæ seminaverit homo hæc et metet...* — Respectu vero mei, sacerdotis, est potius negotiatio, qua talenta mihi a Domino concredita ad spirituale lucrum adhibeam... atque ita thesaurizem mihi thesauros in cœlo... Quod si tempore vitæ gnavus negotiator fuero, dicetur mihi in morte : *Euge, serve bone et fidelis, intra in gaudium Domini tui...* Secus autem audiam ista : *Serve male et piger... discede in tenebras exteriores...* O Domine, ab hac sententia mortis libera me...

Galat. 6.

Matth. 25.

Matth. 20. 4° Vita hominis in hoc mundo missio vocatur : *Conventione facta cum operariis, misit eos in vineam suam...* — Peculiari tamen modo vita sacerdotis missio est : *Sicut misit me Pater et ego mitto vos... elegi vos et posui vos ut eatis, et fructum afferatis...* Non ergo vita mea deambulatio fieri potest, aut otiosa occupatio...

Joan. 20. 15.

Quomodo hactenus vitam meam consideravi ?... Quomodo tempus impendi, missionem implevi ?... Quid faciam deinceps ?... Pro te Domine, quod reliquum manet impendere volo...

II P. QUOMODO VITA DEGENDA ? — Quoniam non habeo nisi unicam vitam... ita eam impendere debeo, ut per totam æternitatem non debeam lugere ejusdem jacturam irreparabilem...

Non habeo nisi unicam vitam, non licet eam perdere ac dissipare...

Non habeo nisi unicam vitam, ita eam degere debeo ut producat fructum suum, vitam æternam...

Ita me oportet vitam degere ut plene respondeam consiliis Dei circa me... ut impleam missionem... opus Domini mihi concreditum... et in fine dicere possim : *Pater, opus consummavi, quod dedisti mihi ut faciam...*

Joan. 17.

Inter sacerdotes qui jam cursum absolverunt, alii, tempus inaniter consumendo, perierunt... alii vero idem tempus utiliter expendendo, æternam mercedem meruerunt... hos utique, non illos, imitabor...

Ita igitur vivam ac laborabo, ut in hora mortis lucrum Deo exhibere possim et dicere : *Domine, quinque talenta tradidisti mihi : ecce alia quinque superlucratus sum...* Matth. 25.

Ut hæc non sint inania proposita, nec vita mea incassum abeat, quid faciam ?:.. Quid a Deo petendum ?...

Motiva vitam Deo perfecte consecrandi.

Pr. 1. *Momentaneum et leve tribulationis nostræ... æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* II Cor. IV, 17.

Pr. 2. Ut, spectata magnitudine æternorum bonorum, omnino et non ex parte me divino servitio devoveam.

I. Laboris brevitas. II. Mercedis magnitudo. III. Imminentia mortis. IV. Virtutis cum gratia Dei facilitas.

I P. LABORIS BREVITAS. — Humana vita, æternitati comparata, quam brevis est !... Nonne momentum aufugiens ?... Ipsam autem æternitatis durationem quis mensurare potest ?... quippe quæ in orbem perpetuum versatur, nec unquam finem invenire potest... Quantum igitur bonum immortali animæ, si per totam hanc æternitatem possideat beatitudinem !...

Quanta Dei bonitas, qui tantum bonum offert homini et quidem vilissimo pretio !... In hoc mundo commercii commutationes fiunt secundum regulam æqualitatis : ita ut emptor a venditore non recipiat nisi mercem quæ pretio dato æquivaleat ; at promissa nobis æterna vita, inæstimabilis... modicissimo pretio emitur...

Nonne scriptum est : *Dies annorum nostrorum in ipsis, septuaginta anni. Si autem in potentatibus, octo-* Psalm. 89.

ginta anni? Postquam igitur per octoginta annos, ponamus, ut extremum vitæ limitem, per centum annos in servitio Dei laboravero ; non eumdem dumtaxat numerum annorum dabit nobis Dominus regnare cum ipso in cœlis... verum pro spatio famulatus tam brevi, regnum cœlorum possidebo per sæcula omnia et infinita...

II Cor. 4. *Momentaneum* itaque *et leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis...*

Et omnes Beati in cœlis cum immenso gaudio exclaEccli. 51. mant : *Modicum laboravi, et inveni mihi multam requiem...*

Quis non libenter laboraret per unum annum, ut fortunam accipiat quinquaginta annis duraturam ! Et ego non laborarem brevi vitæ spatio, ut beatitudine fruar per annos æternos ?... Quid feci hactenus ?... Quid faciam deinceps ?... Pro te solo, Domine Jesu, quod reliquum vitæ manet consumere volo...

II P. MAGNITUDO MERCEDIS. — Hæreditatem accipiemus a Patre cœlesti, non terram... sed cœlum, cujus terrena bona vix umbra sunt... Si reges hujus mundi regali magnificentia sibi ministrantes remunerant, quanto magnificentius coronabit fideles servos Rex regum et Dominus Matth. 5. dominantium !... *Gaudete*, inquit, *et exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis...*

Nonne juxta mentem S. Augustini, octoginta anni pœnitentiæ in terra nequeunt digne mereri vel unicum diem Psalm. 83. beatitudinis in cœlo ?... *Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum ! Concupiscit et deficit anima mea in atria Domini... Beati qui habitant in domo tua, Domine : in sæcula sæculorum laudabunt te... Quia melior est dies una in atriis tuis super millia...*

Hebr. 12. Proposito itaque tanto bono, ne vincamur tædio aut fatigatione ulla... *Ne fatigemur, animis nostris deficientes...*
Rom. 8. quia *non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis...*

Ne pigeat nunc carnem laboribus exercere ; ipsa namque mercede sua non carebit... corpus enim corruptibile deponemus, ut idem postea incorruptum reassumamus et immortale...

Demus igitur temporalia pro æternis, terrena pro cœlestibus... Qui enim universum mundum sacrificaret pro bonis supernis, rem nullius pretii, quasi flosculum marcescibilem dedisset pro throno regio...

Nonne thesaurum hunc divenditis omnibus mihi debeo comparare ?... Quid difficile, quid durum videri possit, ubi de bono hoc inæstimabili agitur ?...O Domine Jesu, offero tibi universa, do totum pro toto...

III P. IMMINENTIA MORTIS. — Nonne vividum in servitio Dei incitamentum est memoria mortis ?... Dum bona hujus vitæ ac jucunditates sæculi propter Deum relinquo, quid aliud facio, quam deponere paulo citius quod paulo tardius mors eripiet ?... Nonne longe melius est sponte propter regnum cœlorum abdicare ea, quæ brevi cogemur absque merito relinquere morientes ?...

Nullius pretii æstimare debet sacerdos ea, quæ moriens asportare non poterit...

Semper in mente habeas fragilitatem vitæ, qua vel unam horam nequis considerare ut certam...Mane, non tibi promitte ad vesperam pervenire, nec vespere, te visurum mane... Ambula quasi in umbra mortis semper, et nullo affectu ad bona terrena ligaberis...nec in divino servitio unquam tepesces...

An ita vivo quasi quotidie moriturus?...Da mihi,Domine, hanc gratiam.

IV P. VIRTUTIS FACILITAS. — Ne terrearis a facie virtutis, quasi res foret tam ardua ut humanas vires superet... Ad eam enim assequendam, sufficit velle... *Amicus Dei esse si voluero*, inquit S. Augustinus, *ecce nunc fio*...

Omni loco, omni tempore, omnis homo se sanctificare potest... dummodo ex toto corde velit... Accedente enim gratia Dei, quæ petenti non deerit, quidquid difficillimum videbatur, planum fiet... *Regnum Dei intra vos est*, id est, in corde vestro regnabit Deus, statim ac voluntate generosa cor Deo aperietis... Luc. 17.

Nonne igitur cor meum totum Deo aperiam, vitamque meam integre ejus servitio et Ecclesiæ ejus consecrabo ?... Hoc volo, Domine Jesu, hoc statuo : adjuva me, quæso, auxilio gratiæ tuæ... Beatissima Virgo, ora pro me.

De pugna spirituali.

Pr. 1. *Regnum cœlorum vim patitur, violenti rapiunt illud.* Matth. XI, 12.

Pr. 2. Ut novo accendar ardore ad prælianda prælia Domini.

I. Quale bellum? II. Quinam hostes? III. Quomodo vincendi?

I P. NATURA BELLI. — Propositum bellum est spirituale, ad vindicandum nobis regnum cœlorum... De corona
I Pet. 5. agitur æterna, *ut cum apparuerit princeps pastorum, percipiamus immarcescibilem gloriæ coronam...*
Matth. 11. Bellum idem est necessarium... *Regnum cœlorum*, inquit Dominus, *vim patitur, et violenti rapiunt illud...* Ignavi igitur, qui vim adhibere nolunt, sed suaviter vivere .. illud non possidebunt.
II Tim. 2. Quicumque certare detrectat, privabitur corona : *Non coronabitur nisi qui legitime certaverit...*
Job. 7. Est bellum exsurgens ex ipsa conditione humana : *Militia est vita hominis super terram... — Caro enim*, in-
Galat. 5. quit Apostolus, *concupiscit adversus spiritum, et spiritus adversus carnem : hæc enim sibi invicem adversantur...*
Sess. 5. — « In baptizatis, inquit Tridentinum Concilium, remanet « concupiscentia, quæ cum ad agonem relicta sit, nocere « non consentientibus, sed viriliter per Jesu Christi gra- « tiam repugnantibus non valet : quinimo, qui legitime « certaverit coronabitur... »

Bellum dein sanctum et gloriosum, quod Christus pri-
Psalm. 33. mus et post eum omnes Sancti obierunt... *Quis est iste rex gloriæ? Dominus fortis et potens, Dominus potens in*
II Tim. 4. *prælio... — Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi...*

Bellum cujus victoria perseverantibus certa est : *Con-*
Joan. 16. Matth. 24. *fidite, ego vici mundum... — Audituri estis prælia et opiniones prœliorum... ne turbemini... qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit...*

Victoria autem est destructio peccati... et acquirenda sacerdotalis sanctitas in præsenti sæculo ; gloria vero æterna in futuro...

Num tale certamen mihi fas est detrectare ?... Num hactenus fortiter illud inivi?... Quid in posterum?... Tu, quæso, Domine, *doce manus meas ad prælium et digitos meos ad bellum...* Ps. 143.

II P. HOSTES. — Hostis generatim est peccatum, a sacerdote debellandum in se et in aliis... — In particulari, hostes animæ sunt diabolus, mundus et caro...

Diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret... præsertim devorare quærens sacerdotem, nisi caveat... *Non est nobis colluctatio* dumtaxat *adversus carnem et sanguinem ; sed adversus principes et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus.* I Pet. 5. Ephes. 6.

A diabolo magis directe oriri solent motus superbiæ, inobedientiæ, et quæcumque fidei, pietati, orationi, ac religioni adversantur... Cognoscam inde quandonam a diabolo movear...

Mundus, magnus auxiliator diaboli, sacerdotem vincere conatur seducendo vel terrendo... per blandimenta divitiarum, honorum...vel per minas, vexationes,persecutiones...

Caro, id est nosmetipsi .. indoles nostra prava, inclinationes perversæ, passiones, quibus tanquam laqueis nos capit diabolus, si imprudenter eas nutriendo corroboremus...

An vere mundum cum suis blandimentis... carnem meam cum suis appetitibus... memetipsum et amorem proprium hostes reputo?...

At, Deo testante, diabolus, mundus et caro, veri sunt hostes animæ, nunquam dormientes, nec inducias agentes... quos vincere me oportet : *Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo...* Tu autem, Deus meus, per virtutem gratiæ tuæ *triumphas nos in Christo Jesu...* Apoc. 3. II Cor. 2.

III P. VICTORIA. — Ad vincendum duo requiruntur : fortitudo et arma...

Fortitudinem dabit fides, quæ hinc cœlum ostendit, inde infernum... *Resistite fortes in fide.* — Fortitudinem quoque suggeret fiducia in Deo : *Omnia possum in eo qui me confortat...* I Pet. 5. Philipp. 4.

Arma adhibenda sunt spiritualia : *Arma militiæ nostræ non carnalia sunt, sed potentia Deo...* Nimirum, II Cor. 10.

Oratio, qua Christi miles semper debet esse armatus...

Matth. 26. Luc. 18. *Vigilate et orate, ut non intretis in tentationem... — Quoniam oportet semper orare et non deficere...*

Sanctus usus sacramentorum...confessio hebdomadaria...

Examen conscientiæ quotidianum...

Jejunium, quo vitia comprimuntur...

Mortificatio christiana, qua homo se ipsum generose vincere assuescit...

Labor assiduus, pro Christo et Ecclesia exantlatus :

II Tim. 2. *Labora sicut bonus miles Christi Jesu. Nemo militans Deo, implicat se negotiis sæcularibus...*

An ego hæc arma constanter adhibeo ?... nunquam depono ?...

O Domine Jesu, bellator fortis, potens in prælio, qui vicisti pro nobis mundum et diabolicas potestates, tu, quæso,

Psalm. 17. indue me virtute tua ex alto, ut *persequar inimicos meos et comprehendam illos : et non convertar donec deficiant. Confringam illos, nec poterunt stare : cadent subtus pedes meos. Præcinge me virtute ad bellum, et comminuam insurgentes in me, ut pulverem ante faciem venti : ut lutum platearum delebo eos...*

De passionibus domandis.

Pr. 1. *Sub te erit appetitus ejus, et tu dominaberis illius.* Gen. IV, 8.

Pr. 2. Ut intelligam quam necessarium sit passiones meas domare, utque reapse eas semper sub imperio teneam.

I. Quare passiones domandæ ? II. Quænam imprimis coercendæ sunt ? III. Quomodo id perficiendum ?

I P. QUARE PASSIONES DOMANDÆ ? — Cur sacerdos passionibus suis et cupiditatibus invigilare debet, easque sub jugo tenere ? Quia, etsi homo Dei dicitur, homo tamen est et passiones in corde gerit ; quæ nisi sub jugo teneantur, insolescent, eumque præcipitabunt in ruinam...

Quid perdidit Judam? nisi indomita passio avaritiæ... Quid post Judam tot perdidit sacerdotes?... Nonne superbia, ambitio, luxuria, potus?... *Vinum et mulieres apostatare faciunt sapientes...* Eccli. 19.

Si quando sacerdos deflectit a via sua...si evadit gravamen, mœror superioribus suis... fidelibus scandalum... sibimetipsi carnifex... quæ causa est nisi male domita passio?...

Quid impedit sæpissime spiritualem sacerdotis progressum?... aut successum in sacro ministerio?... quid hominem aliunde non indoctum, impotentem reddit, imo invisum populo et contemptitilem?... nisi passio quæpiam, cui indulget et obedit potius quam Spiritui sancto...

Nonne sacerdotis est frequenter populo explicare hoc Spiritus sancti monitum: *Post concupiscentias tuas non eas... si præstes animæ tuæ concupiscentias ejus, faciet te in gaudium inimicis tuis* .. Quod autem prædicat aliis nonne debet ipse implere? Eccli. 18.

Quid sacerdotem miserum reddit et sibimetipsi gravem?... Nonne fermentum pravæ cupiditatis quod non expurgavit?

E contra, ubi sacerdos, compositis animæ motibus, ordinem in suo corde stabilivit, quo sensus obediant rationi, ratio autem Deo ac divinæ voluntati, tunc vere beatus: *Est enim victor sui et Dominus mundi, amicus Christi et hæres cœli...* Kemp.II,3.

Quid maxime facit ad spiritualem progressum... disponit ad pietatis exercitia, ad meditationem, omnemque consuetudinem cum Deo? nonne animus moderatus, et sedatis passionibus tranquillus?...

Nonne eadem tranquillitas mentem aptam reddit ad scientiam et ad negotiorum intelligentiam?...

Nonne hæc animi moderatio et mansuetudo sacerdotem reddit Deo et hominibus amabilem, atque ad lucrandas animas aptissimum?... Nonne eadem maximam ipsi confert potentiam, ut sit vir potens opere et sermone?... *Melior est patiens viro forti: et qui dominatur animo suo, expugnatore urbium...* Prov. 16.

Nonne ergo necesse est, ut omni cura et generositate imperium in memetipsum acquiram et sustineam?... Domine Jesu, da mihi fortitudinem Cordis tui...

II P. QUÆNAM IMPRIMIS PASSIONES COERCENDÆ? — Non patiatur sacerdos Domini ut regnet in corde suo superbia et ambitio... aut avaritia... aut sensualitas et intemperantia, quæ inducit luxuriam... aut iracundia, quæ a mitissimo Jesu, exemplari ejus tam est aliena...

Deinde passio quæ vocatur *dominans*, illa quæ inter inclinationes pravas, majorem obtinet in homine potentiam, imprimis debellanda venit : hac enim devicta, reliquæ facilius subigentur...

Passio autem dominans ut dignoscatur, videndum est quinam sit in nobis præcipuus fons defectuum et peccatorum... quæ causa frequentior perturbationis et remorsuum animæ... quæ præcipua materia confessionum... quinam defectus quasi prædilectus, de quo moneri non patimur... de quo gementes intimo corde cogimur confiteri : hoc vitio si non laborarem, ab omnibus fere defectibus liber essem... Beatissima Virgo, da mihi virtutem contra hostes tuos, da mihi conterere hoc caput serpentis...

Quænam in me regnant passiones... vel saltem hospitantur, etsi sopitæ?... Quodnam vitium dominans?... An hic servus esse malo quam dominus?... Tu autem, Domine, es virtus salutis meæ...

III P. QUOMODO? — Cum fortitudine magna, secundum
Psalm. 17. illud : *Persequar inimicos meos et comprehendam illos : et non convertar donec deficiant...*

Generose vincendo nosmetipsos, secundum regulam a S. Ignatio datam S. Francisco Xaverio : *Vince te ipsum...*

Adhibendo *examen particulare*, adjuncta sanctionis loco aliqua pœna...

Mutando passionis objectum. Qui se propensum sentit ad amorem carnalem, tradat cor suum dilectioni amabilissimi Jesu et B. Mariæ Virginis... Qui impellitur ad ambitionem, quærat gloriam veram, quam Christus Dominus offert sequentibus se...

Adhibendo passionum contraria : qui indole superbus est, exerceat se in humilitate... qui avarus, in largiendis eleemosynis... qui iracundus, in patientia et mansuetudine...

Recurrendo ad auxilium Dei. Cum aliquando Dominus exprobraret famulæ suæ, B. Margaritæ Mariæ, quod repu-

gnantiam qua in officio quopiam deficiebat, non vinceret : O Domine, non possum, ait illa : mea enim voluntas infirmior est. — Respondit Dominus : Pone igitur voluntatem in corde meo, ibi robur accipiet ut sese vincat... *Omnia possum in eo qui me confortat...* Philipp. 4.

O Domine Jesu, adjuva me servum ac militem tuum : non enim patiar ut dominentur mihi inimici tui. Volo tecum vincere ut merear coronari, et dicere possim cum Apostolo, in fine vitæ : *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi : in reliquo reposita est mihi corona justitiæ.* II Tim. 4.

De tentationibus. Tentationum necessitas, causæ.

Pr. 1. *Fili, accedens ad servitutem Dei, præpara animam tuam ad tentationem.* Eccli. II, 1.

Pr. 2. Ut accingar ad prælianda prælia Domini, et artem discam tentationes superandi.

I. Necessitas tentationes subeundi. II. Tentationum causæ.

I P. NECESSITAS. — Quicumque Christum Dominum sequi, et ad virtutem virtutisque præmium vult pervenire, illud imprimis intelligat oportet, tentationes sibi esse subeundas et superandas... Neque ipsi sacerdotes hac lege sunt immunes... Propterea neque Christus Dominus diaboli tentationibus carere voluit...

Cum igitur tentationes me maneant, cavebo ne tradam me funestæ securitati... Neque animum despondebo ubi hostes ingruent... Nonne Paulus insultus passus est vehementes ?... *Ne magnitudo revelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ, angelus satanæ qui me colaphizet...* II Cor. 11.

Tentationes ad humanam conditionem pertinent, sicut certamina ad conditionem militis in regione hostili... Hujusmodi militi salus non est nisi in armis, in prudentia et fortitudine...O Domine, *doce manus meas ad prælium, et digitos meos ad bellum...* Psalm 17.

Armatus itaque incedere debeo, armatus oratione et mortificatione...

Kemp.I,13. « Omnes sancti, inquit Kempensis, per multas tribula-
« tiones et tentationes transierunt et profecerunt... et qui
« tentationes sustinere nequiverunt, reprobi facti sunt et
« defecerunt »...

II Tim. 2. *Labora*, inquit Apostolus, *sicut bonus miles Christi Jesu... Non enim coronatur, nisi qui legitime certaverit...*

Pugnandum et vincendum esse iteratis vicibus Christus in Apocalypsi ad Ecclesiarum rectores scribendum dictat :

Apoc. 3. *Qui vicerit, faciam eum columnam in templo Dei mei... qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo : sicut et ego vici, et sedi cum Patre meo in throno ejus...*

Pugna itaque inevitabilis est, et nequaquam per fugam ab omnibus tentationibus nos eripere possumus. Dispositio hæc divinæ Providentiæ, ut homo animæ inimicos habeat vincendos : propterea in baptizatis concupiscentia et fomes peccati sublata non sunt, *sed relicta ad agonem*, ut concilium Tridentinum docet... Arma igitur sunt capessenda...

Eccli. 2. *Præpara animam tuam ad tentationem*... An ego induo me armaturam Dei, orationis scilicet assiduæ, vigilantiæ, laboris?...

Eo autem magis ego sacerdos debeo in hac spirituali pugna exerceri et dexteritatem acquirere, quod alios artem vincendi debeam docere... Doce me, Domine, vincere inimicos tuos, ut et alios docere possim omnes justificationes tuas...

II P. CAUSÆ. — Tentationum causæ sunt diabolus, mundus, caro et ipsemet homo... nequaquam vero Deus, qui tentationes dumtáxat permittit...

Tentat diabolus, modo ut leo rugiens, per apertam vim persecutionum, quas suscitat et manibus impiorum hominum exercet... modo ut serpens, per insidias occultas superbiæ... tepiditatis...

Tentat mundus suis scandalis... humano respectu... voluptate... ambitione... lucro divitiarum... A spiritu mundano caveat sacerdos Domini :

Cor. 2. *Non spiritum hujus mundi accepimus, sed Spiritum qui ex Deo est...*

Galat. 5. Tentat caro per passionum illecebras... *Qui Christi sunt,*

carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis...

Tentat homo semetipsum, quando se otio tradit... portas sensuum suorum non custodit... intemperantiæ indulget... periculis se exponit... — An semper caveo ne imprudenter tentationes ipsemet arcessam ?...

An ex animo precor : *Ne nos inducas in tentationem ?...*

An, ubi Deus tentari me permittit, recurro ad orationem et resisto fortiter ac fiducialiter ?... Quid hic reformandum ?...

O Domine Jesu, qui dixisti nobis in persona discipulorum tuorum : *Vigilate et orate, ut non intretis in tentationem : spiritus quidem promptus est, caro autem infirma ;* adjuva, quæso, me servum tuum, ut sanctam hanc vigilantiam exerceam... assiduæque orationi sim intentus ad tentationum insidias superandas... Matth. 26.

De tentationibus. Dei permissio.

Pr. 1. *Virtus in infirmitate perficitur.* II, Cor. XII, 9.

Pr. 2. Ut tentationes sancte tolerando in virtute confirmer.

I. Tentationibus anima probatur, II. sanctificatur, III. meritis augetur.

I P. PROBATIO. — Tentationis causa Deus esse non potest, cum nequeat sollicitare ad malum : *Deus intentator malorum est...* Quod si oramus *ne nos inducat in tentationem*, eo sensu oramus, ne permittat nos tentari... vel saltem, non ita tentari, ut inducamur ac deveniamus in consensum, utque succumbamus... Jacob. 1.

Cur autem Deus nos tentari permittit ? Non alio utique consilio quam misericordiæ, ut nos ita sanctificet, et per certamina dignos corona efficiat... De tentationibus itaque murmurare non licet ; sed in hac re ut in omnibus Deus laudandus est et adorandus... *fidelis Dominus in omni-* Psalm. 144.

bus verbis suis : et sanctus in omnibus operibus suis...

Permittit autem tentationes, primo, ut nos probet... et probando nos, virtutem nostram faciat manifestam... Nimirum ut manifestet unicuique suam infirmitatem... ut humiliemus nos, sentientes quam fragiles simus ex nobis, et quantopere divino auxilio indigeamus... — Probatio tentationis manifestat quoque peccantium ignaviam et reatum... justorum vero fortitudinem, ad exemplum aliorum... *Ut revelentur ex multis cordibus cogitationes...*

Luc. 2.

Quomodo ego tentationis probationem sustineo ?... An ea qua par est fortitudine, constantia, humilitate ?... Domine Jesu, da mihi robur Spiritus sancti tui... Beatissima Virgo, da mihi virtutem contra hostes tuos...

II P. SANCTIFICATIO. — Permittit Deus tentationes, secundo, ut nos sanctificet et in bono promoveat. Tentationum enim igne animæ nostræ mundantur... *Quoniam Deus tentavit* (probavit) *justos, et invenit illos dignos se. Tanquam aurum in fornace probavit illos...*

Sap. 3.

Tentatione scilicet exercemur ad virtutem, ad fortitudinem in pugna et ad fiduciam in Deo... Nec virtus solida aliter quam exercitio acquiri solet, neque efficacius exercitium quam tentatio habetur... sic milites exercentur fiuntque bellatores fortes in prælio.

Tentatione demum stimulamur... ne tepiditate... aut periculosa securitate torpeamus... *Datus est mihi stimulus carnis meæ, angelus satanæ qui me colaphizet...* In te Domine Deus, spes mea : *In te eripiar a tentatione ; et in Deo meo transgrediar murum...*

I Cor. 12.

Psalm. 17.

III P. MERITI AUGMENTUM. — Permittit Deus tentationes, tertio, ut nos gloriosius coronet : in ipsis nimirum tentationibus præstando occasionem meriti, et materiam triumphi...

Sicut igitur cavendum nobis est, ne ipsimet imprudenter tentationibus locum demus ; ita, ubi sponte tentationes, Deo permittente, exortæ nos pulsant, non est quod animum despondeamus... sed cum Apostolo ad Dominum frequenti prece recurrere oportet, et implorare auxilium, quod non denegabitur... *Ter Dominum rogavi ut discederet a me. Et dixit mihi : Sufficit tibi gratia mea ; nam virtus in infirmitate perficitur...* non tibi deerit

Cor. 12.

auxilium meum, quod servis meis in tentationibus præstare non omitto : quia potentia mea in humana infirmitate illustrior apparet...

An ita me gerere soleo respectu tentationum ?... Quid hic corrigendum ?...

Scio, Domine Jesu, tentationes nobis esse subeundas, easque secundum beneplacitum tuum accepto de manu tua... sed quoniam nosti infirmitatem meam, protege, quæso, me auxilio gratiæ tuæ, et præsidio immaculatæ Matris tuæ. O Virgo potens, quæ inimicis nostris terribilis es sicut castrorum acies ordinata, veni, quæso, in adjutorium mihi et contere caput serpentis... Sancte Michaël, omnesque angeli Dei, potentes virtute, dimicate pro me...

De tentationibus. Vincendi ratio.

Pr. 1. *Deo autem gratias, qui semper triumphat nos in Christo Jesu.* II Cor. II, 14.

Pr. 2. Ut discam artem vincendi inimicos animæ meæ.

I. De tentationibus vincendis generatim. II. De quibusdam tentationibus in particulari.

I P. REGULÆ GENERALES. — Ut quis hostes animæ vincat, et in omni tentatione ut bonus miles Jesu Christi se gerat, quædam ante tentationem, quædam ipso tentationis tempore, et quædam post tentationem agenda sunt.

Ante tentationem, quisque, ut gnavus bellator, in spirituali palæstra se præparet: *Præpara animam tuam ad tentationem*... Quo spectant fuga omnis periculi... et vigilantia quæ, arcens somnum tepiditatis... exercetur custodia sensuum atque cautela contra seductiones... His addatur oratio, quæ est armatura Dei... et jejunium quo, dum caro debilitatur, corroboratur spiritus... Usus demum contrariorum. Antevertere enim oportet tentationes, inquit S. Ignatius, adhibitis earum contrariis : ut cum quis ani- Eccli. 2.

madvertitur ad superbiam esse propensus, exerceri is debet in rebus abjectioribus...

Nonne hanc disciplinam Dominus tradidit nobis, dum ipsemet in sua tentatione cum inimico congressus est? Nonne longe a periculis mundi secessit in desertum?... Nonne ibi vigilavit in oratione, jejunio et omni mortificatione?...

Matth. 26. Nonne cum videret discipulos dormientes, dixit: *Vigilate et orate, ut non intretis in tentationem... spiritus quidem promptus est, caro autem infirma...* — His vero monitis haud obsecutus Petrus nonne misere lapsus est?...

Si respiciamus ipsum tentationis tempus, summopere refert ac necessarium est principiis obstare... Tunc facilius hostis vincitur, si mentis ostium nullatenus intrare permittitur... prima scintilla extinguenda... — Obstandum autem non languide, sed fortiter et cum energia illa qua homo repelleret intentatam mortem...

Adsit constantia... et illa fiducia quæ tristitiam, tædium,
I Cor. 10. omnemque animi dejectionem excludat... *Fidelis Deus est, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis; sed faciet etiam cum tentatione proventum, ut possitis sustinere...*

Kemp. I, 13 Adsit humilitas... oratio... patientia... « Humiliemus « animas nostras sub manu Dei, in omni tentatione et tri- « bulatione: quia humiles spiritu salvabit... » Humiliter
Kemp. ibid aperi confessario animæ angustias: « Sæpius accipe con- « silium in tentatione... »

Quid observandum tentatione finita? Tunc, si fueris victor, humiliter Deo gratias age... et ad nova certamina te dispone... — Sin vero aliquousque victus, humiliter et fiducialiter veniam pete... cavens interim a funestissimo laqueo, qui in tristitia, animi dejectione, aut desperatione a diabolo tenditur...

An ita fortiter ac prudenter in tentationibus me gerere consuevi?... Quid mutandum in melius?... Quid a Domino petendum?...

II P. REGULÆ PARTICULARES. — Si accidat tentatio contra fidem, ne turberis, nec disputes; sed intellectum inclina ante Deum, mentemque alio diverte...

Si contra spem aut fiduciam : respice bonitatem Dei, quem omnes jubemur appellare *Patrem nostrum*... respice et vulnera ac merita Jesu Christi...

Si contra castitatem, cave ne turberis aut animum despondeas, quasi vincere cum divino auxilio non valeres... Resiste prompte, fortiter et constanter... etiam si diuturna sit vexatio... Resiste contemnendo, enixius laborando et orando... — Fuge autem omne periculum et oculos custodi... — Recurre ad sacramenta... et orationi adde jejunium : *Hoc genus non ejicitur nisi per orationem et jejunium*... Matth. 17.

Si moveri te sentis ad tristitiam et pusillanimitatem, animum erige : tum gaudendi causas considerando, quas habemus in Domino... tum utendo honesta distractione... tum piam lectionem instituendo... aut orando : *Tristatur aliquis vestrum ? oret*... Jacob. 5.

Erue malæ tristitiæ radices, quæ alia non esse solet quam occulta quædam amoris proprii læsio... aliquodve desiderium frustratum... affectusve inordinatus quo cor alligatur ad creaturas... quandoque etiam insufficientia occupationis...

Si impelleris ad inconstantiam in bonis propositis, ut ea deseras propter ariditates et tædia : sciendum, tædia et ariditates progressui spirituali non plus officere, quam obnubilatum cœlum itineri viatoris... Non refert utrum devotionem sensibilem seu spiritualem gustum experiaris, an tædia et gravamen ; dummodo nihil de consuetis officiis, aut pietatis exercitiis omittas... Domine Jesu, concede mihi hanc constantiam...

Si scrupulorum implicamentis impediris, obedi confessario sicut Christo... Obedientia cæca unicum est, at efficax hujusmodi tentationis remedium...

An secundum has regulas procedo ?... Quid mihi reformandum ?...

Instituatur finalis oratio ad sanctum angelum custodem ut in spirituali prælio nos defendat...

De consolatione et desolatione.

Pr. 1. *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Rom. VIII, 28.

Pr. 2. Ut nulla interna desolatione a via fervoris deflectam.

I. Quid sit consolatio et desolatio. II. Quomodo in illa vicissitudine me gerere debeam.

I P. NOTIO. — Spirituales mentis vicissitudines, quæ consolatio et desolatio vocantur, expedit rite cognoscere, ne illis inimicus animæ impedimenta creet aut laqueos...

Sicut in atmosphæra mutationes habentur et vicissitudines, modo tranquilla serenitas, modo obnubilatio et tempestas... ita fere in anima hominis, modo consolatio, modo desolatio regnat... quæ etiam, una, gratia aut devotio sensibilis, altera vero, ariditas appellatur...

Spiritualis consolatio tunc adest, quando exardescit anima in amorem Creatoris sui, nec jam creaturam ullam, nisi propter ipsum potest diligere... tunc etiam, quando piæ lacrymæ funduntur, sive ex dolore de peccatis profluant, sive ex meditatione passionis Christi, sive alia ex causa ad Dei cultum et honorem pertinente... Postremo consolatio quoque dici potest fidei, spei et charitatis quodlibet augmentum... item, lætitia omnis, quæ animam ad cœlestium rerum meditationem, ad studium salutis, ad quietem et pacem cum Domino habendam solet incitare...

E contra spiritualis desolatio vocari debet quævis animæ obtenebratio, conturbatio, instigatio ad res terrenas... omnis denique inquietudo et agitatio, sive tentatio, trahens in diffidentiam de salute, et spem charitatemque expellens : unde se anima tristare, tepescere ac torpere sentit, et de ipsius Dei Creatoris sui clementia prope desperare...

Consolatio effectus divinæ gratiæ esse solet, et operatio boni Spiritus... Desolationis vero causæ plures sunt, et quidem tres præcipuæ. Deus scilicet consolatione nos privat traditque perturbationibus desolationis, primo, propter

tepiditatem nostram atque negligentiam in spiritualibus rebus... secundo, ut probet virtutem nostram... tertio, ut humiliter agnoscamus, internam illam consolationem esse gratuitum donum Dei, nec viribus nostris attribuendum...

Jam vero hujusmodi desolationis et consolationis vicissitudini omnis anima in hoc mundo est obnoxia. Hæc est humani cordis instabilitas de qua in *Imitatione Christi* legitur : « Quamdiu vixeris, mutabilitati subjectus es, etiam « nolens : ut modo lætus, modo tristis ; modo pacatus, « modo turbatus ; nunc devotus, nunc indevotus ; nunc « studiosus, nunc acediosus ; nunc gravis, nunc levis inve- « niaris... »

Non itaque mirari debeo, et multo minus despondere animum, quum talia in via spirituali experior... sed ita ea accipere ut, nedum obstacula sint, fiant potius adjumenta progressus...

An hactenus mea virtus non fuit instabilis, quia dependens a consolatione transitoria ?... O Domine, in te confido : non commovebor in æternum...

II P. AGENDI RATIO. — Duæ traduntur regulæ, respectu consolationis et desolationis sequendæ. Imprimis faciendum Dei famulo quidquid in ipso est, ut consolationem accipere mereatur... ut acceptam conservet... et si amiserit, recuperet...

Deinde, quicumque sit animæ status, sive consolationes adsint sive desolationes, curet semper in divino servitio procedere, et viam officiorum suorum impigre prosequi... Non secus ac strenuus viator, qui aëris mutationes vix attendens, non minus sub cœlo pluvioso quam sereno progreditur... *Diligentibus Deum omnia*, etiam quæ contraria videntur, *cooperantur in bonum*... — *In omnibus exhibeamus nosmet ipsos sicut Dei ministros*... Deoque fideliter serviamus, *per arma justitiæ, a dextris et a sinistris*... Rom. 8. II Cor. 6.

Optime auctor Imitationis : « Stat super hæc mutabilia « sapiens et bene doctus in spiritu : non attendens, quid « in se sentiat, vel qua parte flet ventus instabilitatis ; sed « ut tota intentio mentis ejus ad debitum et optatum profi- « ciat finem... » Kemp. III, 33.

Juvat autem tempore consolationis, ne intemperanti indulgeam lætitiæ, cogitare quam infirmus sim futurus, ubi lumen abcesserit... — tempore autem tenebrarum, ne tristitia obruar, recordari post noctem desolationis redituram diem... lucem scilicet consolationis ac fervoris pristini...

An ita me hactenus gessi ?... Quamnam agendi regulam in posterum sequar ?...

O Domine Jesu, tu pacem dedisti nobis, quam in mediis hujusce vitæ mutationibus conservare debemus... da, quæso, ita me tibi soli tuæque voluntati immutabili adhærere, ut ipsemet fiam stabilitatis ac immutabilitatis tuæ particeps... Beatissima Virgo, per constantiam tuam inter varias vitæ vicissitudines, præsertim sub cruce Filii tui, intercede pro me.

De tepiditate universim.

Pr. 1. Audire Dominum dicentem sacerdoti tepido: *Quia tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo*, Apoc. III, 16.

Pr. 2. Ut cognoscam teporis calamitatem, ab eaque me custodire discam.

I. Quid tepiditas ? II. Quinam tepiditatis effectus et gradus ? III. Quæ remedia ?

I P. QUID TEPIDITAS ? — Huc duo referuntur : quænam videlicet sit anima tepida, quæque tepiditatis causæ.

1° Anima tepida dicenda est quæ ex consuetudine facile omittit meditationem, lectionem spiritualem, examen conscientiæ, aliaque exercitia pietatis... vel eadem negligenter peragit...

Quæ peccata venialia parvipendit, ideoque non serio sese ab iis liberare studet....

Quæ corpori nimis indulget, omnia commoda quærit...et secundum naturæ inclinationem dat sensibus libertatem.

Quæ non refrenat linguam... omniaque facile dijudicat, ad crisim revocat, improbat quæ ab aliis et nominatim a superioribus aguntur... silentii pretium ignorat...

Quæ pro libidine ac genio agit, non ex intuitu officii et obligationis... pigritiæ indulget et segnitiei... tempusque perdit inutilibus lectionibus, studiis vanis, colloquiis, recreationibus intempestivis...

2° Causæ tepiditatis sunt neglectus orationis aliarumque rerum spiritualium... — dissipatio sensuum, libertas et oblivio modestiæ sacerdotalis, ac nimia cum aliquibus personis familiaritas...— studium commoditatum... — occulta superbia, unde pruritus omnia dijudicandi et improbandi quæ ab aliis fiunt... — defectus generositatis, qua fugiuntur quæcumque officia onerosa... — defectus aperturæ conscientiæ, quo celatur causa secreta mœroris ; et hinc animi dejectio atque negligentia generalis... — affectio quædam carnalis male domita... — effusio imprudens in externa opera ministerii, qua vir apostolicus suimet obliviscitur : similis canali, nihil sibi reservanti... vel puteo, qui dat aquam limpidam et sibi retinet lutum...

II P. EFFECTUS ET GRADUS. — Triplici Scripturæ sententia tepiditatis effectus lamentabiles indicantur. Hæ autem sunt sequentes, quas serio expedit meditari.

1° *In pigritiis humiliabitur contignatio...* scilicet domus etiam firma per negligentiam delabetur. Eccl. 10.

2° *Maledictus qui facit opus Domini negligenter...* Jerem. 48.

3° *Quia tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo.* Apoc. 3.

Gradus autem et progressus tepiditatis S. Chrysostomus apposite in morbo ac morte Lazari detegit et ostendit. Joan. 11. Lazarus primum dicitur *languens :* en spiritualis segnities ac languor. — Additur, *infirmabatur :* en peccata venialia et defectus multi. — Dein, *dormit :* quo indicatur dormitio quædam et insensibilitas mentis talis, ut nec præsentiæ realis Domini, nec memoria mortis, nec aliæ veritates gravissimæ animum moveant. — *Mortuus est :* venit tentatio, et inde lapsus in peccatum mortale.—Postremo *fœtor* et corruptio : miser peccator, peccatum non confitetur, vel non nisi dimidiatim... manet in suo sepulchro, in sacrilegiis... imo fœtor scandali externis verbis et actionibus erumpit...

III P. REMEDIA. — Mox tepiditatem excutiet qui exercitia sua spiritualia voluerit constanter, integre et diligenter implere... Quod si non possit eo pervenire ut impleat omnia, saltem unum ex iis peragat diligentissime, ut meditationem, examen conscientiæ, vel rosarii recitationem... Si et istud adhuc vires superet, quotidie saltem aliquid perficiat, exempli gratia, unam decadem Rosarii, imo unicum *Ave Maria*, ferventer recitatum...

Item singulare contra tepiditatem medicamen est sanctificare diei primordia : qui diliculo surgit, prompte ac pie, tepiditate non tabescet...

Remedium præterea est magna devotia erga SS. Cor Jesu... erga SS. Sacramentum... erga passionem Domini, frequentando Viam crucis... erga B. Virginem Mariam et S. Joseph...

O Domine Jesu, per flammas et divinum ardorem Cordis tui, ne sinas me in tepiditate torpescere ; sed stimulo tui amoris excita me, ut constanter tibi in fervore spiritus deserviam.

De tepiditate. Tepiditatis notio.

Pr. 1. *Quia tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo.* Apoc. III, 16.

Pr. 2. Ut intelligam quam funesta sit tepiditas, eamque semper fugiam diligenter.

I. Quid sit tepiditas, II. quæ causæ ejus, III. quæ sequelæ.

I P. NOTIO TEPIDITATIS. — Tepiditas non est mentis ariditas vel desolatio, quæ non nocet animæ, si patienter toleratur... nec est peccatum veniale seu actus transiens... sed status animæ permanens... et habituale principium peccatorum venialium...

Tepiditas est voluntatis dispositio, qua homo officiis erga Deum fungitur negligenter... — Opponitur fervori, quo quis ex corde operatur et studiose...

Homo tepidus similis est famulo otioso, cunctas res

domesticas negligenti, et mox ejiciendo... — vel viatori languide procedenti, atque ob minimum incommodum vel obstaculum diverticula quærenti...

Tepiditas laqueus est multorum sacerdotum... sicut sæcularibus hominibus scopulus imprimis fugiendus est peccatum mortale ; ita ecclesiasticis viris metuenda tepiditas... quos adversarius diabolus, cum in aperta peccata impellere nequeat, via tepiditatis abducere conatur...

Via autem ista tepiditatis facile initur a sacerdote incauto... difficile relinquitur .. semper miseriis omnigenis impletur... O Beata Virgo, a languore tepiditatis libera me... S. Joseph, ora pro me.

An ego ad viam hanc funestam non accessi ?... Quomodo ab ea mihi caveo ?... Quid hic oratione deprecandum ?...

II P. CAUSÆ. — Ægritudo illa spiritualis frequenter inde exoritur, quod clericus perperam vocationem suam intelligens, eam intuetur ut statum vitæ tranquillæ... pauca eaque facilia officia imponentem... Quasi vinea ideo commissa esset cultori ut in ea dormiat et sibi colligat uvas... An ego forte sic gravissimam meam missionem aspicio ?

Ad tepiditatem ducit defectus mortificationis... sensualitas... dissipatio...

Item, neglectus et incuria minimorum... id est, spiritualium rerum quæ parvæ videri possent : ut ordinis diurni observatio, visitatio Sanctissimi quotidiana, surgere hora statuta... *Qui fidelis est in minimo et in majori* Luc. 16. *fidelis est ; et qui in modico iniquus est et in majori iniquus est...*

Demum teporem inducit neglectus meditationis... examinis conscientiæ... confessionis hebdomadariæ... ac veræ pietatis, quæ requirit ut viri apostolici *orationi sint in-* Act. 6. *stantes...*

An nullam ex his causis tepiditatis in me reperio ?... Qui autem causam ponit. effectum patietur... Quæ hic gratia petenda ?

III P. SEQUELÆ. — Detrimenta tepiditatis, imo pericula quæ generat, homini præsertim sacerdoti sunt funestissima... Est enim via descensionis et ruinæ... *Quia tepidus* Apoc. 3. *es, incipiam te evomere ex ore meo...*

Morbus est, qui difficile curatur, quia cor obcæcat ut periculum suum videre non possit...et quia abusu remediorum, id est, monitorum... ac sacramentorum, obduratur...

Tepiditas animam defectibus atque culpis assuefacit, ita ut efficacia remedia respuat... Facilius, inquit S. Bernardus, peccator mundanus convertitur, quam anima tepida sanatur...

Languor spiritualis est, qui ut lenta tabes ducit ad mortem...

Obstaculum est gratiæ... paci internæ... fructibus ministerii...

Fons est peccatorum venialium, sine numero pullulantium... Principium tædii, mœstitiæ multæ... *Si incipis tepescere, incipies male habere*... Hinc consolationes petuntur a creaturis... hinc aversiones... hinc amicitiæ particulares, querimoniæ, distractiones ac perturbationes mentis...

Kemp.I,25.

Si trahitur ista vita usque ad mortem... sacerdoti inducet judicium severissimum...

Num velim ego tepidam vitam trahere usque ad mortem ?... Quid igitur faciendum ut malum istud præveniam ?...

O fons omnis fervoris, Cor Salvatoris sacratissimum, ad te confugio, ut in tepiditatis somnolentiam non deveniam. Inflamma, quæso, animam meam igne charitatis tuæ, ut tibi semper in spiritu amoris deserviens, ab omni teporis periculo sim immunis.

De tepiditate. Signa et remedia.

Pr. 1. *Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi accendatur ?* Luc. XII, 49.

Pr. 2. Ut me diligenter a periculo tepiditatis custodiam.

I. Signa tepiditatis. II. Remedia.

I P. SIGNA TEPIDITATIS apparent in defectuum emendatione, in officiorum adimpletione, in cultura virtutum...

Tepiditatis indicium imprimis est, modica, id est venialia peccata spernere... et solum mortalia curare...

Dein, laxam sibi conscientiam formare, non obstante monito contrario confessarii...

Item, examen conscientiæ quotidianum negligere...

Item, peccata venialia confiteri sine emendationis proposito... vel ea nullatenus confiteri...

Item, non obstante sacramentorum frequentatione, aut quotidianæ missæ celebratione, animo nutrire amicitias culpabiles aut periculosas... vel invidiam... ambitionem... aversiones, spiritum acerbitatis, qui verbis mordacibus, contentiosis, maledicis manifestatur... aut fovere spiritum insubordinationis, qui murmurationes, querelas, censuras ac vituperationes producit...

Tepiditatis quoque signum est, exercitia pietatis, meditationem... gratiarum actionem post missam... rosarium... lectionem spiritualem... visitationem Sanctissimi, negligenter et sine fructu obire... aut ex mera consuetudine...

Item, meditationem quotidianam... et confessionem hebdomadariam levi de causa omittere.

Item, divinum officium incertis horis, nequaquam pie, attente, ac devote... sed distracte ac deproperanter recitare...

Item, munera sui status sine zelo ac perfunctorie obire... Quicumque sacerdotes ita agunt, ut stricte suo muneri satisfecisse videantur, perfunctorie tantum officia persolventes et quasi ad oculum servientes, illi coram Deo tepiditatis rei sunt...

Tepiditatis quoque indicium est, omnia peragere absque ordine, et quasi casu... animo esse non recollecto sed dissipato... nec unquam fere Dei præsentiam recordari...

Item, non curare Statutorum observationem...

Item, intentionem rectam et puram in operibus non habere, sed vanam gloriam sectari... quærere passim quæ sua sunt, non quæ Jesu Christi... et refugere laborem, abnegationem, sacrificium...

Item, humana solatia emendicare, commoda sua quærere, sensibus suis plus æquo indulgere... Eorum conversatione delectari qui minus ferventes apparent...

Item, esse ore promptum, manu vero lentum... esse tardum in surgendo et primitias diei non rite consecrare Domino...

Nonne quodpiam ex his tepiditatis signis in me invenio?... Nonne huic malo remedium efficax afferendum?... Quapropter petatur auxilium Domini, B. Virginis, S. Joseph.

II P. REMEDIA. — Non desunt et huic animi morbo remedia, dummodo fortiter et constanter adhibeantur...

Primum est resecare causas : dissipationem... neglectum meditationis... examinis... confessionis hebdomadariæ...

Deinde, orationi... ac labori magis insistere...

Item, frequenter SS. Sacramentum visitare, Viam crucis obire, SS. Cor Jesu diligentissime colere...

Demum de morte instanti ac de judicio cogitare : *Sint*
Luc. 12. *lumbi vestri præcincti et lucernæ ardentes in manibus vestris : et vos similes hominibus exspectantibus Dominum suum quando revertatur a nuptiis...*

Quid itaque mihi faciendum, ut e tepiditate surgam?... aut in eam non incidam?...

Fiat oratio ad sanctissimum Cor Jesu, in quo fons est omnis fervoris, remedium contra omnem tepiditatem et languorem.. vocetur in auxilium B. Virgo, S. Joseph, S. Franciscus Salesius, B. Margarita a Visitatione.

De fervore. Fervoris stimuli.

Pr. 1. *Spiritu ferventes Domino servientes.* Rom. XII, 11.

Pr. 2. Ut fervore constanti, nec unquam deficienti, Deo serviam.

Stimuli fervoris considerari possunt, I. ex parte Dei, II. ex parte operis implendi, III. ex parte meimetipsius.

I P. EX PARTE DEI. — Nonne tantum ac tam excelsum Dominum... decet habere servos promptos ac paratos... qui ei omni fervore ac devotione ministrent?... Tales sunt

angeli : *Qui facit angelos suos spiritus, et ministros suos flammam ignis...* Tales decet nos esse... Hebr. 1.

Quid gloriosius est servitio Dei, cui *servire regnare esse* egregie dicit Ecclesia?... Nonne igitur tam nobilem famulatum præstare decet ex animo, corde magno ac devoto?...

Quam bonus est quam beneficus Dominus noster !... Quanta beneficia de manu ejus accepi... in ordine naturæ et gratiæ !... ego præsertim, quem dignatus est ad sacerdotium vocare... Nonne omnia mihi donavit?... *Quid* enim *habes quod non accepisti* ?... Quid ergo retribuam Domino tam benefico?... Nonne lætus et promptus, o Domine, tibi serviam?... 1 Cor. 4.

Quam bonus et misericors erga me peccatorem, filium prodigum, quem, post tot lapsus ac tantam ingratitudinem... restituit in dignitatem pristinam, ut ministerio sacerdotali fungatur in domo sua !... Quanta fidelitate filius ille parabolæ, iterum in paternam domum receptus, deinceps amantissimo patri servivit !... Nonne ego potiore titulo gratitudinis erga Dominum meum obstringor?...

Aliunde vero, quanta merces servo Dei fideli ac devoto promissa !... Si labor terret, nonne præmium invitat? *Euge, serve bone et fidelis,quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam : intra in gaudium Domini tui* .. Matth. 25.

Si natura tarda est, nonne merces exstimulat? *Gaudete et exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis*... Nonne promittit Dominus centuplum jam in hac vita iis qui generose et ferventer ipsi deserviunt?... Matth. 5.

Demum, quam amans et amabilis Dominus ! *Jam non dicam vos servos... vos autem dixi amicos...* Nonne dilexit me usque ad mortem?... usque ad eucharisticas epulas?... Quis tam amantem non redamet, ipsique cum amore et fervore non serviat?... Joan. 15.

Talis est Dominus cui servio, ut dignissimus sit omni devotione... nec vincatur generositate...

Petatur hic gratia fervoris...

II P. EX PARTE OPERIS. — Secundum vocationem meam, Domino servire debeo in domo sua sancta, in Ecclesia... in iis quæ ad gloriam Dei pertinent et ad salutem anima-

rum... adeoque in operibus sanctissimis. Jam vero non languide aut negligenter hæc tractanda sunt... sed sancte,
Jerem. 48. devote, ferventer : *Maledictus qui facit opus Dei fraudulenter* (negligenter)...

Nonne sanctius debet sacerdos novæ legis obire sacer-
Eccli. 50. dotium Christi, quam Onias in lege veteri?... qui *quasi sol refulgens, sic ille effulsit in templo Dei : quasi ignis effulgens, et thus ardens in igne*... An ita per fervorem animi diffundo bonum odorem Christi ?...

Petatur iterum spiritus fervoris.

III P. EX PARTE MEA. — Nonne a fervore meo pendet mea felicitas ?... Et si quandoque tædio ac tristitia obruor, nonne quia languescit devotio, zelus, labor ?.. quia tepiditati indulgere cœpi ?... O quam vera hæc Kempensis
Kemp. I, 25. sententia ! *Si incipis tepescere, incipies male habere... Si autem dederis te ad fervorem, invenies magnam pacem, et senties leviorem laborem, propter Dei gratiam et virtutis amorem*...

Apoc. 3. Nonne a fervore pendet perseverantia ?... *Utinam frigidus esses aut calidus ! sed quia tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo*...

Nonne a fervore pendet fructus ac successus operum ? *Qui manet in me, et ego in eo*, utique per fervorem charitatis, qua interius cum Christo conjungimur, *hic fert*
oan. 15. *fructum multum*...

An S. Franciscus Salesius, aliique sancti viri, si minus ferventes fuissent, tot animas salvassent ?... Si ego fructum uberiorem non produco, quæ causa ?... Quid corrigendum ?...

O Spiritus sancte, qui Apostolorum corda inflammasti, reple, quæso, cor meum tibi consecratum,et divini amoris in eo ignem accende..,

De fervore. Fervoris signa et alimenta.

Pr. 1. *In meditatione mea exardescet ignis*. Ps. 38.

Pr. 2. Ut magis magisque animer fervore in divino famulatu.

I. Signa fervoris. II. Fervoris alimenta.

I P. SIGNA. — Fervor, seu dispositio illa permanens animi, qua movemur ad peragenda cum amore ac diligentia quæcumque ad Dei cultum pertinent... manifestatur agendi ratione constanti... non vero transitoriæ devotionis actibus...

Si quis constanti labore comparandis divitiis incumbit et ad lucrum fervet, signum est eum avaritia, vel ditandi cupiditate teneri... Similiter qui constanter opera Dei cum ardore peragit, fervoris indicium exhibet... An hoc in me indicium reperitur ?

Sic etiam arboris virtus interna cognoscitur a fructibus... *A fructibus eorum cognoscetis eos...* Matth. 7.

In particulari autem, fervoris signum est, si quis semper potiorem partem temporis, et potiorem curam tribuit rebus Dei... reliquis secundariam dumtaxat... veluti dexteram manum pietati, sinistram tantum curis temporalibus... adeo ut nulla unquam particula de pietatis exercitiis decidat...

Signum fervoris est, si quis orationem peragere solet studiose....

Item, si prompte surgendo primitias diei Domino consecrat...

Item, si gnaviter intuitu Dei laborat...

Item, si fortiter patitur adversa...

Item, si nunquam animo cadit...

Item, si in desolationibus atque adversis non minus officia cuncta implet, quam in consolatione et in prosperis...

An hæc in me fervoris signa invenio?... Nonne inconstantiæ sum obnoxius, ita ut ob incommoda quælibet, ob tædium, ob fastidia naturæ... res spirituales et officia negligam aut decurtem?... Hic venia petatur, et emendationis gratia.

II P. ALIMENTA. — Sicut lampas oleo et ignis ligno, ita spiritualis flamma fervoris suo alimento sustentanda est, ne languescat... Quæcumque enim in homine mortali inveniuntur, corruptioni ac detrimento sunt obnoxia... etiam vires spiritus...: nisi renoventur ac foveantur...

Fervorem autem nutrit imprimis oratio ac meditatio... *In meditatione mea exardescet ignis...* Psalm. 38.

An igitur orationi quantum possum vacare satago, etiam ubi exiguum gustum, aut etiam nullum in orando experior ?... An præsertim meditationem et examen conscientiæ fideliter perficio ?...

Fervorem nutrit devotio erga SS. Eucharistiæ Sacramentum... An vivida fide illud mysterium adoro et veneror ?...

Fervorem nutrit devotio erga SS. Cor Jesu, quod totum flammis amoris et fervoris exardescit... Ex illo quasi foco mutuandus est ignis perpetuus, quo Dei famuli ardere debent... An accedo frequenter ad illud divinum Cor, in Eucharistiæ Sacramento semper mihi apertum ?... An familiaris mihi hæc oratio : *Cor Jesu flagrans amore mei, inflamma cor meum amore tui ?...*

Fervorem nutrit memoria et cultus passionis Dominicæ, cujus mysteria præcipuo fructu recoluntur obeundo stationes Viæ crucis... An hanc devotionem frequentare soleo ?... An quotidie ? vel quoties ? ..

Si spiritus fervorem tam necessarium conservare cupio, fomenta fervoris negligere non possum... An nihil hic desiderandum relinquo ?...

O Beatissima Virgo, mater pulchræ dilectionis et omnis fervoris, impetra famulo tuo constantis fervoris gratiam... O Jesu, fons amoris et fervoris, inflamma cor ministri tui... O ignis lapse cœlitus, accende me calore : ut amem te medullitus, et moriar amore !

De contemptu et odio mundi.

Pr. 1. *Si quis diligit mundum, non est charitas Patris in eo.* I Joan. II, 15.

Pr. 2. Ut magis magisque contemptu mundi replear, sicut sacerdotem Christi decet.

I. Quid est mundus sensu evangelico ? II. Quomodo sacerdos erga mundum se habere debet ?

I P. MUNDUS QUID EST ? — Sensu evangelico, mundus dicuntur homines pravi, qui ea quæ in mundo sunt diligunt

et quærunt : honores, divitias, voluptates, omnia bona terrena... non cœlestia... Item homines animati ac moti mundano spiritu, qui alius non est quam *concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum et superbia vitæ*... Item homines obedientes principi hujus mundi, qui est diabolus ; ejusque legi, quæ est opposita legi Christi... *De mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo*... — *Nos autem non spiritum hujus mundi accepimus, sed Spiritum qui ex Deo est*... I Joan. 2. Joan. 15. I Cor. 2.

An in me non latet aliquid de mundano spiritu ?...

Mundus sunt quoque bona hujus mundi, quæ vana sunt... trahuntque ad omnia peccata : ad voluptates et immunditiam... ad avaritiam... ad superbiam... — Mundana hujusmodi bona animam ineptam efficiunt rebus cœlestibus, totumque hominem velut *animalem, qui non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei*... — Nonne igitur mundus omni contemptu, omnique odio dignus ?... I Cor. 2.

Mundus demum sunt principia et documenta mundi, documentis evangelicis prorsus opposita. Christus enim dicit : *Beati pauperes*... mundus autem contradicit : *Beati divites*... — Christus dicit : *Quærite primum regnum Dei et justitiam ejus... Noli eligere primos accubitus, sed recumbe in novissimo loco*...— Mundus vero : *Venite et fruamur bonis quæ sunt, coronemus nos rosis antequam marcescant*... O Domine Jesu, via, veritas et vita... quomodo possem non tibi soli, spreta mundi stultitia, adhærere ?... Matth. 6. Luc. 14. Sap. 2.

De mundo isto S. Bernardus ait : *Aut mundus erat, aut Christus fallitur*...

Iste est mundus Christo adversarius, qui eum persecutus est usque ad crucem... quique similiter persequitur Ecclesiam ejus... *Si me perseculi sunt et vos persequentur*... — de quo et Jacobus : *Quicumque voluerit amicus esse sæculi hujus, inimicus Dei constituitur*... — Recedendum itaque ab hoc mundo *ut non cum hoc mundo damnemur*... — Da mihi Jesu, ut sicut tu, mundum contemnam. Joan. 15. Jacob. 4. I Cor. 11.

II P. AGENDI RATIO ERGA MUNDUM. — Sacerdos respectu mundi se gerere debet sicut Christus, divinus magister ejus, qui mundum impugnavit et vicit...

Nonne impugnavit mundum per doctrinam oppositam... opponendo sensualismo mortificationem?... damnando mundi sequaces et dicendo : *Væ mundo a scandalis... Væ vobis divitibus, quia habetis consolationem vestram. Væ vobis qui saturati estis, quia esurietis. Væ vobis qui ridetis nunc, quia lugebitis et flebitis...*

Luc. 6.

Nonne vicit mundum in sua persona? Vicit nimirum omnes mundi illecebras, per suam paupertatem... per jejunium... labores... — Vicit ejus minas ac terricula per fortitudinem prædicationis... — Vicit persecutiones per suas ignominias, per passionem et crucem suam... — Quid est quod mundus contra Christum non armaverit? Quid autem quod Christus virtute sua et patientia non superaverit?... *Confidite, ego vici mundum...*

Joan. 16.

Nonne similiter sacerdos Christi impugnare debet et vincere mundum?... per doctrinam... per vitam a mundano spiritu alienam... per patientiam in sufferendo mundi vituperia et persecutiones ..

Audiat itaque verbum Joannis : *Nolite diligere mundum neque ea quæ in mundo sunt... Si quis diligit mundum non est charitas Patris in eo... Et mundus transit et concupiscentia ejus....*

Joan. 2.

Respiciensque Crucifixum dicat cum Paulo : *Mihi absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est et ego mundo...*

Galat. 6.

An talis est dispositio ac sensus cordis mei? An omni amore mundano sum vacuus?...

Ferventi oratione petam a Christo crucifixo, ut me magis magisque contemptu atque odio mundi dignetur replere. In auxilium vocabo Sanctos, mundi contemptores...

De mundi vanitatibus.

Pr. 1. *De mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo.* Joan. xv, 19.

Pr. 2. Ut perfecte mundi vanitates contemnam, quemadmodum sacerdotem decet.

I. Quare mundum contemnere debeam ; II. quænam sit hujusmodi contemptus praxis.

I P. MOTIVA. Nonne contemnendus mundus cum omnibus suis bonis et honoribus, si vere contemptibilis et vanus est ? Atqui *vanitas vanitatum et omnia vanitas...* Eccl. 1. Hanc autem terrenarum rerum vanitatem... ut et cœlestium veritatem... melius quam reliqui fideles intelligit sacerdos ; cognovit enim hæc Isaïæ : *Omnis caro fœnum et omnis gloria ejus quasi flos agri... exsiccatum est* Isai. 40. *fœnum et cecidit flos... verbum autem Dei nostri manet in æternum...*

Nonne a me sacerdote contemnendus est mundus, quem prorsus contempsit Christus... contempserunt et Apostoli ?... *Omnia*, inquit Paulus, *detrimentum feci et* Philipp. 3. *arbitror ut stercora, ut Christum lucrifaciam...* Nonne ego, præ cæteris, Christi et Apostolorum vestigia sequi teneor ?... imo mundanarum rerum contemptum docere fideles, dicendo cum Paulo : *Hoc itaque dico, fratres :* I Cor. 7. *tempus breve est, reliquum est ut qui utuntur hoc mundo, tanquam non utantur : præterit enim figura hujus mundi...*

Dein spiritum sacerdotalem custodire debeo... qui spiritu hujus sæculi extinguitur : *De mundo non estis...* Amore enim rerum terrenarum fit ut sal spirituale infatuetur, et lucerna condatur sub modio...

Demum sacerdos plus cæteris Christum et quæ Christi sunt diligere debet, secundum illud : *Simon Joannis,* Joan. 21. *diligis me plus his ?... Pasce agnos meos...* Atqui nequit cor dilectione Christi repleri, nisi amore mundi sit vacuum : *Quæ* enim *societas luci ad tenebras, aut quæ conventio* II Cor. 6. *Christi ad Belial ?...*

Petatur hic perfectus mundi contemptus.

II P. PRAXIS. — Qua ratione exercere mundi contemptum debet sacerdos ? 1° Ambulando cum Christo in *via arcta...* via scilicet mortificationis, humilitatis et sanctæ paupertatis... quæ contraria prorsus est viæ mundanorum... Oportet autem ut oppositio appareat inter sacerdotem Christi et mundum...

Mundus amat distractiones et strepitum ; sacerdos quærat recollectionem... desideria quæcumque, studia, delec-

tamenta, quæ Deum pro fine vel pro objecto non habent, abjiciat...

Mundus amat convivia, sensuumque blandimenta ; sacerdos amet sobrietatem et abstinentiam...

Mundus amat divitias hujus sæculi ; sacerdos memor sit paupertatis et modestiæ Christi... eleemosynas largiatur,
Ps. CXI. secundum illud : *Dispersit, dedit pauperibus...*

Mundus quærit laudes hominum... libertatem et independentiam... sacerdos amet obscuritatem et obedientiam...

2° Declinando a consortio sæcularium. *Facile contemnitur clericus*, inquit S. Hieronymus, *qui sæpius vocatus ad prandium ire non recusat...* — Ubi autem ratione officii et gloriæ Dei ac boni animarum cum sæcularibus versatur sacerdos, eos semper verbo et opere ædificet... exemplum secutus Christi, qui dum versaretur cum hominibus, non loquebatur nisi de regno Dei... et Apostolorum,
II Cor. 2. qui bonum Christi odorem diffundebant in omni loco. *Deus odorem notitiæ suæ manifestat per nos in omni loco : quia Christi bonus odor sumus Deo, in iis qui salvi fiunt, et in iis qui pereunt...*

3° Inhærendo rebus cœlestibus, secundum Ecclesiæ monitum : *Ut illic fixa sint corda ubi vera sunt gaudia...* Intueatur itaque sacerdos Domini exempla Sanctorum, ad
Ps. 41. cœlestia anhelantium, et suspiret cum ipsis, dicens : *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus. Sitivit anima mea ad Deum fortem, vivum : quando veniam et apparebo*
Ps. 83. *ante faciem Dei?... Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum ! concupiscit et deficit anima mea in atria Domini... — Nostra conversatio in cœlis est...*
Philipp. 4. *unde etiam Salvatorem exspectamus Dominum nostrum Jesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ...*

An hujusmodi sensus mei sunt?... Quid hic a Domino Jesu, Pontifice meo, efflagitandum ?...

De modestia clericali. — Ejus pretium.

Pr. 1. *Modestia vestra nota sit omnibus hominibus.* Phil. IV, 5.

Pr. 2. Ut modestiam clericalem amem, semperque severe observem.

I. Modestia clericalis quid est ? II. Quare studiose sectanda ?

I P. MODESTIÆ NOTIO. — Vocari potest modestia externus sacerdotis ornatus, sensu spirituali intellectus. Sicut enim internus ornatus, quo sacerdos resplendet oculis Dei, est Christi humilitas et charitas; ita externus decor, quo hominum oculis insignitur, clericalis modestia est... Per hanc, melius quam per vestium insignia, sive spectetur in templo, sive conversetur in mundo, visibiliter apparet quod est, *alter Christus*...

Quid autem est modestia clericalis in se? Recte definitur conveniens externi hominis compositio, ut sacerdotem decet... Aliis verbis : Virtus est qua sacerdos externum corporis habitum omnesque motus ita moderatur, ut omnibus ædificationi sit, et Christi Domini inter homines conversantis imaginem referat... Num tam nobilem virtutem hactenus rite æstimavi?...

A concilio Tridentino describitur his verbis : « Nihil est « quod alios magis ad pietatem et Dei cultum assidue « instruat, quam eorum vita et exemplum, qui se divino « ministerio dedicarunt. Cum enim a rebus sæculi in altiorem sublati locum conspiciantur, in eos tanquam in « speculum reliqui oculos conjiciunt, ex iisque sumunt « quod imitentur. Quapropter sic decet omnino clericos in « sortem Domini vocatos, vitam moresque suos omnes « componere, ut habitu, gestu, incessu, sermone, aliisque « omnibus rebus, nil nisi grave, moderatum ac religione « plenum præ se ferant... levia etiam delicta, quæ in ipsis « maxima essent, effugiant, ut eorum actiones cunctis « afferant venerationem... » Sess. 23. cap. 1. de Reform.

Modestiam quoque describit S. Augustinus in *Regula*, dicens : *In omnibus vestris moribus nihil fiat, quod*

cujuspiam offendat aspectum, sed quod vestram deceat sanctitatem...

Recte quoque dicitur modestia tribus velut elementis constare, quæ sunt : decorum, gravitas et benignitas...

Decorum est urbanitas, religiosa simplicitate temperata...

Gravitas, quædam dignitas, quæ oritur e sensuum et linguæ moderatione, et conjungitur cum facilitate agendi...

Benignitas demum, cœlestis quædam humilitatis et charitatis copulatio...

Nonne ex ipsa natura sua pretiosissima modestiæ virtus intelligitur ?... Nonne igitur a me summopere appetenda ?... Efflagitanda igitur gratia modestiam Christi æmulandi...

II P. MODESTIÆ AMOR. — Magni facienda et ex animo amanda est modestia clericalis, quia utilissima est, imo necessaria sacerdoti, tum ad profectum proprium... tum ad ædificationem proximi...

Ut intelligatur quomodo modestia ad profectum in spiritu conferat, consideretur eam esse velut externum munimen virtutum. Protegit enim et roborat virtutes internas, sicut arborem cortex et folia... gratiæ enim opera sequuntur opera naturæ, iisque sunt similia... Unde quoque colligitur modestiæ necessitas : quid enim fieret arbori, si cortice foret aut foliis destituta ?...

Jerem. 9. Job. 31. Per custodiam sensuum, quam modestia injungit, nonne multa præcluduntur animæ pericula ? *Ascendit mors per fenestras nostras... — Pepigi fœdus cum oculis meis ut ne cogitarem quidem de virgine...*

Kemp. I, 21. De gradib. humil. Demum modestia recollectionem inducit... quæ vitæ interioris conditio est necessaria, quippe qua mentis attentio rebus internis applicetur... *Si vis*, inquit Kempensis, *aliquid proficere, conserva te in timore Dei ; et noli esse nimis liber : sed sub disciplina cohibe omnes sensus tuos, nec ineptæ te tradas lætitiæ...* — Oculi assidue in terram demissi juvant, inquit S. Bernardus, ut cor cœlestibus semper inhæreat...

Nonne igitur tam pretiosam virtutem magni faciam ? Nonne eam perfecte custodire studebo omni tempore, præ-

sertim in loco sacro, et ubi in publicum prodeundum erit?... Nonne imitabor S. Franciscum Salesium, qui modestia sua amabili imaginem vivam Christi inter homines conversantis referebat?...

Utinam, Domine Jesu, et ego possim aliquatenus tuam modestiam imitari! O Beatissima Virgo, quæ oculis vidisti modestam hanc Jesu conversationem, intercede pro me...

De modestia. — Ejus necessitas et praxis.

Pr. 1. *Nemo adolescentiam tuam contemnat : sed exemplum esto fidelium in verbo, in conversatione.* Eph. IV, 12.

Pr. 2. Ut modestiam clericalem magni faciam et servare studeam constanter.

1. Quomodo modestia conferat ad ædificationem proximi; II. quomodo practice servanda.

I P. ÆDIFICATIO PROXIMI. — Modestia proximum ædificat sive domi, sive foris... quia per eam præcipue internus spiritus oculis manifestatur...

Modestia sancta velut tacita prædicatio est... diffundit bonum odorem Christi... hominibus imprimit reverentiam... eorum conciliat fiduciam... eos movet ad virtutem...

Quid igitur sacerdoti pretiosius, quid efficacius ut fructum in animabus operetur?...

Et contra, nonne defectus modestiæ fructum sacri ministerii solet impedire?...

Ideo autem modestia vel ejus defectus tantopere animos movet, quia homines plurimum sensibus ducuntur. Jam vero per externum habitum homo internus velut sensibilis efficitur. Sicut enim in horologio acus horarum simul effectus est et index motus interni; ita externus sacerdotis habitus, sive modestus sive incompositus, ab interno procedit spiritu, estque animæ status indicium et manifestatio...

Ex visu, inquit Sapiens, *cognoscitur vir, et ab occursu faciei cognoscitur sensatus. Amictus corporis et risus* Eccli. 19.

Prov. 6. *dentium et ingressus hominis enuntiant de illo... — Homo apostata, vir inutilis, graditur ore perverso, annuit oculis, terit pede, digito loquitur.*

Greg. Epist. 113. Speculum mentis est facies, ait S. Hieronymus, et taciti oculi mentis fatentur arcana... Et S. Gregorius Nazianzenus : Ubi Christus est, modestia quoque est...

Nonne defectus modestiæ optimas hominis dotes non raro reddit ad bonum animarum inefficaces ?... dum e contra modestia talento, alioquin mediocri, vim quamdam et unctionem communicat qua corda moventur...

Nonne modestiæ quoque effectus est illa mutua, quæ aliquando regnat inter confratres ædificatio, qui, ut S. Ignatius dicit, sese mutuo considerantes in devotione crescunt ; Deumque Dominum nostrum laudant, quem quisque in alio ut in illius imagine agnoscit...

Si igitur tum mihi tum proximo ædificationi esse cupio, nonne modestiam studiose sectari me oportet ?... O virtus modestiæ pretiosissima ! Quantum debeo te amare, quam ardenter rogare !... Petatur gratia.

II P. PRAXIS. — Dantur ad servandam modestiam quædam regulæ, quæ totum personæ habitum moderantur, nimirum faciem et oculos... loquelam... incessum...sedendi modum... gestus motusque omnes... ut his omnibus *nil nisi grave, moderatum ac religione plenum appareat...*

Trid. sess. 23. Aliæ regulæ præscindunt defectus : ne incessus sit incitatus ac præceps ; ne facies, vel oculi spirent iracundiam, mœstitiam, metum aut alium minus moderatum affectum ; ne quis alium manu impellat, imo ne alium, ac multo minus aliam... etiam joco tangat, sed manus quietæ teneantur ; ne sacerdos ineptæ se tradat lætitiæ, ne, in ecclesia præsertim, caput moveat frequenter et circumspiciat ; ne in loquendo voce utatur altiore, clamosa, aut cachinnis...

Philipp 4. *Modestia vestra*, inquit Apostolus, *nota sit omnibus hominibus : Dominus prope est... Quæcumque sunt vera, quæcumque pudica, quæcumque justa, quæcumque sancta, quæcumque amabilia, quæcumque bonæ famæ ; si qua virtus, si qua laus disciplinæ, hæc cogitate. Quæ et didicistis, et audistis et vidistis in me, hæc agite: et Deus pacis erit vobiscum...*

Eph. 5. Et ad Ephesios scribens : *Omnis immunditia*, inquit,

nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos... aut turpitudo, aut stultiloquium, aut scurrilitas quæ ad rem non pertinet...

Ad exercitium quod spectat, modestia clericalis potissimum exercenda est in conversatione atque colloquiis, domi et foris... in mensa... in epistolis scribendis, eo magis quod scripta manent... in templo, ad altare... in cathedra... in confessionali...

An ego has regulas servare studeo ?... an varios contra modestiam defectus evito ?... An totus meus externus habitus Christi Domini modestiam imitatur ?...

Petatur perfectæ modestiæ gratia per intercessionem B. Mariæ Virginis et angeli custodis.

De dissipatione.

Pr. 1. *Spiritum nolite extinguere.* I Thess. v, 19.

Pr. 2. Ut dissipationis nocumenta cognoscam et sedulo caveam.

I. Quid sit et quam nociva dissipatio ? II. Quæ causæ ejus et remedia ?

I P. DISSIPATIONIS NOTIO. — Dissipatio est vitium recollectioni oppositum. Quemadmodum spiritualis vitæ elementum vivificum est recollectio, ita elementum mortiferum quo suffocatur, dissipatio...

Hoc vitio animus ita rebus temporalibus sese tradit, ac in exteriora se effundit, ut vix aut ne vix quidem de Deo rebusque invisibilibus cogitet... fere sicut animus avari totus, id est mente, phantasia, memoria et voluntate, occupatur in pecuniis perituris...

Merito comparatur anima dissipata vasi quod operculo caret... foro publico, per quod omnia, etiam immunda animalia libere transeunt... domui absque portis, latronibus apertæ... Nonne miserrima est talis anima ?...

Dissipatio admittit gradus. Sunt enim homines qui nunquam sese exterioribus rebus tradunt, sed tantum commodant... manentque semper recollecti... — Alii sese

recolligunt interdum : et sunt dissipati ex parte... — Alii se nunquam recolligunt plene, suntque dissipati semper... Ad hanc classem pertinent clerici cursitores, qui raro domi, raro in cubiculo manent... confabulationes, comessationes, compotationes, visitationes sectantur... nihilque fere nisi hujusmodi distractiones cogitant... utinam non pejora !... Quam deplorandi sunt tales sacerdotes !...

Ad quem ex his gradibus ego pertineo ?... A dissipationis vitio libera me, Domine...

Consideranda quoque veniunt detrimenta quæ patitur sacerdos dissipatus, tum respectu sui, tum respectu ministerii...

Per dissipationem internus homo perturbatur... et externus dignitate spoliatus vilescit...

Sacerdos dissipatus jacturam patitur pietatis, fervoris, spiritus fidei... delabitur in teporem...

Impedimentum ponit quominus Spiritus sancti dona, lumen, inspirationes et adjutorium accipiat. *Non enim in commotione Dominus....*

III Reg. 19.

Impedimentum ponit orationis ac meditationis exercitio... Spiritum devotionis extinguit...

Ædificationem fidelibus non dabit... Dissipatio enim clericalem modestiam ac decorum tollit, unde præcipue ædificatio populi exoritur...

Demum sacerdos dissipatus pericula plurima incurret... occasiones peccati inducet... tentationes sibi suscitabit... in quibus utinam non succumbat !...

Nonne igitur dissipationem tanquam sacerdoti maxime nocivam fugiam ?... Ejusque remedia quæram ?... Petatur venia, formetur propositum...

II P. CAUSÆ ET REMEDIA. — Plurimæ dantur causæ quibus spiritus dissipationis exoritur, quas nosse oportet ut tollantur...

Præcipuæ sunt : negligentia exercitiorum pietatis...

Frequentiores excursiones ad amicos...

Recreationum intemperantia...

Sensualitas et oblivio mortificationis Christi...

Conversatio dissipata, cujusmodi est quæ indecoram levitatem, scurrilitates, inconditos clamores ac risus habet... De Christo Domino scriptum est : *Non contendet*

Matth. 12.

neque clamabit, neque audiet quis in plateis vocem ejus...

Hæ causæ utique cavendæ mihi sunt ; vel, si eas jam admisi, tollendæ... et adhibenda remedia quibus a funesta dissipatione me expediam et in sancta recollectione confirmem... Hujusmodi sunt : orationi insistere... frequenter divinæ præsentiæ memoriam revocare... mortificationem Christi præ oculis habere... raro exire, nisi ratione ministerii... solitudinem et silentium amare...

Meditationem concludam oratione ferventi ad B. Virginem, ut mihi gratiam impetret salutaria remedia adhibendi, ne unquam dissipationis spiritus me invadat...

De sancta recollectione.

Pr. 1. *Ducam eam in solitudinem et loquar ad cor ejus.* Osee, II, 14.

Pr. 2. Ut recollectionem mentis magni faciam et semper studeam servare.

I. Quid est recollectio ? II. Quare amanda ? III. Quomodo acquiritur et servatur ?

I P. NOTIO. — Recollectio mentis, sumpta pro virtute dissipationi opposita, idem fere sonat ac solitudo interior. In eo autem consistit, ut homo non solum animam suam animæque facultates rebus interioribus applicet, sed in iisdem habitualiter teneat occupatas...

Porro res internæ quibus anima per recollectionem intenditur, sunt ipse Deus... anima nostra cum conscientia... et quæcumque ad Deum animamque pertinent : ut Dei voluntas, animæ ornamenta, bona, virtutes...

Anima recollecta similis est vasi pretiosis unguentis pleno, quod diligenter opertum est... item cœnaculo, ubi jubente Domino sedentes discipuli, repleti sunt omnes Spiritu sancto...

Mentis recollectio externis signis se prodit ; et sacerdos eam possidere agnoscitur, si appareat in eo exterioris

hominis compositio ac modestia... vultus serenitas... vocis moderatio... amor silentii... amor cubiculi et solitudinis... frequens oratio...

An hujusmodi signa recollectionis in me reperio?... Nonne plures hic defectus?... Humiliter veniam petam a Domino.

II P. MOTIVA. — Ut recollectionem amem et servare studeam, ejus excellentia, fructus, imo necessitas me, hominem Deo devotum et ad profectum spiritualem aspirantem, movere debent...

E recollectione oritur mentis serenitas, pax interna, qua pii sacerdotis anima similis evadit speculo aquæ tranquillæ... aut cœlo sereno atque pellucido...

Inde quoque immunitas a multis distractionibus ac tentationibus...

Item virtutum ac fervoris conservatio....

Facilitas quoque atque aptitudo ad orandum, ad meditandum...

Demum interna illuminatio, conversatio ac familiaritas
Osee 2. cum Deo. *Ducam*, inquit, *eam in solitudinem et loquar ad*
Matth. 6. *cor ejus...* — *Tu autem cum oraveris, intra in cubiculum tuum, et clauso ostio, ora Patrem tuum in abscondito...* — In anima recollecta velut in speculo sol justitiæ relucet...

Kemp. III, 1. « Beata anima, inquit liber *De imitatione*, quæ Dominum « in se loquentem audit!... Beati oculi, qui exterioribus « clausi, interioribus sunt intenti!... Beati, qui Deo vacare « gestiunt, et ab omni impedimento sæculi se excu- « tiunt... »

An recollectionem amo et sector sicut hæc gravissima motiva suadent?... Concede mihi, Domine, recollectionis gratiam....

III P. MEDIA ET PRAXIS. — Ad recollectionem conferunt externa *modestia* et custodia sensuum, *solitudo* et *silentium*... Diligentissime curandum est homini spirituali ut portas sensuum suorum, oculorum præcipue, aurium et linguæ, ab omni inordinatione custodiat...

Confert deinde humilitas... charitas... divinæ præsentiæ recordatio... oratio frequens... aspirationes jaculatoriæ...

Expedit non assumere, præter officia muneris et ex indiscreto zelo, laborem nimium, plurave negotia quibus mens obruatur totusque homo velut absorbeatur... sed ea tantum, quæ virium mensuram ac temporis moraliter expleant...

Non officient labores ex officio obedientiave subeundi, dummodo laborans non se illis *tradere* sed *commodare* velit... « Homo internus cito se recolligit, quia nunquam « se totum ad exteriora effundit... Non illi obest labor « exterior, aut occupatio ad tempus necessaria ; sed sicut « res eveniunt, sic se illis accommodat... Tantum homo « impeditur et distrahitur, quantum sibi res attra- « hit... » Kemp. II, 1.

Maneat homo Dei in externa solitudine plerumque, quantum est ex se... Quod si Dei voluntate evocetur, solitudinem internam secum ferre studeat, id est, memoriam thesauri sui interni, inhabitantis Dei... Sic homo qui ingentem portat absconditum thesaurum, hunc nusquam obliviscitur... Nimirum Dei memoria efficiet, ut mens et voluntas in Deo directe vel indirecte occupentur ; utque res externæ velut in animæ atrio detineantur, neque ad intimum sanctuarium, ubi Deus solus cum anima residet, penetrare possint... Hac porro interna solitudine anima in recollectione conservabitur...

An media illa recollectionis acquirendæ et servandæ adhibere studeo?... Quid hic statuendum in posterum?..

Addatur oratio finalis ad recollectionis gratiam postulandam.

De amore solitudinis.

Pr. 1. *Ducam eam in solitudinem et loquar ad cor ejus.* Osee II, 14.

Pr. 2. Ut exemplo Christi et Sanctorum solitudinem amem, et quomodo statui meo congruit, custodiam.

I. Quare solitudo amanda? II. Quomodo practice servanda?

I P. SOLITUDINIS AMOR. — *O beata solitudo! o sola beatitudo!* merito quidam devotus Dei famulus exclamat... Quia sicut mundani homines in conventibus, festorum strepitu et amicorum consortio solatia quærunt; ita viri sancti mirifice delectantur solitudine, ubi Deum inveniunt ac cœlestia bona... quietem... securitatem... cum Deo, cumque Sanctis conversationem... suavissimam in rebus divinis felicitatem... et quasi prægustatum paradisi...

In solitudine anima sponte ad Deum elevatur... Deum velut sibi appropinquantem videt ac sentit... loquentem audit... Quapropter Dominus dicit: *Ducam eam in solitudinem et loquar ad cor ejus...*

Osee 2.

Isaï. 35. In solitudine velut sponte germinant virtutes... *Lætabitur deserta et invia, et exultabit solitudo, et florebit quasi lilium... Quia scissæ sunt in deserto aquæ, et torrentes in solitudine... Et erit ibi semita et via, et via sancta vocabitur: non transibit per eam pollutus... et ambulabunt qui liberati fuerint... et venient in Sion cum laude, et lætitia sempiterna super caput eorum...*

Sicut in mundano strepitu fervescunt passiones, et corda turbantur; ita in solitudine invenitur quies et pax... in qua Dominus... *Factus est in pace locus ejus...*

Psalm. 75.

Sicut cor effusum et humana conversatione dissipatum, est velut forum publicum, ubi profana omnia... ita cor solitarium quasi tabernaculum est absconditum, in quo Deus habitat...

Solitudo, longe a mundi vanitatibus et periculis, animæ velut arca salutis efficitur... S. Ambrosius, in hæc verba scribens: *Ingredere tu et omnis domus tua in arcam*, sic ait: Ibi salus, foris pericula, diluvium...

Gen. 7.

Kemp. I, 20. Nonne merito dixit vir sapiens: *Quoties inter homines fui, minus homo redii?...*

Nonne ad doctrinam nostram scriptum est: *Tunc Jesus ductus est in desertum a Spiritu*, utique a Spiritu sancto?...

Nonne solitudinem mihi commendat Dominus cum dicit: *Tu autem quum oraveris, intra in cubiculum tuum, et clauso ostio, ora Patrem tuum in abscondito?...*

Matth. 6.

Nonne solitudinem vel solitudinis spiritum nobis com-

mendant innumeri Patres, olim in eremo habitantes, in montibus, in speluncis et in cavernis terræ latentes, atque inde longe lateque diffundentes odorem omnium virtutum?...

O quam beate vivebant illi anachoretæ in sua solitudine!... totque sancti monachi in sua cellula absconditi, velut in abscondito tabernaculi Dei!... donec migrarent in cœlum...

Nonne debeo et ego, prout fert conditio status mei, solitudinis bona sectari, et cum Jesu a turba declinare?... *Jesus enim declinavit a turba...* — *Et dimissa turba, ascendit in montem solus orare. Vespere autem facto, solus erat ibi...* Da mihi, Domine Jesu, hoc tuum exemplum imitari. Joan. 5. Matth. 14.

II P. PRAXIS. — Non utique competit vocationi nostræ ut omnino ab hominum consortio segregati vivamus; non enim ipse Christus Dominus semper in eremo remansit; sed ut spiritu solitudinis animati, semper solitudine interna... et frequenter etiam externa utamur...

Interna autem solitudo in eo consistit, ut quis, ex officio inter homines et negotia positus, ita cor servet quietum atque ad orandum dispositum, quasi in corporali solitudine esset... *Multa sunt*, aiebat S. Franciscus Salesius, *et turbulenta quæ me obsident negotia; sed cor meum est solitarium...*

Ad hanc internam solitudinem requiritur, ut e cordis sanctuario excludatur inordinatus affectus ad creaturam quamlibet... et nimia sollicitudo negotiorum... quasi nulla Providentia esset...

Ad internam solitudinem quoque conferunt sex monita: ut nullum negotium ultra vires sponte suscipiatur... ut successus operis ne immoderate aut absolute appetatur... ut officium impleatur, non cum æstu et violentia, sed suavi assiduitate: *Noli te tradere sed commodare...* ut memoria servetur divinæ præsentiæ... ut cum fiducia recurratur ad Deum per frequentes orationes jaculatorias... Quantum potes, interdum te recollige, et ad centrum tuum, qui cœlestis Pater est, revertere...

Demum statue raro exire, cubiculum amare, et illic solus cum solo Deo versari, donec ratione charitatis evoceris...

Kemp. I, 20. *Cella continuata dulcescit, et male custodita tædium parit... Nemo secure apparet, nisi qui libenter latet...* — An nihil mihi reformandum in futurum?...

Petatur auxilium gratiæ ad amandam practice solitudinem, juxta exemplum Domini et Sanctorum.

De silentio.

Pr. 1. *Jesus autem tacebat.* Matth. XXVI.

Pr. 2. Ut exemplo Christi et Sanctorum silentium amem et servem sapienter.

I. Quare silentium est amandum? II. Quomodo rite servandum?

I P. SILENTII AMOR. — Tanti pretii est silentium in spirituali vita, ut omnes Doctores qui sanctitatis documenta tradiderunt, omnesque religiosorum ordinum fundatores, illud imprimis necessarium judicaverint, et veluti conditionem progressus in spiritu præscripserint servandum...

Merito dici solet : verba bona argento æquiparantur, silentium autem auro...

Nonne silentium nos docuit incarnata Sapientia, quæ cum venisset in mundum ut doceret nos, primum dedit silentii documentum... et quidem vix aperuit os suum ante trigesimum ætatis annum... Deinde vero, in supremo passionis die, præclara dedit silentii exempla... Dicente Matth. 27. Pilato : *Non audis quanta adversum te dicunt testimonia?... non respondit ei ad ullum verbum, ita ut miraretur præses vehementer...* Utinam, o Jesu, mihi tribuas tuum silentium imitari!...

Quanta sæpe incommoda vitaret sacerdos, si accusationibus, injuriis, vel pungentibus verbis lacessitus, Christi silentium imitaretur!...

Prov. 10. Jac. 3. Nonne silentio multa præcluduntur peccata?... *In multiloquio non deerit peccatum...* — *Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir...* — Et merito in *Imitatione* scriptum est : « Facilius est omnino tacere, quam

Kemp. I, 20.

« verbo non excedere... Nemo secure loquitur nisi qui « libenter tacet »...

Dicebat S. Arsenius : *Sæpe me pœnituit locutum esse, nunquam vero tacuisse...*

Amor silentii fons est quietis et pacis... maximeque confert ad animi recollectionem, adeoque ad profectum in spiritu. *In silentio et quiete proficit anima devota, et discit abscondita Scripturarum...* Kemp. I, 20.

Qui cupit in via Domini progressus facere, aiebat Beatus Alphonsus Rodriguez, *multum loquatur cum Deo, parum cum hominibus...*

Dicebant cœnobitæ ægyptii, teste Cassiano : *Quicumque fieri cupit homo interior, studeat esse surdus, cæcus et mutus...*

Et sancto Arsenio, ut ad perfectionis apicem ascenderet, hoc cœlitus datum documentum : *Arseni fuge, tace, quiesce...*

Cum tanta sint silentii emolumenta et necessitas, nonne ejus praxis amanda... nonne cognoscere debeo quomodo silentii virtus a me servanda sit ?... nonne idcirco gratia Dei efflagitanda ?...

II P. SILENTII PRAXIS. — Ut sancte silentium servetur, distinguenda imprimis est silentii virtus a taciturnitate... qua perperam tacetur ubi potius loquendum foret... *Tempus tacendi, et tempus loquendi...* Eccl. 3.

Silentium servandum, ubi præscribitur : in templo, in sacristia... præsertim ante et post missæ celebrationem...

Silentium servandum quamdiu locutio non foret silentio melior... Ita gladius manere solet in vagina, nec stringitur nisi interdum ; nec debet instrumentum semper, sed tantum opportuno tempore sonare...

Sermo qui dirigitur ad Deum, semper bonus est... — Qui autem ad homines non item. Ut autem bonus sit, oportet ut ad utilitatem tendat loquentis vel audientis...

Ubi loquendum est, sermo sit circumspectus, non inconsideratus... et habeatur ratio ædificationis, tum in rebus dicendis, tum in ratione ac modo loquendi...

Cognoscere expedit objectum silentii, seu verborum genera a quibus abstinendum, nimirum :

Verba mala, sive detractionis, mendacii, irreverentiæ...

sive quomodocumque obedientiæ, charitati, decori contraria...

Verba prorsus otiosa, quibus tempus pretiosum perperam consumitur...

Verba indiscreta, de rebus quæ sub secreto sunt servanda... aut imprudentia, de iis materiis quæ dissentiones aliave incommoda provocare possint...

Concludenda meditatio oratione ad Verbum incarnatum, ut doceat me sanctum silentium... et, ubi loquendum erit, sancte et sapienter loqui... secundum regulam S. Petri : I Pet. 4. *Si quis loquitur, quasi sermones Dei...* Imploretur intercessio Sancti Joseph et aliorum Sanctorum.

De spiritu laboris. — Notio, praxis.

Pr. 1. *In laboribus plurimis.* II Cor. IX, 23.

Pr. 2. Ut spiritu laboris animatus, me totum devoveam operi Domini.

I. Quid sit spiritus laboris ? II. Quibus effectibus manifestetur ?

I P. NOTIO. — Spiritus laboris, seu diligentia qua homo sese constanter in operibus necessariis vel utilibus exer- Joan. 15. ceat, virtus est statui sacerdotali propria : *Posui vos ut eatis et fructum afferatis...* utique laborando in agro Domini...

Labor assiduus præcipuum quoddam est munimen clerico in via vocationis suæ sanctæ... adeo ut sacerdos, vi suæ vocationis, esse debeat *vir laboris...* id est, vir spiritu laboris animatus. Quæ quidem virtus tam necessaria ei censenda, ut defectus contrarius, nimirum invicta propensio ad otiositatem et fuga laboris, signum sit non vocationis... Clericus enim non laborans, gravissimas suas obligationes non implebit, in vitia decidet, animas ad salutem non juvabit, eas perire sinet, et una cum ipsis damnationem incurret...

Necessitas igitur sacerdoti incumbit laborandi...

Nonne id etiam Christus Dominus exemplo suo et verbis apertissime significavit ? Posuit enim viros apostolicos in

Ecclesia sua tanquam *operarios* in vinea sua, in agro suo... *Ego*, inquit Apostolus, *plantavi, Apollo rigavit, sed Dominus incrementum dedit*... Posuit nos tanquam *architectos*, ad ædificationem perficiendam Ecclesiæ suæ : *Ut sapiens architectus fundamentum posui : alius autem superædificet*... — tanquam *pastores* gregis sui : *Pascite qui in vobis est gregem Dei*... — sicut *milites*, bellantes pro Christo : *Labora sicut bonus miles Christi Jesu*... I Cor. 3. I Cor. 3. I Pet. 5. II Tim. 2.

Deinde, nonne missio mea eadem est ac missio Christi Domini, qui per os prophetæ de se loquitur : *Pauper sum ego et in laboribus a juventute mea*... Et apud Joannem : *Me oportet operari opera ejus qui misit me, donec dies est*... Psalm. 87. Joan. 9.

An ego ita vocationem meam intueor ? An intellexi me vocatum esse ad laborandum... non ad quiescendum, aut obambulandum ?... Petatur a Christo Domino, laboribus pro me dedito, idem spiritus laboris quo ipse fuit animatus....

II P. EXERCITIUM SEU PRAXIS. — Qualis esse debet labor sacerdotis ? Qualis, quoad objectum, qualis quoad modum ?

Labor sacerdotis nequaquam est profanus, sed Deo consecratus. *In his quæ Patris mei sunt oportet me esse*... *Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus, ut ei placeat cui se probavit*... Luc. 2. II Tim. 2.

In iis itaque quæ ad ministerium sacrum pertinent, vir ecclesiasticus debet occupari : *Tu vero vigila, in omnibus labora, opus fac evangelistæ, ministerium tuum imple*... II Tim. 4.

Studio quoque debet incumbere, sed studio scientiæ sacræ, non rerum profanarum et quæ mere curiositatis sunt... *Labia sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent ex ore ejus*... Malach. 2.

Ministerii itaque et studii sacri laboribus incumbat assidue... salva semper oratione... ut et recreatione convenienti...

Quoad modum, laborandum est sancte : id est, intentione pura, pro Deo et pro animabus... et quidem laborem animando spiritu amoris... *Ubi amatur*, inquit S. Augustinus, *non laboratur*, scilicet laboris gravamen non sentitur.. *aut si laboratur, labor amatur*. .

Laborandum fiducialiter, a Deo auxilium exspectando.
Psalm. 69. *Deus in adjutorium meum intende....*

Laborandum ordinate, sequendo ordinem temporis et
Eccl. 3. rerum. *Omnia tempus habent*...Primo necessaria, secundo utilia, demum jucunda...

Laborandum assidue, cum patientia et constantia... *Patientia opus perfectum habet...*

Laborandum demum humiliter, ita ut humiles simus in
Psalm.113. successu, sive bono, sive malo... *Non nobis, Domine, non*
Luc. 17. *nobis : sed nomini tuo da gloriam... — Quum feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite : servi inutiles sumus ; quod debuimus facere, fecimus...*

An ita laborem meum sanctifico?... An non defectu intentionis... aut patientiæ... aut humilitatis... multum de merito operum meorum ac fatigationum amitto?...

Finalis oratio fiat ad sanctos Apostolos qui, exemplo Domini, indefessim laborarunt, et quidem usque ad ultimum spiritum, pro Ecclesia, pro Evangelio, pro instructione fidelium, pro conversione ac salute animarum.

De spiritu laboris. Quomodo acquirendus.

Pr. 1. *Laboramus operantes manibus nostris.* I Cor. IV, 12.

Pr. 2. Ut exemplo Christi et Apostolorum assidue operando, in spiritu laboris perficiar.

Ad spiritum laboris acquirendum tria concurrunt : I. laboris æstimatio, II. exercitium laborandi, III. ordo vitæ.

I P. LABORIS ÆSTIMATIO. — Magni faciendus est labor et consequenter amandus, quia homini, præsertim sacerdoti, est necessarius ac fructibus pretiosus.

Nonne omni homini necessarius labor necessitate natu-
Job. 5. ræ?... *Homo nascitur ad laborem et avis ad volatum...*

Nonne necessarius necessitate pœnali?... Adamo enim
Gen. 3. peccatori dictum est : *Maledicta terra in opere tuo : in*

laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ : spinas et tribulos germinabit tibi... Lex laborandi est universalis, cui subjacent omnes, ex qua nullus eximitur... cui imprimis sacerdos obedire tenetur... Quomodo enim laborandi obligationem prædicabit, si ipsemet fuerit otiosus ?...

Nonne labor necessarius ad vitanda pericula otiositatis ?... Quid magis ad bonos mores prodest quam labor assiduus ?... Nonne omnes vitæ asceticæ magistri docent, vitam hominis sanctificandam esse per vicissitudinem orationis et operationis...

Mihi autem sacerdoti nonne labor necessarius ex ordinatione evangelica ? Evangelium enim est semen, laboriose excolendum... Quod et manifestius patet exemplo Christi... Apostolorum... omniumque sacerdotum, qui, ut S. Franciscus Salesius, ministerio apostolico digne perfuncti sunt... *Me oportet operari opera ejus qui misit me, donec dies est...* — *Rogate Dominum messis, ut mittat operarios in messem suam...* — *Dignus est operarius,* ille utique qui gnaviter laborat, *cibo suo...* — *Neque gratis panem manducavimus ab aliquo,* scribit Apostolus, *sed in labore et fatigatione, nocte et die operantes, ne quem vestrum gravaremus. Non quasi non habuerimus potestatem ; sed ut nosmetipsos formam daremus vobis ad imitandum nos. Nam et cum essemus apud vos, hoc denuntiabamus vobis, quoniam si quis non vult operari, nec manducet...*

Joan. 9. Luc. 10. Matth. 10. II Thess. 3.

Fructus autem laboris nonne pretiosissimi, tum pro sacerdote laborioso, tum pro animabus ?... Sacerdoti namque, si labori assiduus fuerit, erit gaudium... serenitas animæ et passionum tranquillitas... ac meritum coram Deo... *Unusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem...* — *Modicum laboravi et inveni mihi multam requiem...* — *Labores manuum tuarum quia manducabis : beatus es et bene tibi erit...* — *Anima operantium impinguabitur...*

I Cor. 3. Eccli. 51. Psalm. 127. Prov. 13.

Imo laboris, præsertim externi, fructus est ipsa valetudo corporalis. *Sanitas est, citra satietatem cibum sumere,* ait Hippocrates, *et impigrum esse ad laborem...*

Ex parte vero animarum, non minor sane fructus erit multarum salus et sanctificatio... Messis enim consequi
Prov. 24. solet diligentiam laborantis. *Præpara foris opus tuum, et diligenter exerce agrum tuum : ut postea ædifices do-*
II Cor. 9. *mum tuam... — Qui parce seminat, parce et metet ; et*
II Tim. 2. *qui seminat in benedictionibus, in benedictionibus et metet... — Laborantem agricolam oportet primum de fructibus percipere...*

Nonne igitur laboris spiritus summi momenti est, maximeque desiderabilis ?... Qualis hic mea dispositio et habitus ?...

An studeo exempla Sanctorum, ut Antonini, Alphonsi, aliorum, exemplum imitari ?

II P. EXERCITIUM. — Ad acquirendum spiritum laboris, necessarium est exercitium. Assumenda consuetudo nunquam temporis particulam perdendi... Omne scilicet tempus utiliter expendatur, sive in ministerio sacro, sive
I Cor. 7. extra ministerium, legendo, studendo vèl orando... *Tem-*
Galat. 6. *pus breve est... Ergo dum tempus habemus operemur bonum...*

Num ita labori sum assiduus ?... Num quid in agendi ratione est reformandum ?... Quid a Deo petendum ?

III P. ORDO VITÆ. — Ad vitam laboriosam, ut decet, instituendam, ordo seu distributio temporis, uniuscujusque circumstantiis conveniens, præscribendus est et sequendus. Sic fiet ut omni horæ sua sit adscripta occupatio... ut omnia officia accurate impleantur... nec unquam tempus deficiat... demum ut opera plura brevissimo etiam spatio efficiantur...

Num ordinem diurnum mihi præfixi ?... num eum ita sequor, ut non ex negligentia vel ignavia violem ?... Quid faciendum in posterum ?...

Oratione finali bonum propositum Christo Domino offeratur, et gratia petatur ordinem vitæ fideliter sequendi, ut tota vita sancto labore consumatur.

De ordine vitæ. — Ordinis amor.

Pr. 1. *Omnia honeste et secundum ordinem fiant.* I Cor. XIV, 40.

Pr. 2. Ut secundum mentem Apostoli, ordinem amem et custodiam.

I. Ordinis excellentia ; II. utilitas et fructus.

I P. EXCELLENTIA. — Magni faciendus est ordo vitæ, et ex corde amandus ob ejusdem excellentiam, quæ tanta est, ut in ordinata vivendi regula, velut in fundamento, sacerdotalis virtus ac felicitas firmetur...

Ordo vitæ, una cum *meditatione* et *examine* conscientiæ quotidiano, triplex illud munimentum constituit, quo sacerdotalis sanctitas tuta redditur et inexpugnabilis... *Funiculus triplex difficile rumpitur...* Eccl. 4.

Ille autem hic intelligitur *ordo vitæ*, qui etiam *ordo diurnus* seu *vivendi regula* vocatur ; estque apta quotidianorum operum in singulas dici horas distributio, quæ modo stabili servatur instar legis...— Practice autem, ordo hujusmodi nihil aliud est quam ordo seminarii, sacro ministerio pro cujusque officiis accommodatus...

Si res altiore intuitu spectetur, nihil ordine excellentius, qui fundatur in *vero*, estque fundamentum *pulchri* et *boni*... quem Philosophi formam seu animam rerum, et principium venustatis appellant... quem S. Augustinus ab ipso Deo manare docet... et omnibus Dei operibus esse impressum... atque homini ducem existere ad Deum...

Deus, inquit S. ille Doctor, *summus et verus, a quo est omnis modus, omnis species, omnis ordo : a quo est mensura, numerus, pondus...* — *Deus amat ordinem, ordo ab ipso manat et cum ipso est... Ordo est, quem si tenuerimus in vita, perducet ad Deum... Ordo est per quem aguntur omnia quæ Deus constituit ; imo agitur ordine etiam Christus et Deus...* De civit. l. 5. De ord. l. 1.

Quam mirabilem spectamus ordinem in stellis cœli, in plantis atque animalibus terræ, in structura mundi universi !... Quam mirabiliter constituit Christus Ecclesiam suam, totumque ordinem hierarchicum... in quo velut in

imagine relucent supernorum spirituum ordines gloriosi!...

Sap. 11. O Sapientia æterna, exclamat propheta, *omnia in mensura et numero et pondere disposuisti...*

Ordo veluti caracter proprius est operum Dei. Hinc videmus Christum Dominum omnia facere suo tempore ; suamque horam exspectare. *Nondum*, inquit, *venit hora mea.*

Joan. 2. Joan. 7. — *Tempus meum nondum advenit : tempus autem vestrum semper est paratum...*

E contra, ordinis defectus seu confusio imaginem exhibet

Job. 10. inferni, *ubi umbra mortis, et nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat...*

Quantæ rationes ut ordinem amem, et spiritu ordinis qui secundum Deum est, in omnibus ducar!... Hæc gratia petatur...

II P. FRUCTUS. — Ubi ordo in rebus agendis servatur, nihil omittitur... sed omnia suo tempore fiunt, sive quæ ad Deum spectant, sive quæ ad pastoralia officia, sive quæ ad studia...

Ubi ordo, multo plura efficiuntur, quia tempus non inutiliter consumitur... prout accidit homini qui ordine caret. Hic enim, non secus ac ille qui lexico uteretur absque dispositione alphabetica, tempus plurimum perdit...

Ubi ordo, jucundius vivitur, cum omnia fiant suaviter ac sine perturbatione... cum ipsa conscientia soleat esse ordinata magisque tranquilla...

Ubi ordo, ibi virtus ; qui enim ordini vivit, Deo vivit...

Ubi ordo, ibi christiana mortificatio exercetur... nam ibidem spiritus ac ratio, non libido dominatur...

E contra, ubi ordo non est, homo multa negligit : nonne meditationis, examinis conscientiæ, studiique neglectus ex defectu ordinis procedere solet?...

Ubi ordo non est, homo multa corrumpit, perperam officiis fungens... parum proficit in quibusvis operibus... similisque efficitur naviculæ fluctuanti absque gubernaculo, quæ omni flamine ventorum, id est, libidine sua et inconstantia, jactatur in incertum...

An ordinem vitæ mihi constitui? an servo fideliter? Quid in hac re melius fieri posset?... An totam vitam absque ordine adeoque absque bonis operibus transigam?...

O Domine Jesu, æterna Sapientia, qui omnia in mensura

et ordine disponis, da mihi famulo tuo eumdem ordinis spiritum, ut in omnibus etiam minimis, tibi fidelis sim tibique placeam.

De ordine vitæ. — Necessitas et praxis.

Pr. 1. *Omnia honeste et secundum ordinem fiant.* I Cor. XIV, 40.

P. 2. Ut, secundum mentem Apostoli, ordinem amem et custodiam.

I. Ordinis necessitas. II. Ordinis custodia practica.

I P. NECESSITAS. — Humana mens, ut merito S. Gregorius ait, mutabilitatis suæ pondere ad aliud semper impellitur ; et nisi in statu suo arcta disciplinæ custodia teneatur, semper in deteriora dilabitur...

Ordo ac regula veluti vinculum est, quo sacerdos ab inordinatione impeditur et rectitudini atque officiis omnibus adstringitur... quo vinculo relaxato aberrabit... Si volo itaque constanter in bono perseverare, oportet ut ordine me devinciam...

Qui regulæ vivit, Deo vivit, S. Gregorius Nyssenus docet... Si igitur regulam tibi præfigas et secundum eam vivas, Deo vives ; sin vero sine regula fluctues, non Deo vives sed libidini tuæ... hodie implebis officia fideliter, cras omittes ; hodie mortificatam duces vitam, cras mollem et otiosam... perpetuæ scilicet instabilitati obnoxius...

« Sacerdos, aiunt Statuta Leodiensia, *forma gregis* esse « nequit, quin vitam ducat regularem. Ergo normam ali- « quam sibi præscribat, qua pietatis et muneris officia, « horis quantumcumque statutis, designantur. Deo vivit « qui regulæ vivit, inquit S. Gregorius Nyssenus : ex quo « facile intelligitur timendum esse, ne qui sine ordine « vivit, paulatim decidat, et, neglectis officiis, Deo vivere « non perseveret... » Cap 1. tit. 1.

Ordini itaque vivendum est, et obediendum Spiritui sancto dicenti : *Omnia tempus habent...* Eccl. 3.

Nec non obsequendum Apostolo præcipienti : *Omnia honeste et secundum ordinem fiant...* I Cor. 14.

Custodite ordinem, inquit S. Bernardus, ut ordo vos custodiat...

Nonne igitur oportet, ut vitæ ordinem præfixum habeam et fideliter servem ?... ut, si nondum assumpsi, sine mora normam vivendi convenientem mihi præscribam, quam servem constanter?... Petatur gratia...

II P. CUSTODIA PRACTICA. — Ut impleat sacerdos id quod ab ipso spiritus ordinis requirit, duo veniunt præstanda : vivendi regula conficienda, et confecta custodienda fideliter...

Ut regula rite conficiatur methodum indicant facillimam Statuta diœcesis Leodiensis supra citata, his verbis : *Normam aliquam sibi quisque præscribat, qua pietatis et muneris officia, horis quantumcumque statutis designantur...* Ordo scilicet ab unoquoque fiat, tum quoad objectum, tum quoad temporis distributionem, ad instar ordinis seminarii... Complectatur tum officia pietatis, tum opera ministerii, tum studium... — Determinetur imprimis certa hora surgendi et decumbendi... dein meditatio, examen conscientiæ, rosarium, lectio spiritualis, visitatio Sanctissimi, Via crucis... Missa cum debita præparatione ac gratiarum actione, breviarium, confessio hebdomadaria... dein visitatio infirmorum, visitatio scholarum, studium... et si qua puncta alia pro circumstantiis opportuna visa fuerint, instar legis constituantur...

Deinde serio enitendum est ut præscripta regula servetur *religiose*, intuitu nempe Dei, qui ordinem amat et per Ecclesiam suam commendat...

Servetur constanter, instar legis moralis et pœnalis... ita ut, nisi charitas aut necessitas, aut obedientia, aut animarum zelus... aliud postulet, non impune negligatur, nec turbetur aut invertatur...

Quod si sacerdos Domini fideliter hoc præstiterit, et ordinem custodierit, ipsemet per ordinem custodietur ab omni periculo, prospere procedet, et deducetur ad Deum, juxta S. Augustiui effatum : *Ordo est, quem si tenueris in vita, perducet ad Deum...*

Quid hic a me Deus requirit ?... Quidve a Domino petendum ?...

Fiat oratio finalis sicut in meditatione præcedenti.

De oratione.

Pr. 1. In memoriam revocentur verba Apostolorum : *Nos vero orationi et ministerio verbi instantes erimus*. Act. VI, 4.

Pr. 2. Ut magnum orandi amorem concipiam et vir orationis efficiar.

I. Orationis amor. II. Orationis exercitium.

I P. ORATIONIS AMOR. — Sacerdos esse debet vir orationis... talis autem erit si multum oret, secundum Domini præceptum : *Oportet semper orare et non deficere*... et si orationem amet... amore, qui in appretiatione consistat potius quam in gustu sensibili... Luc. 18.

Christus Dominus non tantum dedit orandi præceptum, sed et exemplum : *Erat pernoctans in oratione Dei*... Luc. 6.

Apostoli, omnesque eorum in episcopatu et sacerdotio successores, quotquot digne ministerium obierunt, viri orationis fuerunt... *Nos*, inquiunt, *orationi instantes erimus*... Act. 6.

Oratio sacerdoti peculiariter necessaria est ratione personæ suæ... Deo consecratæ, quæ sancta esse... in sanctitate permanere... et in ea crescere debet... cum hæc absque orationis spiritu consequi non possit...

Oratio enim est animæ cibus : *Aruit cor meum, quia oblitus sum comedere panem meum*... — est radix vitæ spiritualis, sine qua languet anima et moritur, sicut planta quæ radicem non habet... Psalm. 101.

Oratio sacerdoti necessaria est ratione ministerii... ut sancte... prudenter ac sine detrimento suo... et cum fructu illud exerceat. *Sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso, nisi manserit in vite, sic nec vos nisi in me manseritis*... Scilicet, nisi manseritis ita per orationem mihi conjuncti, ut influxum meum vivificum accipiatis, fructificare non poteritis... Joan. 15.

Nonne minister Christi in oratione invenit dona Dei, quæ omnibus ejus necessitatibus respondent ?... nempe sanctitatem... lumen ac prudentiam... fortitudinem... consola-

II Cor. 1. tionem, *ut possit et ipse consolari eos qui in omni pressura sunt*...

Quanta gratia nobis concessa, ut Patrem nostrum cœlestem alloqui possimus !... item Christum, Pontificem nostrum... B. Virginem, matrem nostram... angelos quoque sanctosque Dei... et quidem semper atque omni hora... Quanta utique gratia et quanta felicitas sacerdotis, qui hoc
Philipp. 3. orationis spiritu animatur !... *Nostra conversatio in cœlis est*...

O Domine, doce me orare... adauge in me orationis spiritum, ut possim semper orare et non deficere... Beatissima Virgo, impetra mihi orationis donum...

II P. ORATIONIS EXERCITIUM. — Nihil oratione facilius : omnes homines, tam rudes quam docti, Patrem suum cœlestem orare possunt... nec magis arduum est christiano Deum precari, quam puero alloqui patrem... aut pauperem rogare divitem pro eleemosyna...

Spiritus orationis, et habitus bene ac perfecte orandi gratia Dei est, frequenter petenda... Domine, doce me orare... concede mihi orationis spiritum...

Ex nostra parte requiritur exercitium frequens. Orare discimus orando, sicut pueri loqui discunt loquendo...

Ex nostra parte requiritur etiam ut removeamus bonæ orationis obstacula... per recollectionem et mortificationem...

Requiritur præterea, ut duas afferamus bonæ orationis conditiones : præsentiam Dei... et animi simplicitatem...

1° præsentia Dei, seu recordatio cum fide vivida Dei præsentis, omnis bonæ orationis veluti clavis est... Quomodo enim non sancte Deum alloquar, quem præsentem in-
Matth. 6. tueor ?... Huc pertinet hæc Domini regula : *Tu autem cum oraveris, intra in cubiculum tuum, et clauso ostio, ora Patrem tuum in abscondito : et Pater tuus qui videt in abscondito reddet tibi*... Illa visio in abscondito est præsentia Dei, affulgens animæ recollectæ.

2° Animi simplicitas in eo consistit, ut sincere et ex animo unum illud petamus quod Dominus vocavit *unum necessarium*... et alibi, *spiritum bonum*... — ut illud candide petamus et absque apparatu, sicut pueri panem
Matth 6. petunt a parentibus... *Orantes autem nolite multum lo-*

qui, sicut ethnici... Hanc simplicitatem Dominus diligit: *Cum simplicibus sermocinatio ejus... Sinite*, inquit, *parvulos ad me venire...* Prov. 3. Matth. 19.

Ut hæc duo afferre ne omittam, oportet ut ante orationem paulisper recogitem *quo vadam, et ad quid ?... Ante orationem præpara animam tuam...* Eccli. 18.

Hinc consequentur reverentia in orando... attentio... fiducia... fervor.... et perseverantia.

An studiose media illa adhibeo, ut in cœlesti orationis arte proficiam ?... An non solum orationem vocalem usurpo, sed etiam mentalem seu meditationem ?. . An orationibus jaculatoriis frequenter mentem ad Deum elevo ?... Quid emendandum ?...

O Domine Jesu, qui verbo et exemplo nos orare docuisti, qui nobis præsertim, apostolicis viris, orandi studium commendasti ad omnigena auxilia impetranda... concede propitius, ut orationi semper intenti, ejus copiosum fructum consequi mereamur.

De meditatione.

Pr. 1. *Prævenerunt oculi mei ad te diluculo, ut meditarer eloquia tua.* Psalm. CXVIII.

Pr. 2. Ut magni faciam meditandi exercitium, illudque sancte adhibeam quotidie.

I. Quare meditatio quotidie instituenda ? II. Quænam meditandi praxis ?

I P. QUARE MEDITATIO QUOTIDIANA ? — Quia sanctum istud exercitium sacerdoti moraliter necessarium est, ut gravissimas suas obligationes competenter implere possit...

Gersonius de meditatione loquens, absque hoc exercitio, ait, nullum, secluso miraculo Dei, ad christianæ religionis normam posse pertingere... Eadem est sententia Suaresii...

Necessitatem meditandi sic probat S. Alphonsus : « Licet « ex se loquendo, sine meditatione possit quis in acquisita Homo apost. append. 4. s. 3.

« gratia perdurare ; attamen, cum non meditatur, est « moraliter impossible, nempe difficillimum ne in gravia « peccata labatur : et ratio est, quia ille qui meditationi « non vacat, parum indigentias suas percipiet... parum « orandi necessitatem in qua reperitur cognoscet ; et ab « orando desistet, et non orando utique peribit. »

Si autem meditatio, secundum cujusque capacitatem intellecta, omnibus fidelibus moraliter necessaria est, quanto magis fidelium ducibus, clericis ?...

Sane Pater Magister Avila, vir sanctitate et eruditione clarissimus, sacerdotio non idoneum ducebat quicumque meditationi non esset deditus...

Experientia testatur omnes miserias hominis ecclesiastici originem ducere ex neglecta meditatione... *Desolatione*
Jerem. 12. *desolata est omnis terra, quia nullus est qui recogitat*
Prov. 24. *corde... — Per agrum hominis pigri transivi et per vineam viri stulti : et ecce totum repleverant urticæ, et operuerant superficiem ejus spinæ, et maceria lapidum destructa erat...*

Eadem e contra experientia demonstrat, meditatione quotidiana animam a peccatis purgari, et exornari virtutiPsalm. 38. bus... *In meditatione mea exardescet ignis... — Beatus*
Psalm. 1. *vir qui .. in lege Domini meditatur die ac nocte... Erit tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo...*

Luc. 6. Accedit exemplum Christi Domini : *Erat pernoctans in oratione Dei...*

Accedunt et exempla omnium Sanctorum qui, nullo excepto, sacris meditationibus fuerunt dediti... S. Franciscus Salesius ordinem vitæ sibi præscripserat cujus hoc
Psalm. 62. erat initium : *In matutinis meditabor in te...*

An ego meditationi vaco quotidie ?... An non, vel negligentia, vel quopiam sub prætextu exercitium illud vitale omitto ?... An non prætendo quod meditari nesciam, quasi res impossibilis esset ?... Formetur propositum, petatur gratia...

II P. Praxis. — Omni homini, et a fortiori cuivis sacerdoti meditatio possibilis est, imo facilis, dummodo adsit bona voluntas...

Nihil enim aliud est meditatio quam pia consideratio, instituta in præsentia Dei et conjuncta cum oratione...

Porro consideratio ista fieri potest, sive in libro : et tunc est meditata lectio ; sive mentaliter, recogitando mente aliquam fidei veritatem... — Consideratio vera qualiscumque fuerit, producere debet spiritualem fructum : pia scilicet desideria... aliquam orationem, qua petatur a Deo venia peccatorum, vel aliqua virtus... Quave Deo laudes tribuantur... Item fructus considerationis optimus est bonum quodpiam propositum cum petitione gratiæ...

Quis hujusmodi considerationem, saltem ope libri, facere non possit ?...

Quis non potest coram Deo se sistere ut mendicum ad januam divitis ?... Atqui et hæc jam oratio est, cum doceat S. Augustinus, *in oratione nos Dei mendicos esse*...

Ut autem rite meditatio fiat, legatur vespere meditanda postridie materia ; surgatur mane hora fixa, et convenienti loco meditaturus se in divina præsentia constituat... ac dein in exercitio sacro perduret per spatium determinatum, nec unquam decurtandum...

Indicat S. Ignatius alium meditandi modum facillimum, quique magno fructu adhiberi potest. Versatur circa verba singula Orationis Dominicæ, vel alterius orationis cujuslibet, aut psalmi. Flexis itaque genibus coram Deo, pronuntio verbum *Pater*, et sisto in consideratione hujus vocis, quamdiu invenio significationes varias, similitudines, gustum, consolationem in ea... Dein sumo similiter vocem *noster*... postea *qui es in cœlis*... atque ita singula cum fructu spirituali perpenduntur...

An omnem diligentiam adhibeo in meditatione peragenda ?... An propter ariditates aut distractiones, salutare hoc exercitium non omitto ?... Quid statuendum pro futuro ?...

In fine petatur suppliciter orandi ac meditandi gratia, ut in meditatione præcedenti ; imploretur quoque suffragium B. Mariæ Virginis, quæ tam studiose conservavit omnia verba Filii sui, conferens ac meditans ea in corde suo ; nec non sancti Joseph, qui vitæ interioris patronus est.

De verbo Dei et lectione spirituali.

Pr. 1. *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei.* Matth. IV, 4.

Pr. 2. Ut avidus appetam divini verbi sanctæque lectionis pabulum, eoque animam meam nutriam quotidie.

I. De verbo Dei. II. De lectione pia.

I P. VERBUM DEI. — Quid est verbum Dei et quomodo audiendum? Verbum Dei, quod auditum exhibetur ut magnum salutis ac perfectionis medium, illud est quod in Scripturis legitur, quodque Ecclesiæ ministerio prædicatur... de quo apostolus ad Thessalonicenses : *Cum accepissetis a nobis verbum auditus Dei, accepistis illud, non ut verbum hominum, sed, sicut est vere, verbum Dei...*

I Thess. 2.

Verbum Dei est *semen*... quod si ceciderit in terram bonam, *fructum afferet in patientia*... fructum scilicet vitæ vere sacerdotalis hic... et vitæ gloriosæ postea...

Luc. 8.

Verbum Dei est *panis*... *Non in solo pane* corporeo *vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei*... Panis ille animæ jucundissimus : *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua! super mel ori meo*... — Cibus ille, animæ vitam sustentans et perficiens... non minus quam corporeus panis necessarius est... *Percussus sum ut fœnum et aruit cor meum, quia oblitus sum comedere panem meum*... Quid fit de anima hoc cibo privata?...

Matth. 4.

Psalm. 118.

Psalm. 101.

Verbum Dei est *gladius*. Sic enim Paulus ait : *Vivus est sermo Dei, et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti, et pertingens usque ad divisionem animæ et spiritus*... Præcidit vitia, purificat intima cordis, movendo nos ad compunctionem et mortificationem...

Hebr. 4.

Verbum Dei est *lumen*... prout propheta canit : *Lucerna pedibus meis verbum tuum, et lumen semitis meis*...

Psalm. 118.

Verbum Dei *ignis* est... *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis* dum loqueretur in via et aperiret nobis Scri-

Luc. 24.

pturas ?... Scilicet verbum Dei inflammat nos amore Dei et Domini nostri Jesu Christi, ostendendo quantopere ipse nos diligat... accendit et amore proximi ac zelo salutis animarum... replet fervore in divino servitio...

Ut autem salutares hujusmodi effectus in me producant, verba Dei legere debeo in sacra Scriptura, eaque meditari summa cum reverentia... ac intentione purissima, ut discam scilicet scientiam sanctorum...

Audire quoque debeo evangelicam prædicationem, tanquam verbum quod ipse Christus mihi loquitur ore ministri sui, qualiscumque fuerit hujus ministri eloquentia... Dummodo irrigetur hortus animæ, aiebat S. Franciscus Salesius, quid refert utrum aqua marmoreo canali adveniat, an plumbeo aut ligneo?

Quomodo ego sacram Scripturam lego, ejusque vel minima verba meditor?... Quomodo audire soleo evangelicam prædicationem?... Dolebo de negligentia, petam emendationis gratiam.

II P. LECTIO PIA. — Præter divini verbi auditionem ac meditationem, semper commendaverunt sancti Patres lectionem piam, tanquam exercitium asceticum ad assequendam perfectionem maxime efficax.

Pia lectio intelligitur, non illa quæ curiose pascat intellectum... sed quæ potius moveat ad detestanda vitia et operandum bonum. . Hujusmodi lectiones suppeditant Thomas Kempensis, *De imit. Christi ;* Rodericius, *Tractatus de christiana perfectione, — Vita S. Francisci Salesii,* aliæque Vitæ Sanctorum ; nec non liber *Statutorum* diœcesis...

Quam felices, qui lectionem bonam gustare norunt!... *In omnibus requiem quæsivi,* aiebat Thomas Kempensis, *et nusquam inveni, nisi in angulo cum libello...*

Bonus liber amicus est, amicus verus, consolator et dux in via vitæ... qui viam Dei nos docet aperte... de vitiis nos arguit nec displicet nobis...

Ut autem libros graves et bonos gustemus, necesse est ut abstineamus ab omni lectione frivola... imo non nisi sobrie delibemus diaria publica, et quantum ministeria nostra notitiam rei politicæ requirunt...

Quotidie certum tempus spirituali lectioni tribuendum...

quæ intentione pura instituatur, ut animam in spiritu nutriat et ædificet...

An ita lectionis piæ adjumentum adhibeo?... An tempus lectionibus profanis ac frivolis non consumo?... An sic exercitium istud perago, ut vere prosit animæ meæ?.. Quid hic ordinandum in melius?...

O Domine Jesu, qui nobis thesaurum reliquisti sacræ Scripturæ, et beatos dixisti eos qui audiunt verbum Dei et custodiunt illud : da mihi, quæso, ita animam meam cœlesti hoc pabulo nutrire, ut et mihi prosit, et iis quos ex officio muneris mei debeo docere.

De annuo secessu.

Pr. 1. *Ducam eam in solitudinem et loquar ad cor ejus.*

Pr. 2. Ut intelligam quanti momenti sit sacerdoti annuus secessus, utque hoc perfectionis medium nunquam negligam.

I. Quare annuus secessus obeundus? II. Quomodo eumdem cum fructu obibo?

I. P. QUARE? — Quia annuus secessus efficacissimum est sanctitatis ecclesiasticæ medium... Quapropter tam instanter a superioribus Ecclesiasticis commendatur. « Cum diuturna experientia compertum sit, inquiunt Sta-« tuta diœcesis Brugensis, ad conservandam sacerdotalis « ordinis dignitatem ac sanctimoniam, et ad officia sua « fructuose et exemplari modo adimplenda, summopere « conducere, ut viri ecclesiastici singulis annis, per aliquot « dies, operam dent spiritualibus Exercitiis ; inhærentes « Summorum Pontificum litteris et monitis, quibus hujus-« modi spiritualia Exercitia tantopere commendantur, « omnes sacerdotes nobis subjectos obsecramus et adhor-« tamur, ut singulis annis intersint hujusmodi Exercitiis « quæ in hac diœcesi clero traduntur... »

S. Franciscus Salesius quotannis, inter Paschatis et

Pentecostes tempora, per decem dies spiritualibus Exercitiis vacabat ; et plerumque adhuc alterum secessum instituebat alio tempore... — S. Carolus Borromæus bis in anno sacra exercitia obibat... et cum cognovisset finem vitæ suæ instare, per eadem exercitia se præparavit ad mortem...

Pretiosi sunt sacrorum exercitiorum fructus : nempe clarior intuitus veritatum fidei... renovatio spiritus ecclesiastici... conscientiæ pax... vita felicior... pignus bonæ mortis...

Ministerii strepitu et tumultu negotiorum, divinæ veritates in mente obliterantur... in solitudinis autem tranquillitate, tota sua luce apparent... et vox Domini intus loquentis auditur...

Si quid detrimentum passus est spiritus, reparatur, juxta Apostoli monitum : *Renovamini spiritu mentis vestræ*... Ephes. 4. defectus emendantur... pericula removentur... excutitur tepiditas et fervor resuscitatur...

Cum vita negligenti ac tepida conjungi solet conscientiæ obnubilatio et anxietas... in sacro autem secessu pax recuperatur et serenitas...

Et quoniam sacerdos exercitiis vacans, ex toto corde iterum se Domino tradit, ut omnino et non ex parte Deo et Ecclesiæ serviat... in hac devotione sincera invenit principium felicitatis illius, quam Dominus fidelibus suis famulis reservat...

Demum secessus optima est ad mortem præparatio ; et qui quotannis pie Exercitia obibit, non utique imparatus a morte deprehendetur...

An ego hoc sanctitatis ecclesiasticæ medium non negligo ?... Quid hic superiores mei exoptant ?... Quid a me postulat Deus ?...

Hic gratiæ agantur Deo pro beneficio annui secessus, et auxilium petatur eodem semper cum fructu utendi...

II P. QUOMODO. — Ut cum fructu annua Excercitia obeam, oportet ut me expediam penitus ab omni alio negotio... et post annum integrum aliis impensum, aliquot dies omnino consecrem animæ meæ...

Maximi quoque interest ut exercitiis intersim integris... id est, ab introductione usque ad conclusionem... neque

ea mutilem, post initium adventando : quod aliis est pravo exemplo... et mihi detrimento non levi...

Ex animo et toto corde me impendere debeo iis quæ ad Deum et animam meam pertinent... secludendo prorsus omnem cogitationem de rebus aut negotiis alienis... ut sim solus cum solo Deo, et in solitudine cordis audiam vocem ejus...

Omne tempus impendam exercitiis præscriptis, et actiones, etiam communes, ordinis diurni perficiam modo non communi... ut in omnibus sancte me gerere discam... Itaque officium divinum, oratio ad mensam, refectio, recreatio ipsa... fiant sicut a piis sacerdotis fieri decet...

Multum orare expedit... et fructus adnotare... describendo lumina et proposita in libello spirituali, qui pio sacerdoti thesaurus efficitur pretiosissimus... Hoc enim per annum identidem relegendo, fervor, tempore Exercitiorum conceptus facillime renovatur...

Cavendum ab omni dissipatione, tum durante secessu... tum in redeundo ad propria...

An ita me gerere consuevi ?... Si exiguum forte emolumentum ex illa tanta gratia collegi, nonne quia illa monita non studiose servavi ?... Quid in posterum faciam, ut nihil in hac parte coram Deo reprehensibilis inveniar ?...

Oratio finalis adjiciatur, qua Deo agantur gratiæ, venia postuletur pro exiguo fructu e sacris Exercitiis percepto, et auxilium divinum flagitetur pro futuro.

De recollectione menstrua et hebdomadaria.

Pr. 1. *Renovamini spiritu mentis vestræ, et induite novum hominem.* Ephes. IV, 23.

Pr. 2. Ut intelligam renovationis necessitatem, eoque medio diligenter utar ad perseverandum.

I. Recollectio menstrua. II. Recollectio hebdomadaria.

I P. RECOLLECTIO MENSTRUA. — Medium præcipue efficax conservandi fructum secessus annui est Recollectio

menstrua, exercitium jam inde a tempore S. Vincentii a Paulo inter sacerdotes pios usitatum... in hoc consistens, ut initio cujusque mensis, vel saltem in mensis decursu, seligatur fixus dies, quo sacerdos, per unam saltem alteramve horam, intret cum Moyse in Tabernaculum Dei, et statum animæ suæ consideret...

Fit autem exercitium istud privatim vel publice.

Si fiat *privatim*, statuto ac fixo die, verbi gratia, prima feria VI mensis : tunc, coram Sanctissimo, vel in secreto cubiculi, præmissa oratione, examinet coram Deo quomodo sese elapso mense habuerit... qua cura ordinem diurnum servaverit... defectum dominantem impugnaverit... proposita secessus annui custodierit... Quæ quidem proposita, nec non verba Dei quælibet in libello spirituali scripta, partim saltem, tunc relegere expediet...

Examinet utrum in quotidianis pietatis exercitiis nihil fuerit omissum... in officiis pastoralibus nihil neglectum... utrum nulla irrepserit tepiditas et incuria... et si quid deficere inveniat, remedium apponat, ut domus sarta tecta servetur...

Proposita autem bona renoventur, ut mensis sequens ferventer transigatur, quasi ultimus vitæ foret...

Addi potest alia pia lectio, vel meditatio ad excitandum fervorem idonea...

Concludatur autem exercitium instituendo præparationem ad mortem. Quapropter examinetur coram Deo triplex quæstio : 1° An ad me pertinet verbum illud : *Estote parati, quia qua hora non putatis, Filius hominis veniet?*.. 2° An sum paratus?... et si nunc Filius hominis veniret, an inveniret me vigilantem, sine peccatis... ac bonis operibus intentum?... 3° Quid faciendum mense proximo ut, si veniat Dominus, paratus inveniar?... Luc. 12.

Quod si in vicinio tradantur *publice* exercitia Recollectionis menstruæ, quæ institutio in plerisque Belgii oppidis jam viget, omni diligentia est adhibenda, omne impedimentum removendum, omne obstaculum superandum, ut iis intersint clerici : adeo ut si, absque rationabili causa, eadem sacerdos frequentare omittat, non sit irreprehensibilis coram Deo... Nonne resistit Episcopo suo instanter invitanti?... Nonne negligit gratiam, qua indiget ut præ-

servetur a periculo et lapsu... ut custodiatur in ecclesiastico spiritu... ut una cum fratribus consoletur et animetur in Domino... ut utilior gregi fiat... et obligationes sibi incumbentes recte et cum fructu majore implere discat?... Nonne de hoc talento rationem Deo reddet?... Nonne populo, etiam in hac occasione, exemplum tenetur dare, ne dicere possint: *Arguis nos quod verbum Dei non audiamus, et tu ipse audire non curas...*

An Recollectionem menstruam vel privatim instituo?... vel, si interesse possim ubi publice peragitur, id non negligo?... Nihilne hic coram Deo emendandum?... Fiat propositum et petatur gratia.

II P. RECOLLECTIO HEBDOMADARIA. — Præter Recollectionem menstruam, ii qui perseverantiam et progressum suum cordi habent, instituunt Recollectionem hebdomadariam, quod exercitium quisque privatim peragere potest. Dies fixa statuatur quæ sit magis labore vacua: verbi gratia feria II, ut homo Dei aliquantulum ad se redeat...

Per temporis spatium quod quadrante brevius esse non potest, coram Sanctissimo, vel in secreto cubiculi, præmissa oratione, consideret quomodo hebdomadam elapsam transegerit... Num sancte instituerit sacramentalem confessionem... nihilque de consuetis exercitiis pietatis aut muneris sui officiis neglexerit... — Prævideat deinde agenda, ordinetque ommia ut rite transigatur hebdomada subsequens... idque oratione a Deo postulet.

Addi potest lectio pia, meditatio, aut præparatio ad mortem, sicut in Recollectione menstrua...

Quid obstat quominus tam utilem praxim adoptem?... Si minus constanter persevero, si facile relabor in teporem, nonne idcirco quia non sat frequenter renovo bona proposita?... *Omni die,* inquit Auctor Imitationis Christi, *renovare debemus propositum nostrum et ad fervorem nos excitare.* Kemp. I, 19.

In oratione finali gratiæ Deo agendæ pro tot auxiliis ac perfectionis consequendæ mediis... et exorandus Dominus, ut non permittat me, iisdem neglectis, grave judicium mihimetipsi parare.

3 €

De instituto consociationis sacerdotum.

Pr. 1. *Frater qui adjuvatur a fratre, quasi civitas firma.* Prov. XVIII, 19.

Pr. 2. Ut intelligam et magnifaciam spirituale subsidium, quod in consociatione sacerdotali continetur.

I. Consociationis sacerdotalis notitia. II. Ejus commoda. III. Praxis.

I P. NOTITIA. — Inter efficacissima sanctificationis media, clero sæculari ultimis temporibus data, primarium sane locum, obtinet *Consociatio sacerdotum*, quæ in pluribus jam Galliæ, et in omnibus Belgii diœcesibus instituta est.

Hujusmodi autem consociatio nihil aliud est quam institutum venerabilis servi Dei Bartholomæi Holzhauser, vitæ communis clericorum sæcularium, juxta sacros canones, sæculo XVII restitutoris, nunc innovatum, et præsentibus cleri circumstantiis accommodatum...

Quod Spiritu sancto movente piissimus Bartholomæus fundavit *Institutum clericorum sæcularium in communi viventium*, mox per magnam Europæ partem propagatum, fructus tulit uberrimos. Postquam autem calamitate temporum interiit, nostris diebus, non sine divina Providentia, revixit : et quidem sub forma faciliore, quæque plane piorum sacerdotum desideriis respondeat.

Non pauci scilicet sacerdotes, intelligentes verbum Domini : *Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum*... privatos se esse dolebant vitæ communis fructibus : cum vita communis prorsus repugnare videretur vitæ cleri per parochias dispersi... Matth. 18.

At ita Consociatio clericalis ordinata est, ut physice dispersos sacerdotes morali unione conjungat ; faciatque ut illi, salvo parochiali ministerio, inveniant communitatis commoda, spiritualiaque subsidia, quibus propriam sui status perfectionem facilius consequantur...

Pia hæc Consociatio suffragia nacta est multorum Episcoporum, et quod maximi est momenti, ipsius Sanctæ

Sedis encomia, per Breve Pii IX, die 17 maii 1876, et per alterum Breve Leonis XIII, die 31 maii 1880, publicata.

« Hanc sane institutionem, inquit Pius IX, quæ beneficia « regularium ordinum transfert in sæcularem clerum, et « prisca exornavit Ecclesiæ sæcula, læti reviviscere con- « spicimus apud Belgas. »

« Non sine magna animi nostri jucunditate, ait Leo XIII, « didicimus opus revocationis cleri sæcularis ad vitam, « qua fieri possit, communem, adeo prospero cessisse, ut « jam triginta pervaserit diœceses Galliarum, et Belgicas « omnes, probantibus Episcopis... Superno consilio facta « est instauratio salutaris istius Instituti, quod antiquis « præceptum canonibus, sæculorum lapsus et vicissitu- « dines obliteraverant... Quamobrem si decessores nostri « amplissimis commendarunt laudibus utilissimum hoc « Institutum, id ultro libenterque et nos facimus; imo quot- « quot sunt sacerdotes sæculares hortamur, ut sibi ipsis « reique religiosæ efficacius prospecturi, saluberrimæ isti « Consociationi dent nomen... »

Nihil sane his verbis addendum, ut Consociationi sacerdotali præcipuum quoddam ecclesisticæ sanctitatis medium inesse demonstretur... — Gratiæ Deo agantur pro tanto beneficio...

II P. COMMODA. — Consociatio sacerdotalis ministris Domini, per parochias dispersis, aliquatenus emolumenta spiritualia suppeditat, quibus religiosi gaudent in monasteriis : qualia sunt superiorum vigilantia et juvamen... fraterna consilia... in angustiis solamen... imo gaudium sanctum ex unione cordium procedens... *Ecce quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum !...*

Psalm. 131.

Sacerdos Consociationi aggregatus efficaciter juvatur ad servandam constanter regulam vitæ... Roboratur adversus peccatum et ieporem... promovetur in virtute ac perfectione sui status... Non enim sine causa scriptum est : *Frater qui adjuvatur a fratre, quasi civitas firma...* — *Si unus ceciderit, ab altero fulcietur. Væ soli : quia cum ceciderit, non habet sublevantem se...*

Prov. 18. Eccl. 4.

Itaque Consociationis ope perfectius secundum statum suum vivet... majorem fructum in animabus operabitur... magis honorabit et lætificabit Ecclesiam... majore pace

fructur in vita. .majorem habebit fiduciam in morte... Adeo ut Consociationi sacerdotali conveniant ea, quæ S. Bernardus de vita religiosa ceu margarita evangelica scribit : *In ea homo vivit purius, cadit rarius, surgit velocius, incedit cautius, irroratur frequentius, quiescit securius, moritur fiducialius, purgatur citius, præmiatur copiosius...*

Nonne de gratiis tantis clero oblatis laudanda divina bonitas ?... Implorabo intercessionem B. Virginis, ut easdem ego et fratres mei, juxta Dei voluntatem, sancte adhibeamus.

III P. PRAXIS. — Quomodo respectu Consociationis me habere et gerere debeo ?...

Imprimis Institutum tam salutare in se, tam conforme spiritui apostolico et sacris canonibus... institutum antiquitate sua, ac præcipue Sedis apostolicæ laudibus ac benedictione tam venerabile... nonne cum reverentia intuendum ?...

Cavendum itaque, ne sensu vel verbo hic reverentiæ desim, quod delictum grave esse possit... Si quis enim de re tam sancta sinistre vel jocose loqui... si illam tanquam singularitatem traducere auderet... an ille se non prorsus ecclesiastico spiritu vacuum, imo sacerdotis nomine indignum demonstraret?...

Ex altera autem parte, bene considerandum mihi est, utrum non possim ego hujusmodi gratiæ esse particeps ?... An ea forte non magnopere indigeo ?... An eam negligere expediet?... Quid Deus hic a me postulat ?... Quid in hora mortis, in die judicii me juvabit fecisse ?...

Concludam oratione ferventi, qua Deo gratias agam pro hoc beneficio sacerdotibus concesso... quaque lumen postulem et vires, ut adimpleam quod hic Dominus a me requirit...

De via illuminativa.

Pr. 1. *Qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ.* Joan. VIII, 12.

Pr. 2. Ut intelligam quæ sit via illuminativa, et quomodo in ea debeam ambulare.

I. Quis illuminator animarum. II. Quinam illuminandi. III. Quomodo illuminatio perficienda.

I P. ILLUMINATOR. — Via illuminativa dicitur ascesis illa, seu exercitium hominis qui, a peccatis gravibus purPsalm. 83. gatus, procedit de bono in melius, *de virtute in virtu*II Cor. 3. *tem... de claritate in claritatem...* — Hujusmodi exercitium aliud non est quam animæ sanctificatio, quæ vocari solet illuminatio, quia sanctitas in Scriptura *lux* et pecI Joan. 1. catum *tenebræ* dicitur : *Quoniam Deus lux est, et tenebræ in eo non sunt ullæ...*

Lux autem sanctitatis communicatur nobis per ChrisJoan. 1. tum. Ipse enim *est lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum...* Lux in qua oportet nos ambulare, tamquam in via ; propterea dicit : Joan. 14. *Ego sum via, et veritas et vita...*

Malach. 4. Ideo quoque Christus vocatur sol justitiæ : *Orietur vobis timentibus nomen meum sol justitiæ...* resplendens scilicet radiis omnium virtutum... et salutari luce illuminans omnem hominem qui oculos voluerit aperire...

Joan. 8. Propterea ipse Dominus prædicat : *Ego sum lux mundi : qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ...* — Est autem Christus spiritualis sol, permanens in sæcula, et prætereuntes generationes illuminans... Qui Christum ut verus discipulus sequitur, ambulat in lumine veritatis, justitiæ et vitæ, vitæ, inquam, gratiæ in hoc mundo, gloriæ in futuro... — Qui non sequitur lumen Christi, in tenebris ambulat mortis... O Jesu, Fili Dei vivi, o via, veritas et vita, quis non sequatur te summo cum amore ? Quo ibimus, te duce relicto ?...

Permanet autem Christus, ut sol animarum in mundo, Matth. 28. per Ecclesiam suam : *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi...*

O Domine Jesu, esto lux animæ meæ : illumina intellectum meum, cor meum, opera mea... ut sim filius lucis, et tenebræ in me non sint ullæ...

II P. ILLUMINANDI. — Omnes homines indigent lumine Christi, quia omnes nati sunt in tenebris et umbra mortis...

Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. Ut filii lucis ambulate... Indigent lumine intellectus, quæ est fides... et cordis, quæ est gratia sanctificans cum omnibus virtutibus christianis... Ephes. 5.

Illuminandi præsertim sunt sacerdotes, quoniam ipsi illuminare debent cæteros... *Vos estis lux mundi... ad lucendum omnibus qui in domo sunt... Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est...* Matth. 5.

Sacerdos autem lux est a Christo mutuata, lucerna a Christo accensa et eodem lumine splendens oculis hominum : adeo ut cum Apostolo dicere possit : *Imitatores mei estote, sicut et ego Christi...* 1 Cor. 11.

An ego Christi lumine fulgeo ?... An omni saltem industria studeo lumen istud vivificum accipere ?... Petatur auxilium gratiæ.

III P. ILLUMINATIO. — *Accedite ad eum et illuminamini.* His prophetæ verbis significatur, ad Christum accedendum esse ut anima illuminetur. Quomodo autem acceditur ?... Nonne per orationem... et meditationem ?... Nonne quoque ad Christum acceditur in persona confessarii ?... Nonne acceditur ad eum in altari ?... in sacra communione ?... in Eucharistia adoranda ?... Nonne ad eum acceditur in persona pauperum et infirmorum ?... *Infirmus eram et visitastis me...* Psalm. 118. Matth. 25.

Sint lucernæ ardentes in manibus vestris. Non sufficit ut anima illuminetur interius... oportet insuper ut externa opera sint lucida : quod indicant lucernæ ardentes in manibus... Porro opera lucis sunt quæ Christus nos facere præscribit et hortatur : nimirum opera pœnitentiæ et patientiæ... opera religionis et pietatis... opera charitatis et misericordiæ...opera virtutum omnium quarum Christus Dominus nobis exemplum dedit : *Exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita et vos faciatis.* Luc. 12. Joan. 13.

An viam hanc illuminativam jam ingressus sum ?... An ambulare studeo in luce Christi Domini, considerando doctrinam et exempla ejus, et impendendo me totis viribus ut ea imiter ?...

O Domine Jesu, aperi oculos meos, ut videam suavissimum lumen tuum, et in eo ambulem omnibus diebus vitæ meæ...

De regno Christi. Parabola.

Pr. 1. Spectare oculo mentis Christum Dominum in humanitate sua, tanquam Regem amabilem humani generis, quem sequuntur omnes sancti et generosi homines, præcipue vero sacerdotes ac viri apostolici, dicentes : *Tu Rex gloriæ, Christe : sequar te quocumque ieris*...

Pr. 2. Petere gratiam quam consequi intendo hac meditatione : ut intime cognoscam, amem, sequar Regem meum verum et æternalem.

I. Considerare Christum Regem sub velamine parabolæ; II. examinare parabolæ sensum.

I P. PARABOLA. — Nihil aptius est ut intelligentia nostra ad consilia divinæ Providentiæ, in ordine præsertim supernaturali, apprehendenda elevetur, quam si juvetur adminiculo parabolæ, seu allegoricæ similitudinis, prout ipse Dominus in Evangelio tot exempla dedit. Parabola autem ex mente S. Ignatii exhibens Christi regnum, est hujusmodi : Rex fuit olim divinitus electus, sicut David, ut grandem quemdam ac nobilem populum gubernaret. Dignus autem erat tam excelsa vocatione, dignus quoque magnitudine nationis sibi concreditæ. Vir enim eximius, Salomonem, Carolum Magnum, S. Ludovicum, Godefridum longe superans, dotibus omnibus quæ perfectissimum regem constituunt, erat ornatus.

Decorus facie et majestate plenus, reverentiam omnibus imprimebat ; simul autem tantam præferebat vultu bonitatem, ut omnium sibi corda conciliaret.

Externa hujusmodi species velut speculum erat internæ ingenii celsitudinis, magnanimitatis ac bonitatis ejus. Sapientia enim præstantissimus omnia populi sui tum

commoda, tum mala et pericula intelligebat; simulque paterna quadam benevolentia animatus in subditos, sicut pater in filios, id omne quod ad eorum bonum ac gloriam, prosperitatem ac felicitatem pertineret, unice quærebat. Et quidem illa quærebat tam efficaciter, ut nullum metueret laborem, nullum periculum; consiliaque sua tanta prudentia et constantia persequebatur, ut ea semper ad faustissimum exitum deduceret.

Rex ille vastum suum imperium circumspiciens, vidit provinciam sub potestate tyranni barbari oppressam : hanc, Deo volente et victoriam promittente, statuit liberandam.

Convocatis itaque subditis aperit consilium, dicens : « Mihi in animo est tyrannum, qui provinciam imperii « nostri occupavit, debellare et concives vestros in liber- « tatem vindicare. Certa mihi, Deo promittente, victoria « est : quod miraculo vobis manifestum fiet. » — Tunc sermonem suum miraculo confirmat, suscitans mortuum.

Pergit autem, dicens : « Quicumque de vobis volunt « militare mecum, accedant et sequantur me. Has autem « leges militiæ servandæ erunt : vos, mei subditi, melioris « conditionis esse quam ego rex vester, non poteritis. « Oportet ut contenti sitis cibo, potu, vestitu, quibus ego « utar ; ut mecum laboretis interdiu et vigiletis nocte ; « ut mecum in prælio fortiter pugnetis. Nec quisquam de « vobis occidetur, nisi terga verterit hostibus ; vulnerari « quidem poteritis, sed vulnera sanabuntur.

« Nec diuturna erit expeditio : brevi tempore profliga- « bitur tyrannus, et mox reversus, militibus meis præ- « mia distribuam. Ex iis alium constituam principem super « unam civitatem, alium super duas, vel super quinque, « secundum cujusque laborem ; minima tamen merces « corona principatus erit. »

His auditis homines vulgaris ingenii, quotquot sunt sanæ mentis, militiæ dant nomen : quia, inquiunt, licet non amem bellicos labores, fortuna mihi offertur, quam recusare nemo nisi stultus potest.

Viri autem generosi, intelligentes Regis sui magnanimitatem et amorem, accedunt dicentes : O Rex, magna mihi gloria est quod liceat mihi sequi te.... et sequi ad tale

bellum... At parum mihi est præstare tibi auxilium brachii mei ; quare, precor, sume et suscipe meas facultates omnes, quæcumque habeo et possideo, ad belli onera sustinenda...

Tunc Rex profectus est cum exercitu fortium, devicit tyrannum, liberavit provinciam oppressam ; et mox reversus distribuit promissas coronas militibus.

Rex iste parabolicus tam mirabilis videtur, ut talem nunquam creaverint fictiones poetarum, nec similis ullus in historia appareat : adeoque hæc parabola primo intuitu fabula videtur. Verumtamen realitatem historicam continet, et rem verissimam, tamque grandem, ut etiam idealem nostram fictionem longe superet.

II P. PARABOLÆ SENSUS. — Populus ille magnus qui indiget rege, est humanum genus, comprehendens omnes homines, ab Adamo usque ad ultimum posterorum ejus qui nascetur. — Rex ei datus divinitus, est Filius Dei incarnatus, Dominus noster Jesus Christus. — Tyrannus qui occupavit, non unam dumtaxat provinciam, sed universum imperium, est diabolus et peccatum... Bellum quod suscipitur, est magnum Christi opus, vocantis omnes homines ad expugnandum in se, atque etiam in aliis, regnum peccati... Lex militiæ est evangelica doctrina servanda... Viri generosiores, qui offerunt se totos ad laborem, nonne esse
II Tim. 2. debent imprimis sacerdotes Domini ?... *Labora sicut bonus miles Christi Jesu...*

Oratione finali me totum Christo offeram ad laborem....

De regno Christi. Rex noster spectatus in se ipso.

Pr. 1. *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, et quem misisti Jesum Christum.* Joan. XVII, 3.

Pr. 2. Ut intime cognoscam Christum Dominum, eumque ardenter amem et sequar.

Spectatus in se directe ac in persona sua, Christus Dominus duplici velut intuitu considerari potest : externo nempe et interno. Spectemus eum itaque I. externe, II. interne.

I P. EXTERNE. — Si considero Christum extrinsecus, id est, oculo mere humano, prout apparet in historia, et quomodo eum intuebantur coævi ejus... video virum illum singularem, qui tempore Augusti et Tiberii Cæsaris in Judæa versatus, christianæ religionis ac Ecclesiæ catholicæ auctor fuit... Historia teste, vir ille multis vaticiniis dudum prænuntiatus, natus est in oppido Bethlehem, in loco qui ibidem hodiedum signatus cernitur... vixit Nazareth, in domuncula, quæ nunc Loreti prope mare Adriaticum asservatur... Doctrinam postea prædicans confirmavit miraculis multis... Mortuus est Jerosolymis, in Calvarii monte, ubi adhuc foramen, in quo crux ejus plantata fuit, videre est. Eodem in loco monumentum exstat, in quo sepultus, et unde tertia die redivivus surrexit. Ex altera parte civitatis eminet mons Olivarum, in cujus vertice ascendit in cœlum, spectantibus discipulis multis, relinquens rupi impressa pedum suorum vestigia. Statim post ascensionem discipuli ejus mirum in modum multiplicati per orbem, Ecclesiam catholicam sub uno principe Romano Pontifice, prout ipse mandaverat, constituerunt. Hæc omnia testatur historia...

Quomodo autem Christum intuebantur coævi ejus? Hi omnes, paucissimis exceptis, eum habebant ut hominem, a reliquis hominibus non absimilem : alii tamen ut sanctum, alii ut novatorem damnabilem... Sic solemniter ac publica auctoritate interrogatus Joannes Baptista, utrum ipse esset exspectatus Christus, negavit, et de Jesu loquens : *Medius*, inquit, *vestrum stetit quem vos nescitis*... Joan 1.

Apparuit enim Jesus habitu externo ut homo communis; at ubi aperuit os suum ad docendum, miratæ turbæ exclamabant : *Nunquam sic locutus est homo, sicut hic homo*... Joan. 7. et cum viderent miracula : *Quia propheta magnus surrexit in nobis : et quia Deus visitavit plebem suam*.. Luc. 7.

Cum autem, tertio anno prædicationis suæ, interrogaret duodecim Apostolos de opinione publica circa suam personam, dicens : *Quem dicunt homines esse filium homi-* Matth. 16.

nis? responderunt : *Alii Joannem Baptistam, alii autem Eliam, alii vero Jeremiam, aut unum ex prophetis*... Scilicet omnes eum ut sanctum habebant ac prophetam, seu hominem a Deo missum ; nullus autem suspicabatur eum esse plus quam hominem, nempe angelum, humana specie indutum ; multo autem minus, esse Deum...

Judæorum magnates plerique et principes populi, homines pravi et hypocritæ, Jesum odio habebant. Quapropter calumniantes eum traduxerunt ut hominem pseudo-pro-
Joan. 10. phetam, ut violatorem sabbati et blasphemum... *Quia tu, homo cum sis*, aiebant, *facis te ipsum Deum*... ac demum ut hominem sceleratum crucifixerunt...

Et quidem talis est Jesus extrinsecus spectatus... At externa illa species non nisi cortex est sub qua vera ejus persona ac magnitudo latet... Intimius igitur oculo fidei inspiciendus, ad quod petenda est peculiaris Spiritus sancti illustratio....

II P. INTERNE. — Spectatus interne et fidei lumine, Jesus est verus Filius Dei, secunda SS. Trinitatis persona, pro nobis incarnatus, Deus verus et verus homo...

Talem eum cognoscebat B. Virgo Maria... talem cognoverunt S. Joseph, Elisabeth et Zacharias, senex Simeon, Anna prophetissa et Joannes Baptista...

Talem paulatim cognoverunt Apostoli, a die quo Petrus divinitatem ejus confessus est, dicens : *Tu es Christus, Filius Dei vivi*... Etsi hæc eorum notio tempore passionis Domini fuit obscurata... post resurrectionem et in die ascensionis clarior evasit... donec plenam claritatem nacti sint in die Pentecostes... Tunc perfecte cognoverunt, prout et nos cognovimus, Deum in hunc mundum venisse, et nos possidere Dominum Deum nostrum in persona Jesu Christi...

Credo, Domine Jesu, credo te esse Filium Dei vivi... *Tu rex gloriæ, Christe ! Tu Patris sempiternus es Filius !*...
Marc. 9. Credo, *sed adjuva*, quæso, *incredulitatem meam*... Credo, o Fili Dei unigenite, tu es thesaurus mundi, tu solus Dominus, tu solus Altissimus, tu solus via, veritas et vita... et nihil est præter te...

De regno Christi. — Rex noster spectatus relate ad nos.

Pr. 1. *Tu rex gloriæ, Christe!* Hymn. Eccl.

Pr. 2. Ut magis magisque Christum Regem cognoscam, eum ardentius amem, constantius sequar.

I. Christus Rex noster verus. II. Rex præstantissimus in se. III. Rex infinite bonus erga nos.

I P. CHRISTUS REX VERUS. — Cum interrogaret Jesum Pilatus utrum revera rex esset, respondit Dominus, vere se regem esse : *Tu dicis quia rex sum ego...* tametsi regnum suum assereret non esse simile regnis de hoc mundo, sed longe præstantius... Est enim Christus Rex totius humani generis... legitimus scilicet, universalis et æternus... Joan. 18.

Nonne Rex legitimus titulo hæreditatis ac donationis a Patre ?... *Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus... Dominus dixit ad me : Filius meus es tu, ego hodie genui te. Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ...* Psalm. 2.

Nonne Rex noster titulo redemptionis ? Siquidem emit nos, ipsius possessio sumus... *Redemisti nos Deo in sanguine tuo... et fecisti nos Deo nostro regnum...* Apoc. 5.

Nonne Rex noster titulo electionis ex parte nostra ? Nonne in ducem ac regem elegimus in Baptismo... in susceptione sacrorum Ordinum ?...

Rex est universalis, omnium hominum, sive boni sint sive mali... licet multi nunc eum agnoscere renuant : *Nolumus hunc regnare super nos...* licet nunc dominetur in medio inimicorum suorum... Aliquando vero apparebit Rex regum et Dominus dominantium, quum congregabuntur ante eum omnes gentes, et *in nomine Jesu omne genu flectetur, cœlestium, terrestrium et infernorum...* Luc. 19. Philipp. 2.

Rex est æternus, nequaquam transiens ut reges mortales, sed permanens sicut sol... *Jesus Christus heri et hodie, ipse et in sæcula...* Hebr. 13.

Nonne Regi meo vero et æterno adhærebo et serviam totamque vitam meam consecrabo?... Fiat hic alloquium amoris in eum sensum...

II P. REX PRÆSTANTISSIMUS IN SE. — Nonne magnus et mirabilis, *excelsus præ regibus terræ?*... Nonne *speciosus forma præ filiis hominum, diffusa gratia in labiis ejus?*... Nonne *splendor Patris et figura substantiæ ejus... in quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi*... omnes utique thesauri intelligentiæ... potentiæ... sanctitatis... solus itaque magnus et laudabilis nimis... Amabilissime Jesu, aperi oculos meos ut videam claritatem tuam...

Psalm. 38. Psalm. 44. Hebr. 1. Coloss. 2.

III P. REX BENEFICUS. — Erga nos autem bonus, beneficus et amabilis nimis... *qui dilexit me et tradidit semetipsum pro me*... qui creatum me, redemptum et a peccatis liberatum deduxit ad sacerdotii dignitatem... — Nec *longe est ab unoquoque nostrum*... sed ex amore habitat nobiscum : *Deliciæ meæ,* inquit, *esse cum filiis hominum*...

Galat. 2. Act. 17. Prov. 8.

Quis ergo nos separabit a charitate Christi... Si quis non amat Dominum nostrum Jesum Christum, sit anathema...

Rom. 8. 1 Cor. 16.

Quid ergo retribuam Regi meo æternali pro omnibus quæ retribuit mihi?... Quomodo invitanti me ad prælianda prælia sua respondebo? Nonne dicam cum S. Ignatio : « O Rex supreme, ac Domine universorum, tua « ego, licet indignissimus, fretus gratia et ope, me tibi « penitus offero, meaque omnia tuæ subjicio voluntati : « attestans coram infinita bonitate tua, nec non in con- « spectu gloriosæ Virginis Matris tuæ, totiusque curiæ « cœlestis, hunc esse animum meum, hoc desiderium, « hoc certissimum decretum : ut quam possim proxime « te sequar, et imiter in laborando et patiendo ad des- « truendum peccatum, ad procurandam gloriam Dei et « salutem animarum. »

De incarnatione. Mysterium.

—

Pr. 1. *Et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis.* Joan. I, 14.

Pr. 2. Ut cognoscam intime Filium Dei incarnatum, eumque amem et sequar perfectissime.

I. Quis incarnatus est? II. Quomodo? III. Cur?

I P. QUIS? — Ipse *Deus Filius*, secunda Trinitatis persona, quæ appellatur *Verbum*, ipse descendit de cœlis et homo factus est...

Ipse *Deus* .. *æternus*... qui antequam mundus esset, erat... Ipse Deus... *immensus*... *in quo vivimus et movemur et sumus*... *Si occultabitur vir in absconditis, et ego non videbo eum? Numquid non cœlum et terram ego impleo? dicit Dominus*... Ipse Deus... *infinitus*, omnium perfectionum oceanus... Act. 17. Jerem. 23.

Ipse Deus... *omnipotens*, per quem *omnia facta sunt, et sine ipso factum est nihil quod factum est*... Joan. 1.

Ipse Deus... *creator* cœli et terræ... qui *dixit et facta sunt*... fons ac principium omnis vitæ, a quo omnes existentiam et vitam accepimus... Psalm. 148.

Ipse Deus... qui sicut omnium rerum principium, ita est *Sapientia* æterna... *Sanctitas* infinita... *Bonitas*, *Charitas*, *Misericordia* immensa...

Ipse Deus... *Majestas* ac gloria suprema... Rex regum et Dominus dominantium... quem angeli trementes adorant et faciem suam velantes... quoniam summus Deus est...

Deus utique, sed *Deus Filius*, ipse ex Patre natus ante omnia sæcula... Deus de Deo, lumen de lumine, Deus verus de Deo vero... *Sic* enim *Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret*... Cujus nomen *Verbum*... Joan. 3.

Verbum substantiale Dei, id est ipsa personalis *Sapientia loquens*... Quapropter in ipso omnia loquuntur...

Hic itaque magnus Deus, æterni Patris Filius, de summo cœlo in hæc infima descendit, et apparuit nobis formam servi accipiens... et verus homo factus habitavit in nobis...

Baruch. 3. *Post hæc in terris visus est et cum hominibus conversatus est...*

An credo mysterium istud?... An credo fide vivida?... Eliciam actum fidei et gratias agam...

Joan. 1. II P. QUOMODO VENIT? — In mundum venit *visibiliter*. Deus invisibilis factus est visibilis, humana carne indutus... *Vidimus gloriam ejus...* et visibiliter Deum cognovimus... *Quod fuit ab initio*, ait Joannes, *quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, et manus nostræ contrectaverunt de Verbo vitæ ; et vita manifestata est, et vidimus, et testamur et annuntiamus vobis vitam æternam, quæ erat apud Patrem et apparuit nobis...*

I Joan. 1.

Venit *humiliter...* non cum gloria, sicut venturus in fine

Philipp. 2. sæculorum... sed in humilitate summa... *Qui cum in forma Dei esset... semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem* cæterorum *hominum* factus....

Venit *secreto*, consilia sua silentio tegens, ita ut, docente S. Ignatio Martyre, ea ipsum diabolum celaverit .. *Des-*

Psalm. 71. *cendet sicut pluvia in vellus...*

Venit *via nativitatis...* ut sit humanæ familiæ nativum

Isai. 9. membrum et frater noster... *Parvulus natus est nobis, et filius datus est nobis... et vocabitur nomen ejus Admirabilis... Deus... Pater futuri sæculi...*

Venit *præstituto tempore* a prophetis...

Venit *in paupertate...* humanas opes et gloriam respuens...

Quanta mihi his omnibus documenta præbet increata Sapientia!... Utinam ea, Domine, intelligam, impleam moribus meis!...

III P. CUR ? — Ut visitet mundum, et salvet quod perie-

Luc. 2. rat. *Visitavit et fecit redemptionem plebis suæ...* Visitavit utique mundum hunc quem creavit, humanum genus, humanasque miserias inspexit suis oculis... nostrasque infirmitates ipse expertus est...

Ut sit salvator... « Volvebatur, inquit S. Augustinus, et

Aug. Enchir. « de malis in mala præcipitabatur totius humani generis « massa damnata... »

Ut sit *Emmanuel*, Nobiscum Deus permanens...

Ut sit *consolator*... omni tempore paratus accedere volentibus, et dicens : *Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos*... Matth. 11.

Ut sit *Rex* noster... nos gubernans ac ducens... gloriæque suæ faciens participes...

Ut sit *regenerator*... per novam nativitatem, quæ in Baptismo perficitur, nos faciens filios Dei, fratres suos et cohæredes cœli...

An ita Christum Dominum intueor?... An igitur eum amo ex omnibus viribus meis, et ob tantum donum mundo concessum perpetuas Deo gratias ago ?...

Projiciat sese anima meditans ad pedes Verbi incarnati, ut sese in admirationem, gratitudinem, laudes effundat...

De incarnatione. Historia.

Pr. 1. Præ oculis mihi ponam magnum hunc eventum, qui in tota humani generis historia eminet, adventum scilicet Filii Dei in mundum : quomodo sanctissima Trinitas, videns humani generis ruinam, statuat mundum salvare in persona Filii, humanam naturam assumpturi ; et quomodo consilium istud, dudum revelatum per prophetas, tandem impleat in die Annuntiationis, tempore Augusti Cæsaris.

Pr. 2. Ut mysterium hoc misericordiæ et humilitatis intelligam, utque opere impleam documenta quæ continet.

I. Personæ. II. Verba. III. Opera.

I P. PERSONÆ. — In hoc mysterio occurrunt meditanti imprimis personæ divinæ, deinde homines passim, ac demum angelus loquens cum Virgine.

Tres personæ SS. Trinitatis, Pater, Filius et Spiritus sanctus, unus Deus, æternus, omnipotens, sanctissimus in omnibus operibus suis est, totusque misericordia et bonitas... Ex infinita bonitate creavit homines : hi vero ingrati

Isaï 1. facti sunt... *Filios enutrivi et exaltavi : illi autem sprevérunt me... — Dominus de cœlo prospexit super filios hominum... omnes declinaverunt, simul inutiles*, corrupti *facti sunt*...

Psalm. 13.

Quid faciet Deus? An rebelles in sua justitia abjiciet, sicut abjecit rebelles angelos?... Æternæ sint Deo Patri nostro laudes, qui non abjecit filios hominum ! *Misericordiæ Domini quia non sumus consumpti... — Commendat autem charitatem suam Deus in nobis, quoniam cum adhuc peccatores essemus*, dedit nobis Filium suum Redemptorem...

Thren. 3.

Rom. 5.

Hanc misericordiam Dei mei mirabor, benedicam, imitabor...

Personæ humanæ sunt homines innumeri, super faciem terræ degentes, moribus et actionibus diversissimi : hi in pace, illi in bello ; multi plorantes, alii ridentes ; unus sanus, alius ægrotus ; multi nascentes, et multi vicissim morientes... Omnes illi homines ad imaginem Dei creati sunt... sed quam pauci suæ dignitatis memores !... Quam vitiosi et quam miseri ! *Miseros* enim *facit populos peccatum*... Et si non redempti fuissent, quid essent?... Imo nunc etsi redempti, quam multi miseri manent, eo quod beneficia redemptionis non recipiunt !... Nonne ego laborare debeo ut bonum illud miseris impertiar?...

Quod si homines perversi et miseri, angelus e contra quam sanctus ! quam castus ! quam pulcher et beatus !... Quam differt ab angelo lapso, diabolo !... Sacerdos angelus esse debet... ego qualis sum?... — Nomen habet Gabriel, *Fortitudo Dei*, quia quæcumque ad Dei causam ac ministerium pertinent, fortitudinem requirunt, nullam patiuntur ignaviam...

Virgo Maria, quam sancta, quam pura, quam humilis ! Omnis gloria ejus ab intus... Oculis hominum quam ignota, quam parvula et exigua ! Nihil habet de mundana specie et magnificentia ; at Dei oculis quam grata !... Quam magna jam est, et quam magna mox erit !... Ut sciam, ad veram magnitudinem non requiri magnificentiam humanam.

II P. VERBA.— *Operemur*, inquit SS. Trinitas, *salutem filiorum hominum*... Quam sancta verba ! quam plena charitatis, sapientiæ, misericordiæ !...

Verba hominum quam multa et exuberantia ! quam clamosa ! quam stulta !... quam perversa ! impia nempe, mendacia, turpia, vana...

Verba angeli : *Ave, gratia plena...* Quam sancta verba !... Verba sunt reverentiæ et laudationis ; quid autem in Virgine laudat ?... Verba exhortationis et instructionis sanctæ...

Verba Virginis quam parca !... Prudentiam spirant, castitatem, pietatem, humilitatem, fidem, resignationem... *Ecce ancilla Domini...*

III P. OPERA. — Pater cœlestis sic dilexit mundum, ut Filium suum daret... Filius exinanivit semetipsum... Spiritus sanctus opus divinum exequitur... Dei Filius *incarnatus est de Spiritu sancto...* Hæc opera quam sancta ! quam sapientia !...

Opera hominum e contra quam vana pleraque et perversa !... et mea qualia sunt, fuerunt, erunt ?...

Angelus missionem implet summo zelo, licet non de redimenda aut exaltanda natura angelica agatur... ut ego obediam et laborem gratis, absque ullo emolumento humano...

Virgo sese humiliat, aspiciens suum nihilum... cauta est, non credens omni spiritui... Sed ubi intellexit a Deo esse verbum, se tradit Deo suo ad omnia... ancilla enim Domini est...

Concludam meditationem oratione ad Beatam Virginem gratia plenam, eique congratulabor, ejusque intercessionem implorabo.

De visitatione B. Virginis ad S. Elisabeth.

Pr. 1. In mentem mihi revocabo mysterium. Postquam audivit Maria de ore Gabrielis, cognatam suam Elisabeth singulari benedictione a Deo donatam, *abiit in montana cum festinatione, in civitatem Juda, et intravit in domum Zachariæ, et salutavit Elisabeth.* Qua salutatione exultavit infans in utero Elisabeth,

ipsaque Spiritu sancto repleta exclamavit : *Benedicta tu inter mulieres, et benedictus fructus ventris tui... Et beata quæ credidisti, quoniam perficientur in te quæ dicta sunt tibi a Domino. Et ait Maria : Magnificat anima mea Dominum... Mansit autem Maria cum illa quasi mensibus tribus, et reversa est in domum suam.* Luc. I.

Pr. 2. Ut intelligam documenta quæ mihi hoc mysterio traduntur, eaque servare contendam.

I. Mariæ profectio in domum Elisabeth. II. Ejus adventus. III. Ejus ibidem commoratio.

I P. PROFECTIO. — Cur Maria domum suam relinquit? Domus locus est residentiæ habitualis, a quo non decedendum nisi propter Deum : id est, ad officium quodlibet implendum... quod a Deo præceptum, vel Deo gratum sit...

Qui recollectionem amat, raro egreditur... Quo spectat illud Kempensis : « Laudabile est homini religioso raro « foras exire... lætus exitus tristem sæpe reditum parit... « In silentio et quiete proficit anima devota, et discit « abscondita Scripturarum... » Kemp. I. 20.

Quapropter, recollectionis amantissima Virgo non exibit e sanctuario domus suæ, nisi sancta de causa, et ut obsequatur beneplacito Dei quod angeli verbis intellexit, quaque unica regula ducitur...

Non igitur exit vanæ delectationis aut curiositatis causa... multoque minus ut adeat mundana et periculosa consortia...

Non ut videat et videatur...

Neque ut oculis suis certior fiat miraculi, quod de Elisabeth angelus nuntiavit... Sufficit enim ipsi verbum infallibile Dei, cui perfectissime credit...

Sed quieti domus suæ sese eripit et visitationem perficere aggreditur, humilitatis et charitatis causa... Scilicet senex Elisabeth, in præsenti statu suo, indiget obsequio personæ fidæ, a qua instar filiæ, quam non habet, juvetur... Ex altera parte, Mariæ visitatio conferet ad gloriam Dei et sanctificationem domus Zachariæ... Illa ipsa visitatio erit

officium non charitatis tantum, sed et eximiæ humilitatis .. qua immense dignior... ac superior Dei genitrix cum prole divina, præveniet honore et obsequio inferiorem, Elisabeth, matrem Præcursoris... *Honore invicem prævenientes...* Rom. 12.

Abiit in montana : vocata a Deo, nulla itineris arduitate impeditur... — *Cum festinatione...* En fervor devotionis : *Nescit tarda molimina Spiritus sancti gratia...* S. Ambros. in Luc. l. 2.

An ego residentiæ similiter amator, non exeo nisi sancta, vel saltem laudabili de causa?... Et, ubi exeundum est Deo vocante, exempli gratia, ad infirmum, de nocte, per vias incommodas... an eo me confero devota cum festinatione?... Petatur gratia congrua a Beatissima Virgine.

II P. ADVENTUS. — Maria salutat Elisabeth .. urbanitatem nos docens sanctam, qualis sacerdotes docet... significatio nempe honoris ac reverentiæ, cum simplicitate et charitate exhibita...

Sanctificatur Joannes in utero matris, et ipsa Elisabeth repletur Spiritu sancto... Quænam autem tantæ benedictionis causa? Nonne influxus Christi Jesu in utero Mariæ latentis?... Cur similem ego influxum Jesu, latentis in Eucharistia, non accipio?...

Per quod vero intermedium Filius Dei incarnatus sanctificationem diffundit? Nonne per Mariam?...

Quænam denique in hac visitatione verba proferuntur? Nonne omnia prorsus, absque exceptione, sanctissima?... Exemplum utique conversationis sanctæ et mutuæ ædificationis... « Juvat non parum ad profectum spiritualem « devota spiritualium rerum collatio : maxime ubi pares « animo et spiritu in Deo sibi sociantur. » Kemp. I, 10.

Beata quæ credidisti!... Fidei Virginis tribuuntur mirabilia quæ Deus in ea operatur... Nonne et mihi omnis virtutis radix esse debet fides vivida?.. — Interrogantibus duodecim : *Quare nos non potuimus ejicere illum?* Matth. 17. respondit Dominus : *Propter incredulitatem vestram...*

.. Petatur vivida fides per intercessionem Beatæ Virginis...

III P. COMMORATIO. — Eadem ratione qua venit, Maria apud cognatam remanet tribus mensibus... quamdiu scilicet charitas requirit... quin desiderio revertendi obediat...

Cur autem discedit ante nativitatem Præcursoris? Nonne ratione sanctæ convenientiæ? Joannis nativitas omnia

corda debebat occupare, quod præsente Maria cum Verbo incarnato, minus decebat... Quapropter Virgo cum divina prole sapientissime cedit nascenti Præcursori...

Quam beata Zachariæ domus tribus his mensibus extitit!... Quam beati nos, omni tempore Mariam possidentes et Jesum!... dummodo credamus... *Det vobis Deus,*
Ephes. 3. inquit apostolus, *Christum per fidem habitare in cordibus vestris...*

Fiat alloquium ad B. Virginem, ut hæc gratia per ejus intercessionem efflagitetur; item, si juvat, ad S. Elisabeth et S. Præcursorem Domini.

De nativitate Domini.

Pr. 1. Spectare oculo mentis speluncam nativitatis in Bethlehem, ibique Joseph, Mariam, et puerum reclinatum in præsepio.

Pr. 2. Ut in spiritu pietatis ac fidei intelligam nativitatis mysterium, et documenta quæ continet moribus exprimam.

Consideranda I. personæ, II. earum verba, III. opera.

I P. PERSONÆ. — Tres in mysterio nativitatis occurrunt personæ: Joseph, Maria et Jesus infantulus... totius orbis, præ cunctis Athenarum ac Romæ principibus, augustissimæ... sapientissimæ... Deoque summo dilectissimæ... — externis quidem bonis pauperes, sed intus ditissimæ... Alia namque sunt bona externa, alia interna et oculis Dei vere pretiosa...

Joseph, sub externi habitus abjectione thesaurum possidet sanctitatis, *vir justus* appellatus a Spiritu sancto... thesaurum inquam humilitatis... castitatis... laboris assi-
Matth. 24. dui... prudentiæ paternæ... Hic enim est *fidelis servus et prudens, quem constituit Dominus super familiam suam...* sponsum Virginis... patrem nutritium Unigeniti sui incarnati... O Beate Joseph, impetra mihi virtutes tuas imitari...

Maria, filia Juda ignobilis, non aliud externum decus habet præter modestiam suam...At *omnis gloria filiæ regis ab intus*... ibi oculis Dei effulget humilitas... puritas... charitas... et plenitudo gratiæ... Utinam de plenitudine tua, o Maria, aliquid recipere merear !... Psalm. 44.

Infantulus in stabulo natus, in præsepio reclinatus, pannis involutus, nonne, si oculo externo spectetur, omnium est infimus, in novissimo prorsus loco inter homines positus... — At vero, oculo fidei spectatus, omnium maximus est, *Rex regum et Dominus dominantium*... In humili hoc infante *inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter... in eo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi*... quorum vult me facere participem... Nam propter me parvulus et egenus factus est... O Jesu mi dulcissime ! quanto pro me vilior, tanto mihi carior... Apoc. 19. Coloss. 2.

Quomodo debeo personas istas venerari... amare... imitari ? ..

O suavissime Jesu, flagrans amore mei, inflamma cor meum amore tui... Instituatur pia collocutio cum Joseph, Maria et puero Jesu...

II P. VERBA. — Maria et Joseph, dum repelluntur a diversorio et in stabulum intrare coguntur, nequaquam obmurmurant... sive contra homines... sive contra divinam providentiam...

Neque verbis iræ indulgent aut contentionis...

Neque eruditis sermonibus divitias mentis et scientiam jactant...

Sed vel silentium servant... vel de rebus sanctis ac mysteriis cœlestibus colloquium miscent, modeste tamen et parce...

At interne multum loquuntur cum Deo... mirantes mysteria ejus, eumque in omnibus laudantes et adorantes...

Divinus infans, licet sine voce, nihilominus loquitur, tum silentio... tum omnibus, in quibus nasci voluit circumstantiis... Est enim Verbum, essentialiter et etiam tacite loquens nobis. Omnia in ipso et circa ipsum : ut panni, præsepe, stabulum, clamant... Clamat humilitas... clamat paupertas... clamat patientia... clamat infantilis suavitas... Nonne quidem hæc totidem sunt voces incarnatæ Sapientiæ, dicentis : Filii hominum, non in externis bonis sita est

vestra felicitas... Væ vobis divitibus.. væ vobis superbis... væ vobis qui saturati estis... Beati pauperes... beati humiles... beati esurientes et afflicti...

Quid autem respondebo verbis tam eloquentibus?... Nonne ego sacerdos Domini et alter Christus, eadem verba debeo, tum ore tum exemplo repetere populo ?... Gratia petatur hoc faciendi.

III P. OPERA. — Quid faciunt Maria et Joseph ? Imprimis adorant infantulum, cujus magnitudinem norunt !... O quanta admiratio eorum !... quanta reverentia !... quantus amor !... Quanto devotionis sensu intuentur suavissimam faciem, tenella membra unigeniti filii Dei !... Quanta extasi oculis fidei vident divinitatem absconditam !...

Discam hic adorare eumdem Unigenitum Dei, sub speciebus eucharisticis latentem... quique in manibus meis quotidie velut denuo nascitur...

Joseph dein accendit ignem, affert aquam, quærit ligna... Maria pannis suum natum involvit, reclinat in præsepio, alia similia peragit... Hæc in se quam exigua officia !... at, quia referuntur ad Filium Dei, quam magna !... quam meritoria... quam gloriosa !... et ex parte Mariæ et Joseph quanto amore præstita !...

Nonne et exigua quæque opera possum reddere meritoria ac pretiosa, si pura intentione... et cum amore ea pro Domino peregero?...

Hebr. 10. Quid autem divinus infans agit? Interne quidem offert sese Patri cœlesti in servum ac victimam : *Ingrediens mundum dicit : Hostiam et oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi... Tunc dixi : Ecce venio... ut faciam Deus voluntatem tuam.* . Nonne et ego esse debeo hostia viva Domino ?...

Externe autem sinit se tractari, indui, exui, attolli, reclinari, pro libitu matris suæ... ut sinamus similiter nos versari manibus divinæ Providentiæ quæ, si nos omni fiducia ipsi tradiderimus, vicissim nobis instar optimæ matris erit...

Finiatur meditatio precatione ad S. Joseph, ad B. Virginem, ad divinum infantem, ut gratiæ petantur meditationi congruentes...

De pastoribus.

Pr. 1. In memoriam revocetur mysterium. Ubi Christus natus est, angelus Domini eventum hunc tanquam gaudium magnum annuntiat pastoribus super gregem vigilantibus, eosque ad Salvatorem adeundum invitat. Qui conferunt se festinantes ad præsepe, et inde revertuntur glorificantes et laudantes Deum.

Pr. 2. Ut intelligam documenta in hoc mysterio contenta, eaque practice custodiam.

I. Pastores vocantur, II. ad Salvatorum veniunt, III. revertuntur sancte.

I P. VOCATIO PASTORUM. — Quinam a Deo primi ad natum Salvatorem vocantur? Non divites, docti, magnates... sed pauperes, humiles, simplices... et quidem pastores ovium, ut figuram, exhibeant pastorum Ecclesiæ... — Nec pastores illi qualescumque, sed *vigilantes* ut intelligamus, Dei favores reservatos dumtaxat esse vigilantibus...

Nuntius a Deo missus est angelus de cœlo... cujus officium evangelizandi Salvatorem implere pergit sacerdos : ipse enim *angelus Domini exercituum est...* Malach. 2.

Evangelizo, inquit, *vobis gaudium magnum, quod erit omni populo...* Ex quo enim in mundum venit Christus Salvator, gaudere possunt omnes homines... at gaudere in Domino Salvatore... Gaudeant itaque justi et peccatores... gaudeant pauperes ac divites... in Christo enim omnibus offertur remedium, consolatio, salus...

Natus est vobis Salvator... qui salvat homines a peccatis... imo consequenter etiam a malis temporalibus multis : quia *miseros facit populos peccatum...* — Utinam Prov. 14.
quicumque miseria premuntur, familiæ quoque afflictæ, imo regna et imperia desolata ab ipso salutem peterent!... *Non enim est in alio aliquo salus...* Act. 4.

Invenietis infantem positum in præsepio... Salvator scilicet ille natus est in summa humilitate ac paupertate...

ut intelligamus quibus mediis ipse nos salvaturus est, nosque ab eo salutem accipere debeamus...

Facta est multitudo militiæ cœlestis, laudantium Deum et dicentium : Gloria Deo... et *pax hominibus bonæ voluntatis...* Nonne cum angelis Deum laudare debeo ob datum nobis Salvatorem talem ac tantum?... Quod facere me summa pietate decet, quum in Missa hymnum angelicum recito... Etenim *cum illo omnia nobis donavit...* — Nonne pace frui possum semper, dummodo esse velim bonæ voluntatis?... Jungam laudes meas cum laudibus angelicis et gratiam postulabo...

Rom. 8.

II P. ADORATIO PASTORUM. — *Pastores loquebantur ad invicem : Transeamus usque Bethlehem...* Sanctum hoc colloquium pastorum, quo de Salvatore rebusque divinis sermonem miscent, et sese mutuo hortantur ad bonum... nonne exemplum mihi imitandum ?...

Et venerunt festinantes... En promptitudo in divino servitio : nullo retinentur obstaculo, ut se conferant quo cœlitus vocantur... ut adeant Salvatorem sancto cum fervore... Nonne ita me gerere debeo ubi eundum ad templum... ad infirmum... ad aliud forte minus jucundum officium ?...

Et invenerunt Mariam et Joseph et infantem... Intrantes scilicet in stabulum primum viderunt Mariam et Joseph, genuflexos sane ante præsepium... qui mox pastoribus accessum dederunt ad puerum divinum in præsepio absconditum... Hunc autem aspiciunt non solum oculo externo, quo vident parvulum pauperrimum... sed præcipue oculo interno fidei, quo intuentur magnitudinem ejus...

Quapropter sicut Maria et Joseph, procidentes adorant in humilitate absconditum Salvatorem... An ego eorum pietatem imitatus, adoro simili fide Deum Salvatorem meum in Eucharistia absconditum ?...

Hic perpendi potest quomodo pastores narraverint B. Virgini apparitiones angelicas... quomodo consideraverint totum illum locum... quomodo Maria benigne eis puerulum aspiciendum, osculandum præbuerit... Quomodo autem ipsi, spiritu elevati, perceperint illic cœlestem omnium virtutum fragrantiam... gustaverint dulcedinem

præsentiæ Jesu, Mariæ et Joseph, familiarisque cum eis conversationis... suavitatem quoque charitatis rerumque divinarum...

Quantas benedictiones in pretium suæ devotionis a Domino receperunt!... Easdem benedictiones mihi a Jesu et Maria deposcam...

III P. REDITUS. — *Reversi sunt glorificantes et laudantes Deum*... Sicut angeli, ita pastores Deum laudant ob natum Salvatorem... et revertuntur sancto cum ardore ad officia sui status obeunda... Similiter, qui Deum adeunt per pietatis exercitia, inde redeunt ad laborem externum sanctius perficiendum...

Et omnes qui audierunt mirati sunt... Audierunt videlicet ex pastoribus, qui narrant mirabilia Dei, et sensum pietatis quo repleti sunt aliis communicant... *ex abundantia enim cordis os loquitur*... Si verba mea minus inflammant audientium animos, nonne ideo quod non profluunt ex abundantia fidei et pietatis?... Matth. 12.

Mirati sunt... Non addit Evangelium, eos mirationi adjunxisse actionem, et exemplo pastorum adivisse Salvatorem... Nihil prodest admiratio ac fides sterilis : oportet ad Salvatorem per opera accedere, ut salus accipiatur...

Quicumque autem devote præsepe Domini adeunt cum pastoribus, sicut ipsi quoque divini infantis benedictionibus replebuntur.

Quid mihi faciendum?...

In oratione finali accedam in spiritu cum pastoribus ad divinum infantem, ei munera offeram... et vicissim munera gratiæ ipsius efflagitabo.

De Magis Christum adorantibus.

Pr. 1. Spectare oculis animæ magos in Oriente, in aula Herodis et in latibulo Christi Regis.

Pr. 2. Ut documenta hujus mysterii intelligam, et exemplum magorum studeam imitari.

I. Magorum vocatio ; II. adventus in Bethlehem ; III. adoratio.

I P. VOCATIO MAGORUM. — Sicut ad Salvatorem vocati sunt pastores pauperes, ita quoque vocantur magi divites... sed hi a longe venire debent... Nonne ego quoque vocatus sum cum longe a Domino aberrarem ?...

Vocantur verbo divino. Etsi non constat de locutionis modo, illud tamen certum, eos Deum se vocantem cognovisse eadem claritate ac nos Deum loquentem audimus per os Ecclesiæ... Quapropter non minus ac ipsi prompti esse debemus ad obsequendum voci divinæ...

Sicut locutus est Deus pastoribus per angelum, ita loquitur magis per stellam... et simul, ut credi fas est, per monitionem similem illi, quam postea receperunt ad redeundum : *Responso accepto in somnis ne redirent ad Herodem...*

Matth. 2.

Cognoscunt natum esse Regem cœlestem ; ubi autem et qualis ille sit non docentur : sed stella ductrix assignatur... ut quærant... ut gratiæ cooperentur... ut probentur...

Deo vocanti obsequuntur... quam generose !... suam patriam ac familiam relinquentes...nec ullis deterriti obstaculis, sive ex parte popularium... sive ex parte itineris... sive ex parte expensarum... Deus vocat : id cordi credenti sufficit... An generositatem similem Deo exhibeo ?...

Stellam sequuntur prævium... Quodnam est illud lumen cœleste quod omnem hominem ducere debet ad Jesum et ad salutem ac sanctitatem quæ in Jesu invenitur ?... Nonne imprimis fides, quæ viam ostendit tam diversam a via mundanorum, lumina terrena sequentium ?... Nonne voluntas ac beneplacitum Dei quod per disciplinam Ecclesiæ, per statuta et regulas manifestatur ?...

An lumine cœlesti... non terreno... duci me sino ?... O Domine Jesu, stella splendida et matutina, tu semper esto dux et illuminatio mea...

II P. ADVENTUS IN BETHLEHEM. — Non sine difficultatibus, obstaculis, impedimentis... ad Christum perveniunt... Absconditur stella... Jerosolymam inveniunt Christi nati prorsus insciam et ignaram... quæ totidem tentationes sunt ad probandam eorum constantiam permissæ...

Tob. 12. *Necesse fuit ut tentatio probaret te...*

Nequaquam fiduciam amittunt, sed sustinent desolationem constanter, adhibentque media ut cœptum iter ad Christum pergere possint... Juxta probatum adagium : *Facienti quod est in se Deus non deerit...*

Turbatus est Herodes... dum gaudere deberet ob Christum Salvatorem natum... Ita perversi homines, qui terrena quærunt præ cœlestibus, turbatione ac timore replentur ubi de Christo sermo est, imo odio adversus Christum et Ecclesiam... Quam miseri !...

Doctores autem Judæorum alios viam ad Christum docent, ipsi vero non adeunt... Caveam ego ne eos imitato dicatur mihi : *Qui alium doces, te ipsum non doces*... Rom. 2.

Fiducia et constantia magorum coronatur successu : stella iterum prælucente perveniunt ad Jesum... *Universi qui sustinent te*, Domine, *non confundentur*... Psalm. 24.

III P. ADORATIO. — Descendunt in humile habitaculum, et videntes pauperem infantulum, in eo agnoscunt credentes Regem gloriæ... pietate summa et humilitate, suæ magnitudinis obliti, sese ad pedes hujus pauperculi prosternunt, eumque ut Regem cœlorum adorant... Demum apertis thesauris suis obtulerunt ei munera, aurum, thus et myrrham... — Hic quoque perpendi potest, quomodo per gratiam elevati, viderint cœlestes thesauros in paupertate absconditos... delectatique sint spirituali fragrantia virtutum, dulcedine præsentiæ Jesu .. alloquio nostræ Dominæ, familiarique cum ipsa conversatione... *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te !*... Psalm. 30.

Sic divites ad Christum accedere debent cum humilitate... cum fide... cum muneribus et eleemosynis...

Sic omnes, ut sancte Christum adorent, debent fide vivida eum agnoscere sub velamine sacramenti... sese ex animo humiliare, fatentes se esse pulverem ac cinerem et miseros peccatores... nec non mystica ei munera offerre : aurum charitatis et eleemosynæ, thus orationis, et myrrham mortificationis ac patientiæ...

An ego ita ad præsepe Domini accedo ?...

Revertuntur autem magi, a Christo sanctificati et viam docti... in regionem suam. Ita nos, eorum exempla si sequamur, in cœlestem patriam secure perducemur...

In fine, oratione ferventi poscam a Domino gratiam imitandi exempla magorum... laudes referam pro dono fidei... spiritualia munera offeram...

De circumcisione Domini.

Pr. 1. *Postquam consummati sunt dies octo ut circumcideretur puer, vocatum est nomen ejus Jesus.* Luc. II, 21.

Pr. 2. Ut intelligam salutaria documenta quæ hoc mysterio continentur, eaque moribus exprimam.

I. Circumciditur puer. II. Appellatur nomine Jesu.

I P. CIRCUMCISIO. — Cur Dominus circumcisionem subire voluit? Ut exemplum daret observandæ legis... Etsi enim ipse illa lege non tenebatur, ut legislator summus, et quia immunis omni originali peccato, quod cæremonia circumcisionis tollebatur... tamen, ut intelligerent homines, quanta cura leges quibus subjacent teneantur servare, Filius Dei ab initio vitæ mortalis, præceptum illud durum libere voluit implere... Quanta diligentia ego præscripta quælibet impleo ?... An recordor me etiam debere
Psalm. 39. fidelibus exemplum dare ?... *In capite libri scriptum est de me ut facerem voluntatem tuam : Deus meus volui, et legem tuam in medio cordis mei...*

Voluit circumcidi deinde, quia circumcisio erat signum filiorum Abrahæ, et ipse ut verus Abrahæ filius, secundum promissiones, apparere volebat... Nonne et nos
Rom. 4. sumus spiritualiter filii Abrahæ, qui est *pater omnium credentium ?...* Nonne *signaculum justitiæ fidei* excellentiori modo accepimus in Baptismo, signati charactere
Matth. 5. filiorum Dei... An ut filius Dei vivo ?... *Estote vos perfecti, sicut et Pater vester cœlestis perfectus est...*

Præterea, quia cæremonia cruenta occasionem ipsi præstat primitias sanguinis effundendi pro nobis... Tantus est amor ejus erga me ! et ego gravarer pro ipso, nedum sanguinem, aliquid sudoris dare ?... O amantissime Jesule, da mihi cor generosum simile Cordi tuo...

Demum, quia circumcisio symbolum est mortificationis christianæ... quam in corpore nostro circumferre debemus .. *In quo* (Christo) *et circumcisi estis in circumcisione, non manufacta in exspoliatione corporis carnis, sed in circumcisione Christi : consepulti ei in baptismo...* Quapropter Christum circumcisum sequi nos oportet, *semper mortificationem Jesu in corpore nostro circumferentes, ut et vita Jesu manifestetur in corporibus nostris...* Coloss. 2. II Cor. 4.

Quam dolorose tenerrima mater Domini affecta est, videns sanguinem ejus !... Nonne jam experitur et ipsa primitias dolorum, quos olim cum Filio patietur ?... Ita et ego, commiseratione plenus, dolere debeo cum Jesu dolente, flere cum flente in persona tot miserabilium... A Domino petam ut mihi hujusmodi sensus misericorditer largiatur...

II P. IMPOSITIO NOMINIS JESU. — Datur hoc nomen in circumcisione dolorosa, quia cum eadem connexum est... quasi diceretur Salvatori : Patiendo *Jesus*, id est *salvator* eris... — Similis indolis est nomen *christiani*, quod in Baptismo... et *sacerdotis*, quod recipitur in sacra Ordinatione ; baptizato et ordinato tacite dicitur : patiendo christianus eris... per crucem et tribulationem nomen sacerdotis digne portabis... — Quoniam igitur nominis Domini facti sumus participes, cum Salvatore quoque omnem patientiam, omne sacrificium generose amplectamur propter animas salvandas...

Nomen *Jesu* gloriosum est, fortitudinem spirans ac bonitatem... *Dilexit enim me et tradidit semetipsum pro me* in mortem crucis... Propter quod *Deus donavit illi nomen quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur...* Galat. 2. Philipp. 2.

Nomen *Jesu*, id est *salvatoris*, rei veritate implevit ; ita ut *Jesus* nominetur et sit... An ego nomen meum, christiani nempe et sacerdotis... similiter in rei veritate porto ?... An in tota plenitudine illud sum quod vocor et ab hominibus existimor, vir Dei... minister Christi... alter Christus ?...

Nomen *Jesu* nobis suavissimum, vere mellifluum, omni consolatione plenum, omni laude dignissimum, omni reve-

Cantic. 1. rentia, amore, fiducia invocandum... *Oleum effusum nomen tuum...*— quod, ut S. Bernardus ait, *lucet, pascit et ungit* ac *lenit dolorem... Jesu dulcis memoria, dans vera cordis gaudia : sed super mel et omnia, ejus dulcis præsentia... Nec lingua valet dicere, nec littera exprimere : expertus potest credere, quid sit Jesum diligere !... Te nostra, Jesu, vox sonet ; nostri te mores exprimant ; te corda nostra diligant, et nunc, et in perpetuum. Amen.*

De purificatione et præsentatione in templo.

Pr. 1. In memoriam revocare mysterium purificationis Mariæ et præsentationis pueri Jesu. Tempore per legem Mosaïcam statuto, sancta familia se confert in templum ut legem adimpleat. Hic superveniens Simeon, accepto Jesu in ulnis, prophetat ; et Anna filia Phanuel, eum similiter agnoscit, loquiturque de eo omnibus qui exspectabant redemptionem Israel.

Pr. 2. Ut hoc mysterio discam magis magisque cognoscere Christum Dominum, eumque amare et sequi.

I. Sancta familia. II. Simeon. III. Anna prophetissa.

I P. SANCTA FAMILIA. — Egressa e domuncula nativitatis, quo se primum confert sancta familia, Maria scilicet, et Joseph cum puero Jesu ?. . In templum Domini, sicut scriptum est : *Et statim veniet ad templum suum Dominator quem vos quæritis, et angelus testamenti quem vos vultis...* in templum, domum orationis... ubi implebunt legem Dei... ubi Deo sese offerent et adstringent... ubi Dei oracula audient et accipient benedictiones... Nonne et ego hæc in templo præstare debeo et invenire ?...

Malach. 3.

In atrio primo, quamvis nulla purificatione indigeat,

Maria purificationis cæremoniam adhibet... ut discamus nos, peccatores, sacramentali ritu, omnibusque expiationibus animas nostras mundare... *Da mihi, Domine, virtutem ad abstergendam omnem maculam, ut sine pollutione mentis et corporis valeam tibi servire.*

Ingressa cum Joseph in atrium interius, Deo Patri offert primogenitum, prorsusque tradit ei pretiosissimum hunc thesaurum suum, ut disponat de illo pro voluntate ac beneplacito suo. Simulque Jesus se in hostiam viventem offert Patri... oblatione utique prompta, generosa, totali... ut nos discamus similiter nos, nostraque omnia et quæcumque pretiosissima nobis sunt, Deo offerre, consecrare ac immolare...

An nihil ego in corde reservo quod Deo non sit oblatum ?... Hic in simplicitate cordis mei offeram Domino universa...

II P. SIMEON. — Sanctus senex exspectat, et perseveranti oratione postulat consolationem a Christo afferendam : propterea exauditur, et Spiritu sancto repletus... in templum Domini deducitur... ut ibi videat et in ulnas accipiat de manibus Mariæ *salutare Dei*...

Vir orationis ac desideriorum, accepto Jesu in ulnas suas, omne bonum possidet... et exclamat : *Nunc dimittis servum tuum, Domine*... jam mori possum, nihilque in terra desidero, quia vidi et inveni quem diligit anima mea, quique replet omne desiderium meum. Jesus scilicet *replet in bonis desiderium nostrum*... desiderium intellectus, quem sua luce illustrat... et cordis, quod dilectione ita inflammat, ut omnis voluntas nostra divino beneplacito uniatur... *Venerunt mihi omnia bona pariter cum* dilectione *illa*... et quidem omnia per Mariam... Psalm. 102. Sap. 7.

Mirabantur parentes, licet conscii mysteriorum. Viri scilicet orationis, divino lumine illustrati, nunquam satis mirabilia Dei mirari possunt,nec in contemplando satiari...

Positus est hic in ruinam et in resurrectionem multorum et in signum cui contradicetur... Summarium istud est historiæ totius mundi circa Christum gyrantis... et in duas partes sese dividentis... Ita me gerere debeo ut sim ex partibus Christi, et Christus sit mihi resurrectio, non ruina. Luc. 2.

Tuam ipsius animam pertransibit gladius... Deus, oblatione Mariæ accepta, ipsi annuntiat dolores... qui sunt conditio resurrectionis et gloriæ consequendæ per Christum...

III P. ANNA PROPHETISSA.— Hæc sancta vidua octoginta quatuor annorum, jejuniis et orationibus serviens nocte ac die, repræsentat orationem conjunctam cum jejunio et castitate... quæ connexa sunt... nec magis valetudini nocent corporis quam animæ...

Hæc, ipsa hora superveniens, in præmium pietatis per Spiritum sanctum adducta, invenit thesaurum cœli et terræ...

Et loquebatur de illo omnibus... quia Salvatorem vidit, jam non potest de illo non loqui... Similiter si, Annæ pietatem imitatus, Jesum per vividam fidem atque ardentem amorem invenero, ex abundantia cordis de illo tum verbis tum operibus loquar, ut ejus amore omnium corda inflammentur...

O Domine Jesu, da mihi amorem tui et gratiam : nam hæc mihi sufficit...

De fuga in Ægyptum.

Pr. 1. Quum Herodes puero Jesu necem pararet, Joseph, angelo jubente, cum divino infante ejusque matre fugit in Ægyptum, ibique mansit usque ad obitum Herodis.

Pr. 2. Ut intelligam atque opere impleam documenta hujus mysterii, et speciatim hic discam virtutem obedientiæ.

I. Causa fugæ. II. Apparitio angeli. III. Secessio in Ægyptum.

I P. CAUSA FUGÆ.— Herodes quærit interficere Christum, quem sibi rivalem fore existimat ac suo loco regnaturum.

En homo mortalis adversus Christum, adeoque adversus Deum omnipotentem insurgens... cum vincere, interimere intendit... Quam impium ac scelestum consilium !... Eo

devenit, tum ex indomita passione... ex inordinato affectu ad suum regnum, quod non legitimis dumtaxat mediis et quatenus Deo placet; sed absolute, per fas et nefas vult conservare... tum ex ignorantia religiosæ doctrinæ, quæ ad Christum pertinet; putat enim eum fore regem temporalem, sibi adversarium : quasi eriperet mortalia qui regna dat cœlestia... An duplicem causam Herodianæ impietatis, in me et in aliis oriri non permitto ?...

Adversus Deum insurgere, quam stultum simul ac funestum consilium !... *Quare fremuerunt gentes et populi meditati sunt inania... adversus Dominum et adversus Christum ejus ?... Qui habitat in cœlis irridebit eos...* Psalm. 2. Nonne id faciunt omnes Ecclesiæ hostes ?... omnes animarum per scandala interfectores ?... imo peccatores quilibet, adversus Deum rebellantes et dicentes : *Non serviam ?...*

Quam inanis ac funesta semper hujusmodi rebellio !... Herodes rex adversus inermem puerum utitur astutia, simul ac potentia exercitus sui, et nihil proficit.. quia *non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum...* Prov. 21. Nihil, inquam, proficit ut Christum tollat, sed id efficit ut effundat sanguinem multorum et sibimetipsi miserrimum exitum inducat... *Miseros facit populos peccatum...* Prov. 14.

Quam differens Herodes rex a regibus Magis, Christum adorantibus !... Nonne melius est Christum adorando salvari, quam stulte impugnando perire ?... Quam differens ab Herode sancta Familia, tranquilla... at tribulationibus obnoxia !...

Quod si ego aliquid persecutionis Christi sum particeps, fidelis persistam cum omni fiducia in Deo : *Multæ tribulationes justorum... et de omnibus his liberabit eos Dominus...* Psalm. 33.

II P. APPARITIO ANGELI. — *Ecce angelus Domini apparuit in somnis Joseph, dicens : Surge, et accipe puerum et matrem ejus, et fuge in Ægyptum, et esto ibi usque dum dicam tibi.* Matth. 2.

En mira Dei providentia qua protegit justos...

Salvatur autem sancta familia de manu Herodis per obedientiam... Quis hic loquitur ? cui ? quomodo loquitur ?... Angelus nomine Dei mandatum dat Joseph... Mariæ trans-

mittendum... et a tota familia sancta implendum... Nonne omnis superior angelus est, Dei nomine mandans ?..

Mandatum autem mirum est et, humano intuitu spectatum, minus Deo dignum videtur : cum præcipiat fugam Filio Dei... durum quoque, et cruditer absque verborum lenimine, quo sancta Familia non indigebat, propositum... ut discamus obedire tanquam Deo præcipienti, tunc præsertim, quando ea quæ judicio, voluntatis inclinationi vel sensibus repugnant, injunguntur...

O Domine, doce me obedire secundum exemplum Christi,
Philipp. 2. Filii tui, qui *factus est pro nobis obediens usque ad mortem, mortem autem crucis...*

III P. FUGA. — Quomodo angelo sanctus Joseph respondet ?... *Qui consurgens, accepit puerum et matrem ejus nocte, et secessit in Ægyptum. Et erat ibi usque ad obitum Herodis.* En obedientia Joseph, totiusque sanctæ familiæ. In mandato omnia erant difficilia... in obedientia sunt omnia perfecta : est enim obedientia cæca, prompta, fortis et perseverans.

Expendantur variæ difficultates mandati...

Huic autem tam difficili mandato obeditur cæce, absque contradictione aut murmuratione ulla. Tam multa videbantur reponenda : cur per angelos Herodes non reprimitur ? cur secedendum in regionem idololatram ? cur subito, de nocte, cum tenera matre, cum tenello infante, absque apparatu ?... Aliaque similia rogare poterat Joseph ; at nihil interrogat : quia ubi Deus loquitur, homo tacere et infinitæ sapientiæ sese inclinare debet...

Obedit prompte, sine ulla tergiversatione : *Consurgens nocte, secessit...* Obedit fortiter, omnia itineris obstacula vincens... exilii privationes sustinens, absque subsidiis, quæ nec peti poterant a cognatis, cum latebra pueri revelare non liceret... Obedit perseveranter : non conquerens de exilii duratione, nec postulans reditum ; sed obedienter permanens usque dum cœlestis nuntius revertatur... *Et erat ibi usque ad obitum Herodis...*

Ideo autem tanta perfectione sancta familia obedit, quia Deum loquentem audivit in persona angeli...

Fructus autem obedientiæ hujusmodi sunt pax et gaudium in ipso exilio, propter præsentiam Pueri... triumphus

de Herode... lucrum animarum et sanctificatio Ægypti, cujus deserta, Christi obedientia tanquam divino germine fecundata, florebunt suo tempore sicut lilium innumeris anachoretis... et instituta obedientiæ perfectæ spargent per orbem universum...

An ego semper præ oculis habeo exemplum Christi obedientis?... et illud Spiritus sancti oraculum : *Vir obediens loquetur victoriam?...* Prov. 21.

Concludatur petitione gratiæ...

De reditu ex Ægypto.

Pr. 1. Post annos plures, Joseph in Ægypto monetur ab angelo ut revertatur in terra Israel. Qui statim reversus, cum cognosceret Archelaum, Herodis filium, regnare in Judæa, secessit in Galilæam et habitavit Nazareth.

Pr. 2. Petere omnimodam, exemplo sanctæ familiæ, in divina Providentia acquiescentiam.

1. Providentiæ suavissima cura. II. Josephi in eadem acquiescentia. III. Ejusdem simul rationabile obsequium.

I P. PROVIDENTIÆ. — Paterna Dei providentia sancti Joseph sanctæque familiæ non obliviscitur... *Oculi Domini super justos...* Providentia est complexus suavissimus sapientiæ, bonitatis et potentiæ Dei : seu, Patris cœlestis oculus semper intentus, cor semper amans, manus semper extenta, ut protegat filios suos in se confidentes... Psalm. 33.

Providentia aderit sanctæ familiæ *tempore suo :* tempore scilicet opportuno .. *Non est vestrum nosse tempora vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate...* — *Si moram fecerit, exspecta illum : quia veniens veniet et non tardabit...* — Venit tantum post obitum Herodis, relinquitque persecutori liberum vitæ cursum... quia res humanas nequaquam turbans, *attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter... Deus, cujus providentia in sua dispositione non fallitur...* Act. 1. Habacuc. 2. Sap. 8. Dom. n. Pentec.

An hanc fidem vividam circa Providentiam habeo?... An semper omni fiducia eidem me committo?... An eamdem fiduciam insinuo fidelibus?... In te, Domine, speravi, non confundar in æternum... In paterna tua Providentia omnino confido: *In pace in idipsum dormiam et requiescam...*

Psalm. 4.

II P. JOSEPHI ACQUIESCENTIA. — Manet tranquillus S. Joseph in loco sibi a Providentia assignato... donec eadem Providentia aliter disponat. Non conqueritur... non petit mutationem... non ipse disponere quærit, sed omnem dispositionem sui Deo relinquit. Quapropter, sicut non sponte venit, ita sponte non abibit; sed jussus, vocatus, motus divina Providentia, quam semper sibi optimam novit...

Ab eadem duci se sinit, quidquid ordinet... quocumque modo, quacumque hora, quocumque angelo... dummodo dispositio divina ipsi innotescat... Hoc unum quærit, hoc omnibus rebus ipsi optabilius... Quapropter aliis quibuscumque considerationibus claudit oculos, nec dicit: Nunc jubeor reverti cum in Ægypto bene habere incipio...

Dispositioni Providentiæ se tradit prompte... integre... fiducialiter... secure... — Sicut lætanter venit sancta Familia in tribulatione, ita lætanter revertitur in consolatione... *Dominus regit me, et nihil mihi deerit...*

Psalm. 22.

An exemplum istud imitari studeo, nihil postulans nihilque recusans?... Gratia petatur...

III P. JOSEPHI OBSEQUIUM RATIONABILE. — Deus per angelum habitationis locum sanctæ Familiæ non determinavit; sed dixit dumtaxat Josepho: *Vade in terram Israel; defuncti sunt enim qui quærebant animam pueri.* Proinde Joseph lumine rationis suæ, quam ope orationis a Deo juvari postulat, inquiret quis ille destinatus locus sit... Scilicet *rationabile obsequium nostrum* sit oportet, et Dei manifesta locutione cessante, utendum humano consilio, rationis lumine, per orationem tamen adjuto... Non enim extinguit obedientia lumen intellectus a Deo quoque datum; sed ejus insufficientiam supplet, dirigitque ne aberret... Deus indicare solet viam: hominis est videre quomodo ambulet in ea, ne impingat, ne inficiatur luto...

Matth. 2.

Rom. 12.

Matth. 2.

Reversus Joseph et *audiens quod Archelaus regnaret in Judæa pro Herode patre suo, timuit illo ire...* Itaque deliberavit, recurrit ad orationem, *et admonitus in somnis, secessit in partes Galilææ...* Atque ita venit Nazareth, perfecte implens divinæ Providentiæ consilia : *Ut adimpleretur quod dictum est per prophetas : Quoniam Nazaræus vocabitur.*

Da mihi, Domine, cor docile, et lumen discretionis... ne ulla ratione declinem a recta via, per Providentiæ tuæ dispositionem mihi parata... Da mihi perfectam ad omnem locum indifferentiam, atque ad omnes circumstantias, molestias, incommoda apparentia, quæ ratione talis loci, vel incolarum ejus enasci possint... Beatissima Virgo, impetra mihi hanc fiduciam... S. Joseph, intercede pro me.

De vita Christi abscondita.

Pr. 1. Spectare divinum adolescentem, et in eo increatam Sapientiam sub artificis vestimento absconditam ; simulque in memoriam revocare hæc Evangelii : *Et erat subditus illis* (Luc. II, 51). *Nonne hic est fabri filius?* (Matth. XIII, 55.) — *Nonne hic est faber?* (Marc. VI, 3.) — *Proficiebat sapientia et ætate et gratia apud Deum et homines.* Luc. II, 52.

Pr. 2. Ut magis magisque Regem meum cognoscam, amem et sequar, præsertim in vita abscondita sanctificanda.

I. Quæ et qualis est vita abscondita Domini ? II. Quomodo eam sanctificat ? III. Quænam hinc mihi documenta colligenda ?

I P. VITA ABSCONDITA QUÆ ET QUALIS ? — Vita abscondita Christi Domini, illa scilicet quam duxit Nazareth ante vitam publicam, si exterius spectetur, vita communis est, obscura, quæque Filio Dei parum videtur congrua...

Communis est, non anachoretica, qualem duxit Joannes in eremo... sed qualis ab hominibus vulgo degitur, in qua

habitatio, vestis, victus, occupationes cæ sunt quæ communiter ab hominibus adhibentur...

Vita illa obscura et hominum æstimatione vilis, Salvatore mundi parum digna, imo muniis ejus, nedum conveniens, potius contraria videbatur... Nonne divinus adolescens, dotibus omnibus ac sapientia mirabiliter repletus, potuisset regiones percurrendo ægros sanare, peccatores convertere, viam præparare suæ prædicationi et fidei populorum? Manendo autem in officina, obstaculum creat; dicent enim cum contemptu : *Nonne hic est faber?...* Saltem quod tot annos silentio consumat et tres dumtaxat prædicationi tribuat, sapientiæ consonum censeri nequit. Talis apparet vita Domini abscondita, humano intuitu et extrinsecus spectata.

Sin autem spectetur intrinsecus et oculo fidei, mirabilis agnoscitur sapientia et sanctitate.

Nonne eloquentius quam omni sermone, efficacius quam omni miraculo Filius Dei homines docet, quæ in christiana vita ac societate fundamentalia sunt?... nimirum obedientiam legitimæ auctoritati... *Erat subditus illis ;* — laboris amorem... et dignitatem artificis, cujus etiam statum immense nobilitat; — humilitatem, qua omnis ambitio excludit...

Nonne sanctitatem ostendit quam omnes colere possunt et imitari, illam quæ in vita communi sanctificanda et operibus ordinariis perficiendis sita est?... Etenim vita Filii Dei in Nazareth oculis Patris resplendet omni luce sanctitatis, adeo ut eum intuens in officina Joseph non minus amet quam in monte Thabor, et dicat : *Hic est Filius meus dilectus in quo mihi bene complacui...* Jam vero ut sic placeat Patri, quid aliud facit quam quotidianæ vitæ actiones communissimas sanctificare?... Quis hanc sanctitatis viam decurrere non possit?... Non enim austeritates terribiles aut contemplationes sublimiores in exemplum proponit... sed quæ faciliora sunt et omnium viribus proportionata... — Petatur a Domino Jesu gratia hæc ejus exempla sequendi.

Matth. 17.

II P. VITA ABSCONDITA A DOMINO SANCTIFICATA. — Eam Dominus sanctificat obediendo... laborando... orando... sancteque conversando cum hominibus:

Signatur ab Evangelista obedientia : *Erat subditus illis*... ut intelligamus, basim vitæ absconditæ sanctificandæ, omnisque profectus in spiritu esse obedientiam, matrem et custodem omnium virtutum...

Laborem sanctificavit Dominus, intentionem puram conjungendo cum executione perfecta....

Oravit Dominus semper et non defecit, ut nos quam plurimum orare studeamus...

Sancte conversatus est cum hominibus, ut nos modestiam doceret, affabilitatem et gratiam christianam... Contemplari juvat divinum adolescentem, vestitu, gestu, sensibus et verbis mirabiliter compositum ac moderatum... cum hominibus, ubi opus erat, sancte agentem ac loquentem, et ita, ut interna gratia, humilitas et charitas externe luceret oculis hominum... *Gratia Dei erat in illo*... Luc. 2. *Proficiebat gratia apud Deum et homines*...

Quid hic imitandum habeo ?... Quid dolendum ?... quid petendum ?...

III P. DOCUMENTA. — Inter alia documenta, multosque fructus quos ex vita Domini abscondita possum colligere, occurrunt imprimis duo : amor vitæ absconditæ et fuga ambitionis...

Amanda vita abscondita, non tantum quia eam Dominus prædilexit... sed quia pretiosa spirituali profectui... beata et tranquilla... necessaria homini apostolico, tanquam præparatio ad officia publica... *Nemo secure apparet nisi qui libenter latet*... Kemp. I, 20.

Fugienda ambitio, et humilior locus appetendus exemplo Domini... Nec dicatur : talenta possideo, oportet ut fructificent... nonne Christus majora possidebat, et latere voluit, donec a Patre ad evangelizandum vocaretur ?... Num minus gloriæ Dei fructificat talentum quod propter Deum sacrificatur ? Num thura Deo cremata, nihil prosunt ? An unguentum in honorem Domini effusum perditur ?... Solus Judas dixit : *Utquid perditio hæc ?*... Matth. 26.

An hæc documenta practice sequor ?...

Finis meditationi imponatur alloquio deprecatorio ad S. Joseph, ad B. Virginem, ad Jesum, exemplar meum...

De ascensu Christi duodecennis in templum.

Pr. 1. Jesus duodecim annos natus, ascendit cum parentibus in templum; iisque revertentibus occulte remanet in sancta civitate. Maria et Joseph quærunt eum dolentes, et post triduum inveniunt in templo, sedentem inter doctores, *audientem illos et interrogantem eos : stupentibus omnibus super prudentia et responsis ejus.* Matri autem conquerenti respondet : *Nesciebatis quia in his quæ Patris mei sunt oportet me esse?* Luc. II, 46, 49.

Pr. 2. Ut Jesum, Regem meum, magis magisque cognoscam, amem, et imiter, præsertim in pietate erga Deum ac devotione.

I. Jesus a parentibus amittitur. II. Quæritur. III. Invenitur.

I P. AMITTITUR. — Sancta familia ascendit in Jerusalem, in templum Domini... quæ domus orationis est, sacrificii ac devotionis... ad hunc solummodo finem e vita abscondita egrediuntur... — Utinam et ego in templo Domini quæram et inveniam veram devotionem !... Devotio autem vera ac solida, docente S. Thoma, est *voluntas Deo addicta, prompta ac parata ad omnia quæ sunt obsequii cultusque divini...*

Jesus a parentibus suis in templum Domini ducitur... exemplum pietatis tum parentibus tum filiis imitandum... — Nonne et ego singulari Dei beneficio in domum Domini, usque ad sacerdotii sanctuarium deductus... summam gratitudinem benefactoribus, præsertim Benefactori supremo debeo?...

Jesus adolescens, quam modestus, quam amabilis, quam blandus parentibus !... Quam sancte iter illud ab ipso et a benedictis comitibus peragitur !... An nihil hic addiscendum clerico itineranti ?...

Quanta cum reverentia et pietate Jesus, Maria, Joseph sese gerunt in templo ? Quanta videntibus ædificatione !...

Filius Dei separat se a dilectis parentibus... en sacrificium affectuum cordis, speciatim erga personas... ut expedita sit devotio...

Nihil de hoc suo consilio manifestavit : en discretio, qua passim sancta proposita celanda sunt, ne ab homnibus impediantur...

Maria et Joseph sine culpa sua privantur suavi Jesu sui consortio... En desolatio, quam devotio solida nequaquam excludit... At ubi ego desolatione affligor, an per negligentiam meam ejusdem causa non sum ?...

Amittitur spiritualiter Jesus, quando gratia sanctificans tollitur per peccatum mortale... vel fervor charitatis per tepiditatem... vel consolatio interna per quamcumque desolationem... — Petam a B. Virgine ut nunquam culpabiliter Dominum amittam...

II P. QUÆRITUR. — Sanctissimi parentes dolent vehementer, animo tamen non cadunt... Legitima quidem dolor is causa est qualiscumque boni spiritualis amissio... nunquam vero licet despondere animum, quæ pessima tentatio efficitur...

Thesaurum amissum quærunt... sollicite... confidenter... perseveranter...— Quomodo hoc exemplum imitari soleo?...

Ipse Dominus, etsi nequaquam ignorat se a parentibus dolentibus quæri, iis non occurrit : tum quia occupatur in iis quæ Patris sunt et aliis curis anteponenda... tum quia permittit animas sibi charas afflictione probari : *Ego quos amo, arguo et castigo...* — Petam a B. Virgine ut nunquam in desolatione despondeam animum... Apoc. 3.

III P. INVENITUR. — *Quærite*, inquit Dominus, *et invenietis :* parentes divinum Filium quærunt, et post triduum inveniunt... At ubi? in templo, domo orationis ac sacramentorum... non alibi... Matth. 7.

In medio doctorum sedet, audiens illos et interrogans... Vera pietas docilis est: Deum, Deique interpretes... interrogat et audit... Luc. 2.

Stupebant autem omnes super prudentia et responsis ejus... En fructus pietatis, quæ est ad omnia utilis... quæque intellectum dat parvulis... *Accedite ad eum et illuminamini...* Psalm. 33.

Fili, quid fecisti nobis sic ?... Conqueritur cum amore

reverenti mæstissima mater... Ad pedes Jesu, non hominum, et in Cor ejus divinum, dolores animæ effundere debemus...

Nesciebatis quia in his quæ Patris mei sunt, oportet me esse?... Scilicet, imprimis scire debetis hunc esse meum finem, hanc meam missionem in hoc mundo, ut quæ Patris sunt, quæ ad cultum Dei ac bonum animarum pertinent, procurem et perficiam...

Nonne et ego, vi vocationis meæ cum Domino dicere debeo : *In his quæ Patris mei sunt oportet me esse?...* Ad omnia igitur quæ a rebus divinis me retrahunt, respondebo : Deo per baptismum, per sacerdotium sum consecratus... in his quæ Dei ac vocationis meæ sunt, oportet me esse... non autem in iis quæ carnis aut mundi sunt... multo
I Tim. 2. minus in iis quæ sunt diaboli... *Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus...* Da mihi, Domine Jesu, in iis quæ tua sunt et quæ Ecclesiæ tuæ, semper me esse...

In fine fiat oratio ad S. Joseph, ad B. Virginem et ad Jesum, petaturque solidæ devotionis gratia, ut nempe nulla tribulatione, nulla desolatione animo cadam, aut in bonis propositis labefactari queam.

De baptismo Domini.

Pr. 1. Annos natus quasi triginta, Christus Dominis prædicationem inchoaturus reliquit Nazareth, et venit ad flumen Jordanis ut baptizaretur a Joanne. Sanctus præcursor, cœlesti signo Christum agnoscens, cum se indignum reputaret ut baptizaret eum, institit Dominus, dicens : *Sine modo : sic enim decet nos implere omnem justitiam* (Matth. III, 15). Post baptismum autem, Domino orante, cœlum apertum est, Spiritus sanctus descendit et vox Patris Filium suum manifestavit.

Pr. 2. Ut intelligam varia documenta virtutum

quæ hoc mysterio nobis tradit Dominus, eaque ut dignus ejus discipulus fideliter sequar.

I. Venit Dominus ad Jordanem. II. Baptizatur a Joanne. III. Manifestatur a Patre.

I P. PROFECTIO A NAZARETH. — Cur Dominus discedit a Nazareth, valedicit dilectæ matri suæ?... Quia nunc, ætatem adeptus lege requisitam, a cœlesti Patre, cujus voluntate regitur, ad vitam publicam vocatur... *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tanquam Aaron...* Hebr. 5.

Ut autem Evangelium suum prædicet, relinquit omnia quæ eum in hoc mundo impedire possent : domum, laborem consuetum, imo benedictam matrem suam... — Ut nullo terreno affectu aut ligamine detineatur... et iis quæ Patris et animarum sunt, omnino ac libere vacare possit... An ego ita sum ab omni affectu terreno liberatus, ut amorem universum in Ecclesiam Dei cui me consecravi conferam?... An non nimis adhæreo parentibus ac sanguine junctis, deque negotiis eorum sollicitus?...

Separantur ab invicem Filius et Mater, etsi tenerrimo ac purissimo amore conjuncti... O quantum Jesus et benedicta Mater sese mutuo amabant! Quam lacrymosa separatio!... At manifestata est voluntas Patris : *Fiat... Ecce ancilla Domini...* Unice scilicet quærunt Patris beneplacitum, cui omnes, etiam sanctissimi affectus cordis ipsorum subordinati sunt... — O Domine Jesu, o Virgo Mater, facite ut cor meum simile sit Cordibus vestris, omnesque affectus mei quoque sint divino beneplacito subordinati...

Digressus a Nazareth, quo ibit Filius Dei prædicationem inchoaturus?... Quomodo Lux mundi homines illuminare incipiet?... Non subito, sed gradatim manifestabit se, et quidem prius operibus quam verbis...

Ut præparet se ad evangelicum ministerium, ingreditur viam deserti, discedens a strepitu ac dissipatione mundi... venitque ad aquas Jordanis ut baptizetur...

Aqua imaginem exhibet humilitatis, quia semper ad ima tendit, et humillimum locum petit, in quo solo quiescit... — Aqua deinde, cum sordes abluat, symbolum est puritatis animæ et ablutionis peccatorum. . Nonne acce-

dendo ad aquas Dominus ministris Evangelii humilitatem et conscientiæ puritatem voluit commendare?...

Quare recipere vult baptismum pœnitentiæ, ipse sanctissimus et ab omni peccato alienus, permixtus inter peccatores?... Nonne ad exemplum? ut humilitatem... pœnitentiam... peccatorum expiationem doceat... omnes quidem homines... nos tamen præsertim sacerdotes, ut digne et cum fructu publica Ecclesiæ ministeria impleamus...

Quomodo divinum Magistrum hic studeo imitari?... Petatur gratia.

II P. BAPTIZATUR. — Joannes, ad sublime ministerium prædestinatus baptizandi Filium Dei, exemplum exhibet vitæ immaculatæ: purificatus enim ab utero matris, thesaurum illibatæ animæ perpetuo custodivit auxitque in solitudine... per orationem et jejunium...

Joannes et Jesus, se invicem sancto amore diligentes videre dudum cupiebant; neuter tamen alterum inviserat, nec viderat usque ad horam præstitutam a Patre... En iterum puritas affectus recte ordinati...

Ut agnovit Joannes Christum ostendit populo, dicens:
Joan. 1. *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi...*

Renuenti Joanni baptizare Dominum suum dicit Jesus: *Sine modo: sic enim decet nos implere omnem justitiam...* scilicet, ego humiliando me, tu vero obediendo... quasi omnis justitia humilitate et obedientia contineatur...

Immergitur Dominus in flumine, ut ostendat, oportere discipulos suos immergi in aquas humiliationis et abnegationis... « Nos pisciculi, inquit Tertullianus, secundum
Tertull. de Bapt. c. 1. « *ichtun* nostrum Jesum Christum, in aqua (baptismatis) « nascimur; nec aliter quam in aqua (humilitatis et pœni« tentiæ) permanendo salvi erimus. »

III P. MANIFESTATUR CHRISTUS A PATRE. — Cœlum aperi-
Matth. 3. tur Domino: *Ecce aperti sunt ei cœli...* sed baptizato et oranti...

Spiritus sanctus sicut columba apparet... Atqui columba symbolum est puritatis... simplicitatis... fecunditatis...

Matth. 3. Vox Patris auditur: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui* .. Quicumque Christi humilitatem et

puritatem imitatur, erit filius dilectus Patris, ab eoque auctoritate ac virtute donabitur ad munus apostolicum cum fructu obeundum...

Concludatur meditatio oratione ad S. Joannem Baptistam et ad Christum Dominum.

De tentatione Domini.

Pr. 1. Post baptismum suum, Christus Dominus ductus a Spiritu sancto in desertum *ut tentaretur a diabolo*, cum ibi jejunasset dies quadraginta, triplici tentatione sollicitatus est a Satana, his verbis : *Si Filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant... Mitte te deorsum : quia angelis suis mandavit de te... Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me.* — Quibus opposuit Dominus : *Scriptum est : Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei... Non tentabis Dominum Deum tuum... Vade, Satana ; scriptum est enim : Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies... Tunc*, addit S. Lucas, *recessit ab illo diabolus usque ad tempus. Et ecce angeli accesserunt et ministrabant ei.* Matth. IV, Luc. IV.

Pr. 2. Ut Christum, ducem meum, perfectius cognoscam, amem, sequar, ab eoque discam artem tentationes superandi.

Considerandum I. quomodo Dominus ad tentationes sese præparet ; II. quomodo eas superet; III. quomodo post victoriam remuneretur.

I P. PRÆPARATIO. — Quoniam pars quædam præcipua vitæ christianæ est tentationes vincere, voluit Dominus ipse tentari, ut exemplo suo nos ad spiritualem pugnam erudiret .. Et quia scriptum est : *Fili, accedens ad servitutem Dei, præpara animam tuam ad tentationem*, Eccli. 2. antequam tentaretur præparationem adhibuit... Porro præparatio hæc tres continet partes : Dominus enim secedit in solitudinem, ibique orat et jejunat...

Solitudo locus est remotus a mundi dissipationibus, illecebris et peccandi occasionibus... — Nonne hic docet nos Dominus fugam omnis periculi... et amorem solitudinis sanctæ, saltem illius quæ interna vocatur et in recollectione atque memoria divinæ præsentiæ consistit?...

Luc. 18. Dominus orat, exemplo sane docens nos *quoniam oportet semper orare et non deficere*... Ad pugnandum cum diabolo et ad vincendum inimicum quem in nobismet ipsis portamus, viribus et armis opus est... Porro absque oratione, eaque assidua... nec arma nec vires habebimus,

Matth. 26. erimusque milites inermes in medio hostium... *Vigilate et orate ut non intretis in tentationem*...

Dominus jejunat... qua voce omnis mortificatio sensuum

Marc. 1. designatur. Etenim vivens, ut Marcus ait, *inter bestias terræ*, non tantum cibo et potu privabatur, sed quibusvis vitæ commoditatibus, in habitatione, somno, et hominum consortio positis... Signatur autem jejunium, quia præcipua

Kemp. I, 19. esse debet refrenatio gulæ: *Frena gulam, et omnem carnis inclinationem facilius frenabis*...

An tribus istis exercitiis me ad spiritualem palæstram præparo?

Quid in posterum statuam?... Quid petendum?...

II P. CERTAMEN. — Præter requisitam præparationem, divinus Magister exemplo suo docet nos quomodo in ipsa tentatione nos gerere debeamus: primo tentationem prudenter detegendo... deinde eam repellendo prompte, omnino et non ex parte, fortiter et perseveranter...

Diabolus esurienti Domino suadet sibi panem comparare... quæ res honesta videtur. At occultam ibi tentationem Christus detegit, quia neque tempore debito, neque convenienti modo cibus capiendus proponitur... Nonne frequenter occurrunt occultæ tentationes? Nonne facile est excusare honestatis specie, prætextu sanitatis, quæ sunt

Kemp. I, 13. superflua vel sensualitatis fomenta?... Nonne *sæpe videtur*

Ibid. II. 5. *esse charitas, et est magis carnalitas?... Passione interdum movemur et zelum putamus*... Atqui insidias hujusmodi diabolicas facile deteget homo recollectioni ac orationi deditus, quique animam suam candide aperit confessario...

Resistit Dominus prompte, ut discamus *initiis obstare*...

et resistere absolute... opponendo verbum Dei verbis diaboli... — ut discamus absque ulla deliberatione repellere, tanquam summum malum, quidquid verbo ac legi Dei est contrarium...

Considerari quoque potest quomodo ad varias astutias recurrat diabolus, quomodo promittat quæ non habet nec dare potest, et quodnam promissorum pretium requirat : *Si cadens adoraveris me*... non tamen hujus abjectæ impietatis consequentiam manifestans... damnationem æternam...

Dominus pluribus hisce insultibus voluit exerceri, ut nos discamus fortiter ac fiducialiter perseverare, nec unquam animum despondere...

An hæc Domini documenta mihi familiaria sunt, tum ad meum juvamen, tum ad directionem aliorum?... Petatur auxilium gratiæ.

III P. CERTAMINIS FINIS. — *Recessit ab illo diabolus usque ad tempus*... Non semper durabit tentatio : et, ad confirmandum animum, dicere debemus : post procellam succedet serenitas, moxque cessabit vexatio... Reddita autem tranquillitate, dicendum : inimicus me non reliquit nisi *ad tempus*, ut vigilare non cessemus...

Angeli Domino victori ministrant... En gaudium triumphi. Serius ocius Christi milites triumphant : in hac vita imperfecte... at perfecte in futura...

Vincenti tentationes et proprias passiones datur auxilium et quasi ministerium angelorum, conviviumque cœleste, pacem scilicet et gaudium conscientiæ puræ... *Vincenti dabo manna absconditum*... Apoc. 2.

Finis imponatur meditationi per orationem congruam.

De duobus vexillis. Meditatio S. Ignatii.

Pr. 1. Spectare Christum Dominum, ducem ac Regem justorum, in regione ampla circa civitatem sanctam Jerusalem ; ex altera vero parte Satanam, ducem impiorum, in campo vastissimo Babylonis, quæ

mundum cum vanitatibus repræsentat : utrumque congregantem homines sub suum vexillum.

Pr. 2. Petere cognitionem fraudum inimici, ut ab eis caveam ; et cognitionem vitæ veræ quam ostendit Christus, ut eam, imitando Christum, habeam et abundantius habeam.

I. Strategia Luciferi. II. Strategia Christi.

I P. LUCIFERI CASTRA. — 1° Moratur, inquit S. Ignatius, inimicus Diabolus *in campo magno Babyloniæ*, quod indicat amorem libertatis et jucunditatum sæculi... *ibique sedet in magna quadam cathedra ignis et fumi, horribilis figura*... quæ figurative indicant ea quæ diaboli sequaces in se experiuntur, et ex quibus diaboli actio vel præsentia dignoscitur... *Cathedra* enim, seu sedes, innuit otium et commoditates corporis ; sedes *magna*, ambitionem et amorem præeminentiæ ; *ignis*, agitationem et effervescentiam passionum ; *fumus* demum vanitatem, tenebras ignorantiæ, erroris et tristitiæ...

2° Convocat suos satellites : habet enim cooperatores multos, visibiles et invisibiles... eosque mittit in omnia loca et ad omnes personas...

3° Instruit eos et monet, ut injiciant hominibus laqueos et catenas, inducendo eos, primo ad amorem divitiarum ; secundo ad ambitionem honorum ; et inde, tertio, ad magnam superbiam.

Hæc autem monita ministri Satanæ sic practice implent, ut pauperiores sollicitos faciant de rebus necessariis cum detrimento animæ... ditiores vero reddant tenaces et majoris fortunæ cupidos... — ut honoris et exaltationis propriæ ambitionem gradatim insinuent. Dantur enim gradus, qui sic distingui possunt : velle apparere et ab hominibus videri, — nolle alium sibi præferri, — nolle ullum contemptum pati ; — velle honoris locum sive fastu sive publicis functionibus occupare ; — in hoc altiore loco se magnum reputare, superioremque aliis, ipsis præpositis ecclesiasticis, imo ipsi Deo... unde iste sermo superbiæ : *Labia nostra a nobis sunt : quis noster Dominus est ?* Psalm. 11.

Ex hoc Luciferi consilio intelligitur cur tam multi homi-

nes Salvatorem, qui eis vitam offert, sequi renuant. Scilicet decipiuntur a diabolo, seducente eos per illecebram divitiarum et honoris hujus mundi, quibus eos ad superbiam impellit et rebellionem contra Christum. Quapropter S. Ignatius hic totus in eo est ut diaboli fraudes patefaciat, et ostendat divitias et honores hujus sæculi non aliud esse quam magnum quemdam laqueum... quo diabolus homines a vera vita, Christo, avertat et in perditionem dejiciat...

O Domine, libera animam meam ab omni fraude inimici, ab omni fallacia divitiarum et ambitionis...

II P. REX VERUS. — 1° Christus Dominus sistit se et exercitum congregat in magno campo regionis Hierosolymitanæ, in loco humili, speciosus et amabilis... — Hic omnia pacem spirant, lucem, humilitatem, charitatem... quæ Christi discipuli experiuntur, et ex quibus Christi spiritus dignoscitur...

2° Christus mittit quoque in universum mundum cooperatores apostolicos, ut homines salvent per doctrinam veritatis et vitæ...

3° Vult ut commendent divitiarum contemptum, paupertatem nempe spiritualem et actualem... desiderium opprobriorum et humiliationum... unde nascetur humilitas, qui est locus et velut sedes propria Christi...

Hæc autem viri apostolici sic practice prædicare debent, ut dicant hominibus : primo, ne sint solliciti circa res temporales, sed *quærant primum regnum Dei et justitiam ejus... habentesque alimenta et quibus tegantur his contenti sint... si affluant divitiæ, iis cor ne apponant,* sed eleemosynas erogent, imo vendant omnia quæ habent, ut thesaurum habeant in cœlo... — Circa honores doceant, ne quærant ab aliis hominibus videri, sed, exemplo Christi, humiliorem locum eligant... humiliationes et injurias patienter ferant et condonent ; deinde etiam easdem patiantur libenter et cum gratiarum actione, imo desideranter... quæ perfectio est et humilitatem animæ tribuit. Matth. 6. 1 Tim. 6. Psalm. 61.

In fine colloquium instituam ad Dominam nostram, et per eam petam gratiam a Filio ut recipiar sub ejus vexillum, primo per paupertatem spiritus... vel etiam, si hoc Majestati ejus placuerit, per paupertatem actualem;

secundo, in tolerandis opprobriis et injuriis, ad magis ac perfectius eum imitandum. — Idem petam a Christo Domino et ab æterno Patre, et concludam recitando *Pater noster*.

De duobus vexillis. Applicatio ad nostra tempora.

Pr. 1. Christus, Filius Dei incarnatus, ut verus Rex humani generis, vexillum suum erexit in medio mundi : *In die illa radix Jesse, qui stat in signum populorum* (Isai. XI, 10) ; at ex adverso, princeps rebellionis Lucifer suum quoque exaltavit vexillum. Utroque duce homines ad se vocante, humanum genus in duas partes dividitur ; pars autem major, fraudibus seducta, Lucifero adhæret. Quapropter monemur omnes hoc verbo : *Videte ne seducamini*. Luc. XXI, 8.

Pr. 2. Ut bene cognoscam utrumque vexillum, et, perspectis fraudibus inimici, a seductione caveam.

I. Vexillum Christi. II. Vexillum Luciferi.

Matth. 24. I P. VEXILLUM CHRISTI. — Magni Regis vexillum, *signum*, ut ipse ait, *Filii hominis*, quid aliud est quam crux ejus sancta, signum salutis... et symbolum totius doctrinæ christianæ?... — Ipse Christus illud portat, transiens per seriem sæculorum, portat inquam per manus Ecclesiæ suæ... portatque luce palam, in conspectu totius
Matth. 11. mundi... vocans omnes homines et dicens : *Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos...*

Quinam vexillum Christi sequuntur ? Tres distinguuntur sequentium classes : præcedunt Romanus Pontifex, episcopi, omnesque sacerdotes, ut duces militiæ sacræ... Subsequuntur laïci zelo pleni, militantes et ad bonum animarum cum sacerdotibus cooperantes... Demum catholici omnes, fidei suæ et religiosis obligationibus fideliter inhæ-

rentes... — An ego fide, exemplo, zelo dignum me ducem militiæ Christi exhibeo?... An alios exemplo et adhortationibus curo animare?...

Quonam autem Christus suos milites ducit? Nonne ad probos mores... ad veram humanitatem, quam civilitatem vocant, in hoc mundo... et ad perfectam æternamque felicitatem in futuro?... Nonne eo tendunt omnes operationes ac ministeria Ecclesiæ?... Quæ quidem operationes ac ministeria sunt, præter prædicationem et cultum in templo, educatio christiana in scholis, propagatio bonæ doctrinæ per prelum; imo repetitio ac vindicatio per honesta quælibet media jurium civilium, ut Ecclesia missionem suam libere possit implere... Pro temporum circumstantiis nonnihil strategia sacra mutanda est, ut apte variis hostium operationibus opponatur...

An ego in sacra militia laboriosus sum, et nullatenus otiosus? An *laboro sicut bonus miles Christi Jesu?*... II. Tim. 2. Quænam hic a Rege meo gratia petenda?...

II P. VEXILLUM LUCIFERI. — Non aliud istud est quam vexillum rebellionis contra Deum, et seductionis hominum, ut hi in eamdem rebellionem trahantur. Expanditur autem purpura et auro splendens, inscripta ferens magnifica eademque fallacia verba: *libertas, divitiæ, scientia, gloria*... Portatur autem, non ab ipso horrifero Satana, qui se abscondit; sed ab ipsius ministris et curatoribus... quales sunt impii Principes, Ecclesiam impugnantes, eorumque cooperatores, præsides Franco-muratorum; item pravi quilibet magistratus, pravi scriptores ac pravi juventutis institutores...

Sequaces vexilli satanici generatim ii omnes sunt, qui Christo non sincere adhærentes, partes impiorum sequuntur. Primo autem loco incedunt manifesti Ecclesiæ hostes; — deinde, quicumque eorum fautores, qui, sive cupiditatis aut ambitionis, sive ignaviæ respectusque humani, sive indifferentiæ causa... eorum operibus consociantur; — demum accedunt quilibet mali christiani, qui cupiunt libere cupiditatibus indulgere...

At vero, quo sequaces suos Lucifer deducit? Nonne per fallacia bona hujus mundi ad superbam contra Deum rebellionem, ac demum ad damnationem æternam?... Nonne

illuc tendunt universa molimina ejus, ut humili fidei substituat intellectus independentiam, et spei futurorum bonorum præsentia sensuum oblectamenta?... Nonne hunc in scopum diriguntur scholæ, prelum, leges, totumque gubernium impiorum?...

An ego non aliquo modo, per viam latiorem incedendo, ad Luciferi castra, quæ omni zelo impugnare deberem, accedo?...

Quis autem erit magni duelli exitus? Quis de duobus ducibus victoriam referet?... Novimus finalem triumphum certum esse ac exploratum Christo, omnibusque fidelibus qui sub vexillo ejus decertare perseveraverint... *Dominare in medio inimicorum tuorum... donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum...*

Psalm. 109.

In fine fiat oratio, ut petatur prudentia cœlestis ad cavendas fraudes inimici.

De vocatione apostolorum.

Pr. 1. Petrum et Andream, fratrem ejus, vocavit Dominus quasi gradatim; et tertia dumtaxat vice, cum diceret eis : *Venite post me, et faciam vos fieri piscatores hominum; illi continuo, relictis retibus, secuti sunt eum* immutabiliter (Matth. IV, 19). Simili modo filii Zebedæi, Joannes et Jacobus, cum vocaret eos, *statim, relictis retibus et patre, secuti sunt eum* (ibid. 22). — Philippo dixit : *Sequere me;* itemque Matthæo sedenti in telonio, ait : *Sequere me; et surgens secutus est eum* (Joan. I, 43; Matth. IX, 9). Reliqui Apostoli similiter sunt vocati, licet de eorum vocatione mentio expressa in Evangelio non fiat.

Pr. 2. Ut intelligam quam sit excellens vocatio apostolica, cujus et ego factus sum particeps; utque eadem me dignum exhibeam.

I. Apostolorum prior conditio. II. Eorum vocatio. III. Eorum per vocationem evectio.

I P. CONDITIO PRIOR. — Apostolorum ante vocationem suam conditio fuit humillima. Cum posset Dominus in apostolos assumere viros eruditos, divites, nobiles, potentes... his omnibus neglectis, elegit homines abjectæ conditionis, rudes ac imperitos... sed laboriosos, rectos corde ac pios...

Cur tales elegit æterna Sapientia ?

Ut pateat opus apostolicum et animarum salvationem, opus esse solius Dei et gratiæ, per instrumenta de se inepta operantis... Humana opera efficiuntur per humana media, divitias, ingenium, eloquentiam vel arma... Opera vero Dei non sic. *Videte vocationem vestram, fratres,* I. Cor. 1. *quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles. Sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundat sapientes... ut non glorietur omnis caro in conspectu ejus...* sed omnem gloriam tribuat Deo... omnemque virtutem ac successum a Deo, non a sua aptitudine exspectet... *Ego plantavi, Apollo rigavit,* I. Cor. 3. *sed Deus incrementum dedit...*

Tales elegit Dominus, ut ostendat se non indigere humana scientia doctis, nec terreno auro divitibus ; sed hominibus humilibus et operosis, qui debita scientia non carebunt, quique postquam *fecerint omnia quæ præcepta* Luc. 17. *sunt eis, dicant : servi inutiles sumus : quod debuimus facere, fecimus...*

Tales elegit, ut melius intelligentes sese gratuito et ex mera misericordia electos, gratitudine animati, totos se negotio benefici sui Domini devoveant... *Non vos me ele-* Joan. 15. *gistis, sed ego elegi vos, et posui vos ut eatis, et fructum afferatis...*

Num sensus istos gratitudinis, humilitatis ac devotionis in laborando, secundum vocationem meam habeo ac foveo ? Quid hic a Domino petendum ?...

II P. VOCATIO. — Dominus videns Philippum, item Matthæum, suaviter dicit : *Sequere me...* En præveniens ac gratuita gratia : primus Dominus, immeritos... nec quidem petentes... benigne aspicit et invitat... *Non vos me* Joan. 15. *elegistis, sed ego elegi vos...* Gratiæ agantur Deo pro tanta

gloria, hominibus communicata : *Nimis honorati sunt amici tui, Deus...*

Dicens : *Sequere me,* simul amica voce ac benevolo aspectu, et præcipue interna illuminatione corda movet. Dat enim eis sensum hujus brevissimi verbi : *Sequere me...* Intelligunt, aliquousque saltem, *quemnam* sequi sibi offertur... et quo sequentes eum pervenient...

Nonne cuilibet Christiano dicit Dominus... at mihi præcipue sacerdoti : *Sequere me...* non mundum, non carnis inclinationes?... An ego brevissimum illud verbum capio?..

Gradatim vocat filios Zebedæi, sicque suaviter eos adducit ad intelligendum et exequendum illud : *Venite post me, et faciam vos fieri piscatores hominum...* Ut discamus et nos suaviter ac gradatim animos præparare.

Faciam vos fieri piscatores hominum. Explicat quare eos ad suam sequelam vocet, et congrua ac simplicissima figura sublimem Apostolorum munus exprimit... Perpendantur verba : 1° *piscatores* artem suam exercent multa cum solertia... patientia ac labore... omnes corporis vires animique industriam impendunt ut educant pisces ex abysso... nec conqueruntur, imo gaudent de copia capturæ, licet labor augeatur et retia rumpantur... 2° *Piscatores hominum.* Difficilior quidem hominum piscatio... quæ implicat persecutiones et martyrium... implicat pecuniarum etiam usum, quas viri apostolici non habent.. sed addit Dominus : 3° *Faciam vos fieri... ego* omnipotens *faciam...* dummodo vos sequamini me...

Qui surgens secutus est eum... Illi statim, relictis retibus et patre, secuti sunt eum... An ego ita prompte... generose ac omnibus sacrificatis... totam meam sortem ac spem in Christo collocans, sequor meum Ducem divinum... ex toto corde... omnino, non ex parte?... Da mihi, Domine, hæc apostolorum exempla imitari.

III P. EVECTIO. — Quam sapienter egerunt, Christum sequentes! Quanta bona in hac sequela consecuti! Quam mirabiliter mutati in piscatores hominum, evecti ad dignitatem participandam ipsius Filii Dei!... In hoc sæculo, nonne inermes induuntur potestate quæ potestatem regum superat?.. rudes, replentur scientia et sapientia Dei... timidi animantur fortitudine... humiles cumulantur gloria, divini Christi operis participes?...

Quid autem in sæculo futuro ?... *In regeneratione*, dicit Dominus, *vos qui secuti estis me, cum sederit Filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis et vos, judicantes duodecim tribus Israel...* Matth. 19.

An intelligo, vocationem hanc Apostolorum esse etiam meam, meamque esse prorsus eamdem ?... An mea Christi sequela item est eadem ?... Quid in me desideratur ?...

In oratione finali agantur Deo gratiæ, petatur auxilium...

De negotiatoribus ejectis e templo.

Pr. Ingressus in templum Dominus, cum invenisset ibi nummularios et qui in atriis vendebant atque emebant boves, oves et columbas, indignatus est ; cumque fecisset quasi flagellum de funibus, omnes ejecit, dicens : *Domus mea domus orationis vocabitur : vos autem fecistis illam speluncam latronum... domum negotiationis.* Tunc recordati sunt discipuli scriptum esse : *Zelus domus tuæ comedit me.* Joan. II, 17 ; Matth. XXI, 13.

Pr. 2. Ut magis magisque Christum, divinum meum exemplar, cognoscam, diligam, imiter, præcipue in zelo gloriæ Dei et salutis animarum.

I. Quomodo zelus Domini inflammatur? II. Quomodo excercetur ?

I P. ZELUS DOMINI INFLAMMATUR.— Mitissimus Dominus indignatione movetur ac zelo accenditur aspectu profanationis templi.

Quoslibet eventus, ipsas suæ personæ illatas injurias æquo animo patitur... profanationem vero templi non item... quia abusu isto maxime læditur gloria Patris et animarum bonum, quæ sola res ipsi cordi est... Indignatur, simulque accenditur efficaci desiderio remedium tanto malo afferendi... — Verus zelus non tantum dolet ob detrimenta gloriæ Dei et animarum, sed huic malo mederi conatur...

Profanabatur templum per ementes et vendentes ac

nummularios, qui domum Domini, sanctitate et oratione honorandam, mutabant in tavernam mercatoriam, in stabulum animalium ac speluncam latronum... Cujus mali causa erat ex parte sacerdotum vilis lucri cupiditas...

Nonne eadem avaritia, seu cultus mammonæ, similes procreat profanationes in templo spirituali animæ nostræ?... Itemque in magna domo Dei, quæ est Ecclesia?... Certe,
Matth. 6. *non potestis Deo servire et mammonæ*... O Domine, custodi me ab omni avaritia...

Quodnam autem in Ecclesia vocandum est vile lucrum? Non tantum pecuniaria emolumenta, ubi hæc a ministris Dei inordinate quæruntur... sed quodcumque temporale commodum, quod loco gloriæ Dei et sanctificationis animarum intenditur... Quam turpe ex rebus sacris captare gloriolam vanitatis!.. aut sensualitatis fomenta!.. Quærere
Matth. 10. quæ sua sunt, non quæ Jesu Christi!.. *Gratis accepistis, gratis date*... Quomodo ego me hic habeo?... Da mihi, o Jesu, gratis tibi semper et pure servire.

At quinam sunt emptores? Nonne qui sacrum ministerium exercent, ut eo tanquam pretio acquirant mercedem temporalem?... Qui venditores? Nonne qui sacrificant, negligunt pietatis exercitia, opera zeli pro corporali satisfactione pigritiæ, aut recreationis superfluæ?... Quinam latrones? Nonne qui per incuriam, imprudentiam, scandala... animas mactant et perdunt?..

Discam hinc quanta domui Dei reverentia debeatur et
I Tim. 3. sanctitudo... discam etiam *quomodo me oporteat in domo Dei ambulare, quæ est Ecclesia Dei vivi*... In hunc autem finem petam auxilium divinæ gratiæ.

II P. QUOMODO DOMINUS ZELUM SUUM EXERCET? — Nequaquam sterili indignatione nec pio gemitu contentus... nec pusillanimus, magnitudine mali perterritus, quasi remedium non superesset... nec timidus, metuens faciem hominum ubi agitur de negotio Dei... sed fortis et efficax media quærit opportuna et manum operi admovet...

Aget autem prudenter : non ex impetu cæco vel ex passionis impulsu ; sed ex deliberata ratione... non recurrens ad fulmina, sed mitiora adhibens flagella... non quærens destructionem sed ædificationem...

Agit prudenter, secundum prudentiam cœlestem, quæ

humana quidem media non negligit, sed magis Dei ope confidit... quæ, secus ac prudentia carnis, ubi Dei voluntas innotescit, multitudinem adversariorum non respicit... Solus Christus, simplici armatus flagello, contra omnes pugnat, et omnes vincit... fere sicut videmus Ecclesiam quoque solam, inermem, de omnibus hostibus triumphare...

Agit prudenter, prudentia cœlesti quæ, secus ac prudentia carnis, non dubitat confusionem pro Deo subire ; nec indulgentius erga divites quam erga pauperes divinam legem applicandam esse putat...

Agit prudenter, id est, fortiter et suaviter pro rei opportunitate... quod nos ita imitari debemus, ut fortius atque severius erga nos ipsos, suavius erga alios agamus...

Concludendum oratione ad Dominum Jesum, qua petam ut zelus domus Dei in corde meo augeatur ; utque primum ipsemet nihil faciam quod sanctitati domus Dei contrarium sit, deinde vero ut alios doceam eam semper servare reverentiam, quam domus Dei requirit.

De miraculo in nuptiis Cana.

Pr. 1. Dominus ad nuptias invitatus in Cana Galilææ, una cum sanctissima matre sua ac primis discipulis, ire non recusavit. Cumque inter prandendum deficeret vinum, monitus a matre sua, aquæ copiam in vinum convertit, totamque domum lætitia sancta et ædificatione replevit.

Pr. 2. Ut magis cognoscam atque amem incarnatam Sapientiam, et documenta quæ mihi hoc mysterio tradit fructuose percipiam.

I. Quomodo Dominus ad nuptias veniat ? II. Quomodo defectum vini cognoscat ? III. Quomodo aquam in vinum convertat ?

I P. AD NUPTIAS VENIT. — Invitatur Jesus cum sua sanctissima matre... Quam prudentes quamque felices sponsi, qui tam sancte matrimonium contrahunt, quique Jesum et Mariam suis nuptiis interesse volunt !... Hæc veri ac

christiani gaudii conditio est, ut non excludatur Jesus... sed in omni lætitia ipse cum sua matre adsit, vel saltem adesse possit, nihilque fiat vel dicatur quod eorum præ-
Psalm. 67. sentia sit indignum. *Justi epulentur et exultent in conspectu Dei*... Quam multi loco Christi, diabolum invitant!... Eorum vices dolebo, pro iis orabo...

Invitati Jesus et Maria ire non recusant : quia nihil quod ab ipsis petitur, dummodo honestum sit et proximo expe-
Luc. 6. diat, præ bonitate negare valent... *Omni petenti te, tribue.* — Non recusat Dominus, quia occasionem prævidet benefaciendi, et ædificandi animas... Hunc enim scopum intendit, ut aliquid proficiat ad gloriam Dei et bonum animarum... — Demum nuptiis interesse vult, ut matrimonium in se sanctum esse, sancteque contrahendum significet.

Adest Jesus cum discipulis, ut eos exemplo modestiæ, decentiæ ac temperantiæ suæ, nec non miraculo patrando ædificet... Quot exempla hic mihi imitanda!...

Discam a Domino omnia opera, etiam indifferentia
I. Cor. 10. sanctificare... *Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite*... Petatur hæc gratia per intercessionem B. Mariæ Virginis.

II P. VINUM DEFICIT. — Beatissima Virgo, etsi adspectu modestissima, animadvertit vinum deficere, adeoque homines necessitate ac tristitia laborare... ejus enim misericordes oculi ad omnem afflictionem sunt aperti... Nec tantum videt necessitatem et miseratione movetur, sed remedium quæret, etsi non rogata...

Monet Jesum. En cur silentium rumpat... submissa tamen voce, paucissimis verbis, dicens : *Vinum non habent*... Quo utique verbo petit miraculum... Quod probe intelligens Jesus respondet :

Quid mihi et tibi est, mulier? Nondum venit hora mea... Quasi diceret : *O Mulier, cui nihil negare possum, quid petis? Rem quasi impossibilem postulas*... Nihilominus postulatum concedet, prout ipsa Mater omnino intelligit ; imo cognoscere videtur quid Filius suus acturus sit. Nam vocatis ministris dicit :

Quodcumque dixerit vobis, facite... Nonne hæc omnia mihi indicant quid beatissima Virgo faciat pro me?... Videt

etiam misericordiæ oculis inopiam animæ meæ : quomodo caream vino charitatis omniumque virtutum... O Mater misericordiæ, aspice in me et miserere mei... et dic Filio tuo : *Vinum non habet*... — Ut autem beneficia ejus accipiam, conditionem apponit, dicens : *Quodcumque dixerit tibi, facito*...

III P. MIRACULUM. — Mutatio aquæ in vinum insigne miraculum est... simulque figura Consecrationis eucharisticæ... et sanctificationis animæ nostræ... Sicut aqua mutatur in vinum, ita nostra infirmitas mutatur in fortitudinem, frigiditas in dilectionem, carnalitas in charitatem Dei et proximi...

Et quidem hæc mutatio peragitur utique a Christo, sed Mariæ precibus exorato...

Cum posset Dominus quocumque modo suppeditare vinum, et vacuas hydrias vino implere, vult ut prius impleantur aqua, dicitque ministris : *Implete hydrias aqua.* Obediunt illi simpliciter, secundum Mariæ monitum ; nec quidquam objectant, cum possent dicere, se vinum petere non aquam... sed quodcumque dicit Jesus faciunt accurate : *Et impleverunt eas usque ad summum*... — Hinc intelligam, Dominum requirere cooperationem nostram... ut faciamus quod in nobis est... ut præstemus aquam humilitatis, obedientiæ, bonæ dispositionis... ipse dein operabitur in nobis opus suum, opus sanctificationis nostræ...

Dei perfecta sunt opera... Vinum præstat Dominus optimum, copiosissimum... cordaque omnium replet fide et lætitia sancta...

O Beatissima Virgo, fac ut te ardentius amem et per te accendar amore Filii tui... sic enim eris mihi causa perfectæ lætitiæ...

De Christi sermone in monte.

Pr. 1. *Ascendit Jesus in montem, et quum sedisset, accesserunt ad eum discipuli ejus. Et aperiens os suum docebat eos, dicens : Beati pauperes spiritu*... Matt. v, 3.

Pr. 2. Ut vivida fide audiam verba divini Magistri,

eaque intelligam et tanquam regulam sequar fidelissime.

I. Quis docet ? II. Quid docet omnes generatim ? III. Quid docet particulariter apostolos ?

I P. QUIS DOCET ? — Quis magister hic aperiens os suum, nisi Magister *summus*, qui est ipsa Sapientia, humano corpore induta, homines erudiens ?... Quod gentiles olim fingebant, deam, sapientiæ depositariam, humana specie inter homines apparuisse ; id verissimo eventu con-
Coloss. 2. tigit in Christo, qui personalis Sapientia est, et *in quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi*. In persona igitur visibili Christi Jesu, ipse Dei Filius, Sapientia Patris loquitur mundo. *Multifariam multisque modis,*
Hebr. 1. inquit Apostolus, *Deus olim loquens patribus in prophetis, novissime diebus istis locutus est nobis in Filio*... qui est *splendor gloriæ et figura substantiæ ejus*...

Taceat ergo omnis sapientia humana... mundana... ubi loquitur Sapientia divina...

Magister est *universalis,* loquens ad omnes homines, omnium regionum et omnium generationum... Verba enim ejus per apostolicos ministros repetentur ubique
Psalm. 18. usque ad finem sæculorum... *Non sunt loquelæ neque sermones, quorum non audiantur voces eorum* .. Magister omnium, rudium et eruditorum, magnatum et pusillorum... quem omnes audire tenentur.

Magister *unicus*, infallibilitatem habens et potestatem... quam tamen magisterii auctoritatem subordinatis magistris, seu hypodidascalis communicat. Quicumque autem ab eo docendi missionem non habent, magistri non sunt,
Matth. 23. imo, potius pseudo-magistri appellandi... *Magister vester unus est Christus.*

Magister *bonus*... quia mitis et humilis corde... quia verbo docet et exemplo... quia non tantum viam ostendit,
Luc. 11. sed vires præstat ambulandi... *dans spiritum bonum petentibus se*...

Quantas debeo Deo gratias quod talem ac tantum dederit nobis Magistrum !... et quod me assumpserit in hypodidascalum !... Quanta reverentia teneor ejus verba audire !... quanto studio ejus methodum imitari !...

II P. DISCIPLINA GENERALIS. — Omnibus ostendit quomodo beatitudinem consequi possint... imperfectam quidem in præsenti vita, perfectam in futura. Ita, quod nullus homo solvere potuit, ipse Deus solvit problema de beatitudine : *Beati pauperes spiritu, mites, qui lugent, qui esuriunt et sitiunt justitiam, misericordes, pacifici, mundo corde, qui persecutionem patiuntur propter justitiam...* Matth. 5.

Deinde proponit omnibus legem perfecte servandam : *Non veni solvere legem, sed adimplere...* Quapropter non tantum proscribit perjurium, odium, homicidium, adulterium ; verum etiam, omnem irreverentiam erga Deum... erga proximum vero, iracundiam, prava judicia et omnes inimicitiæ sensus... Item, condemnat concupiscentiam oculorum et cordis... Præcipit autem condonare injurias, orare pro inimicis... recta intentione pro Deo operari, Deum sancte orare, et in Deo perfecte confidere... *Quærite primum regnum Dei et justitiam ejus, et hæc omnia adjicientur vobis.* Ibid. Matth. 6.

Vult demum ut unusquisque in suo statu perfectus sit, et Patris cœlestis perfectionem æmuletur : *Estote ergo vos perfecti, sicut et Pater vester cœlestis perfectus est.* Matth. 5.

Si hæc ab omnibus servanda, quanto magis a me, qui ea alios debeo docere ?...

III P. PRÆCEPTA PARTICULARIA. — Viris apostolicis particularius dicit : *Vos estis sal terræ. Quod si sal evanuerit... ad nihilum valet ultra, nisi ut mittatur foras et conculcetur ab hominibus...* Sublime sane ministerium, carnem, id est homines a corruptione spirituali liberatos, incorruptionis et immortalitatis gloriosæ facere participes !... At cavendum homini apostolico, ne saporem seu saliendi virtutem, quæ in spiritu ecclesiastico consistit... amittat... et sic a sublimitate sua delapsus ad infimam abjectionem descendat... Ibid.

Vos estis lux mundi... Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est .. Itaque, quas verbo luculenter proponere teneor virtutes, earum luculentius exemplum moribus meis ostendere debeo...

In fine me ad pedes divini Magistri conjiciam, deprecans

humillime, ut det mihi magis magisque doctrinam ejus amare, intelligere et perfecte tum exemplo tum verbo prædicare.

De sedata tempestate.

Pr. 1. Cum ascendisset Dominus in naviculam, secuti sunt eum discipuli ejus. Et ecce tempestas magna exorta est, ita ut navicula operiretur fluctibus : Jesus autem dormiebat. Territi vero discipuli suscitaverunt eum, dicentes : *Domine, salva nos, perimus.* Respondit Dominus : *Quid timidi estis, modicæ fidei? Tunc surgens, imperavit ventis et mari, et facta est tranquillitas magna.* Matth. VIII, 26.

Pr. 2. Ut fructuose capiam documenta hujus mysterii, et discam imprimis fiduciam et constantiam in sequela Christi.

I. Oritur tempestas. II. Terrentur discipuli. III. Tempestas a Domino sedatur.

I P. TEMPESTAS. — Discipulis Dominum in naviculam secutis exoritur vehemens tempestas, ipso Domino præsente ac dormiente...

Cur Filius Dei, maris ventorumque moderator, permittit ut dilecti sui discipuli, ipsum fiducialiter sequentes, tempestatem hanc patiantur? Nonne ut intelligamus, eos qui Christum sequuntur, adversis rebus esse agitandos in
II Tim. 3. mari hujus mundi?... *Omnes qui pie volunt vivere in Christo Jesu, persecutionem patientur...*

Quid significat exorta tempestas et quidem vehemens?... Nonne spirituales tempestates sunt adversitates... tentationes ac perturbationes quælibet... sive intrinsecus, ex passionibus... sive extrinsecus, ex parte hominum oriantur... ac pulsent naviculam nostram?... Nunquam tamen
Cor. 10. id fiet, nisi sciente ac permittente Domino maris... *qui non patietur vos tentari supra id quod potestis...*

Exoritur tempestas ipso Domino præsente, sed dormiente... ut intelligamus, quandoque amantissimum Dominum ac Patrem nostrum se gerere quasi nostri esset oblitus...aut nos dereliquisset... sed cavendum ne id suspicemur. Ecce nobiscum semper est in eadem navi, nobiscum ipse mergendus, si mergeremur... — Somnus ejus, præteriti laboris effectus... tranquillitatis ac fiduciæ argumentum est, non oblivionis... *Ego dormio, et cor meum vigilat...* — *Quoniam ipsius est mare, et ipse fecit illud...* An hanc Dei præsentiam in rebus arduis præ oculis habeo?... Quid hic petendum? Cant. 5. Psalm. 94.

II P. DISCIPULORUM TERROR. — Discipuli, etsi maris motibus assueti, cum labores suos inutiles viderent, terrentur quasi perituri; Dominum a somno excitant, at ab eo reprehenduntur.

Terrentur quasi perituri : nonne immerito? quandoquidem vehant Dominum Jesum... Etenim cur timent? Si ipsimet suis viribus tempestati resistere non possunt, putantne Jesum non posse ipsis opitulari?... aut id non velle?... aut nescire tantum imminere periculum?... Nos similiter Dominum vehimus : *Ecce*, inquit, *ego vobiscum sum, omnibus diebus...* Ne terreamur, sed Dominum Salvatorem e somno excitemus... Matth. 28.

Quomodo, discipulos imitabimur? Qui *accesserunt ad eum, et suscitaverunt eum, dicentes : Domine, salva nos, perimus...* Et nos similiter oratione ac bonis operibus Dominum excitare debemus. Matth. 8.

Clamore eorum et forte tactu manuum evigilans, dicit : *Quid timidi estis?...* Corripiuntur quod timeant... quanto magis reprehensibiles forent, si animum desponderent... vel Dominum non vocarent?... — *Modicæ fidei!* Ideo enim timidi sunt et perturbati, quia modicæ et infirmæ fidei... Fidem quidem se habere ostendunt, sed non qualem vult Dominus...

Et ego?... Quid mihi deest?... Quid rogabo?...

III P. SEDATIO. — Dominus a discipulis exoratus, imperavit ventis, et facta est tranquillitas magna : quia venti et mare obediunt ei.

Surgens imperavit ventis... Sic aliquando *surget* pro nobis... *imperabit* imperio ineluctabili... et fiet *tranquil-* Habacuc. 2.

litas magna... At quando? Suo tempore : *Veniens enim veniet et non tardabit... si moram fecerit, exspecta illum... apparebit in finem et non mentietur...* —
Act. 1. *Nostrum* autem *non est nosse tempora vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate...*

Quia venti et mare obediunt ei... Huic omnipotenti Domino servimus, qui unico verbo, unico momento mutare potest omnia... Ipse semper mecum, et ego timerem?...
Psalm. 22. Ps. 117. *Non timebo mala, quoniam tu mecum es...* — *Dominus mihi adjutor, non timebo quid faciat mihi homo...*

Si modicæ fidei non fuerim, sed constanti fiducia et oratione innixus permansero brachio Omnipotentis, similis ipsi ero ; venti et mare obedient mihi, dominanti omnibus
Isaï. 40. animi motibus. *Qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem...*

Fiat in fine oratio ad sanctos Apostolos et ad Christum Dominum, ut petatur apostolica illa fiducia et constantia.

De Christo super aquas ambulante.

Pr. 1. Cum discipuli, jubente Domino qui in littore remanebat, soli naviculam conscendissent, multum laborarunt in remigando ob contrarium ventum. At circa quartam vigiliam noctis, venit ad eos Jesus ambulans super mare, et territos discipulos confirmavit. Tunc ipse Petrus, Domino vocante, super aquas incessit. Demum, ingresso Jesu in navim, cessavit ventus, *et statim navis fuit ad terram in quam ibant.* Joan. VI, 21.

Pr. 2. Ut varios colligam ex hoc mysterio fructus, speciatim vero spiritum fidei.

I. Discipuli Domino obediunt. II. Dominum non agnoscendo terrentur. III. Domino agnito laboribus levantur.

I P. DISCIPULORUM OBEDIENTIA. — Vespere, post fatigationem diurnam, mittuntur ad navim discipuli, ut labo-

rent in remigando adversus ventum contrarium, et quidem seorsim a dilecto suo Domino, qui manet in littore tranquillus... Hæc sane gravia atque ingrata eis accidunt... sed a Domino præcipiuntur... quapropter discipuli vadunt, frustra obloquente natura... — An ita ego in officiis mihi injunctis Dei voluntatem intueor?...

Quomodo discipuli laborem sustinent? Fortiter omnino. Nam contrarius est ventus, et fluctibus resistentibus vix progrediuntur... Non tamen murmurant, nec brachia remittunt; sed laborant in remigando; quia voluntas Domini est...

Quamdiu laborem sustinent? Donec Domino placebit: usque ad quartam seu ultimam vigiliam, id est, usque ad horam fere quintam matutini... libenter sacrificantes nocturnam quietem, quia hæc voluntas Domini est... — Si ego similiter voluntatem Dei intueor, libenter pro ipso labores sustinebo usque ad ultimam vigiliam noctis vitæ hujus... Hanc itaque gratiam rogabo...

II P. DISCIPULORUM PAVOR. — Jesum putantes longe abesse, in propinquo non agnoscunt... Nonne ego simili errore teneor, oblitus verbi hujus : *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus?...* Matth. 28.

Cum ipsis utique est tanquam auxiliator omnipotens, *super aquas ambulans:* ubi scilicet nemo præter ipsum ambulare possit... viam sibi creans ex ipsis obstaculis... miracula patrans, si opus sit, ut suis adsit et auxilietur... fluctus passionum et fluctus inimicorum pedibus complanans, ut non tantum nihil impediant, sed ad progressum suum potius adjuvent... Quis in Domino tali non plane confidat?...

Non solum a discipulis non agnoscitur, sed tanquam phantasma maleficum timetur... An melius ego Dominum ejusque sanctissimam voluntatem, sub velamine crucis cujuslibet... aut officii adimplendi... aut correptionis sanctæ absconditam agnosco?... An forte quem ut amicum, ut thesaurum amplecti deberem, misere obcæcatus non fugio?... Et e contra diabolum, sub specie blandimenti carnalis vel mundanæ gloriæ ad me venientem, an non ut amicum amplector?...

At ille : *Ego sum*, inquit, *nolite timere*... Quamvis

specie austera sensibusque repugnante veniam, nihilominus ego sum, thesaurus animæ tuæ, et auxiliator omnipotens...

O Domine Jesu, fac ut te semper, sub omni velamine, oculo fidei agnoscam.

III P. DOMINUS AGNITUS. — Petrus agnoscit Dominum, et accedit ad eum, ambulans similiter super aquas, quæ humanam infirmitatem designant... Super aquas autem incedit, quia fidem habet... at vero quia fidem habet imperfectam, cœpit mergi... *et continuo Jesus extendens manum, apprehendit eum, et ait illi*: *Modicæ fidei, quare dubitasti ?...*

Matth. 14.

Reliqui discipuli agnoscentes Dominum in navim recipiunt... Scilicet, ubi Dominus oculo fidei sub qualibet specie agnoscitur, non tantum non timetur, sed facile in naviculam cordis recipitur... id est, ubi divina voluntas in qualibet cruce, in quocumque officio respicitur, facile, et quidem omnino, non ex parte, acceptatur... quoniam id bonum est, imo bonum super omne bonum...

Ubi Dominus conscendit in naviculam, cessat ventus atque jactatio... et statim, sine labore navis attigit navigationis terminum... En fructus recepti Christi in anima... Scilicet ubi Christus Dominus ejusque voluntas per spiritum fidei in anima regnat perfectumque imperium exercet, eam velociter et nullo labore ad sanctitatem deducit...

Demum ferventi oratione hunc spiritum fidei a Domino postulabo.

De piscatione miraculosa.

Pr. 1. Cum ascendisset Dominus in naviculam Simonis Petri, jussit eum ducere in altum et laxare retia. *Præceptor*, inquit Simon, *per totam noctem laborantes nihil cepimus : in verbo autem tuo laxabo rete. Et cum hoc fecisset, concluserunt piscium multitudinem copiosam*. Quod videns Simon, procidit ad

genua Jesu, dicens : *Exi a me, quia homo peccator sum, Domine.* Luc, v, 4, seqq.

Pr. 2. Ut discam quomodo in ministerio animarum fructuose laborare debeam, atque semper caveam ut labor meus non sit inanis in Domino.

I. Piscatio Petri inanis. II. Piscatio Petri fructuosa. III. Petri post piscationem fructuosam humilitas.

I P. PISCATIO INANIS. — Petrus per totam noctem laborando nihil cepit ; qua de causa ? Non utique defuit labor et quidem gravis ac diuturnus... nec solertia, cum Petrus peritus arte piscatoria, tempus ac locum maxime opportuna elegisset... Alia igitur causa fuit, Petro extranea, quæ capturam reddidit inanem : absentia videlicet divini concursus, laborem fecundantis. *Nisi* enim *Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt qui ædificant eam...* Psalm. 126. Petrus nihil cepit quamdiu solus laboravit ac sine Christo : ut intelligamus nostrum laborem inanem fore, quamdiu laborabimus quasi soli ac separati a Domino Jesu, principio omnis fructus et benedictionis spiritualis... *Ego sum vitis,* inquit, *vos palmites : sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso, nisi manserit in vite, sic nec vos nisi in me manseritis...* — *Et qui non colligit mecum, dispergit.* Joan. 15. Luc. 11.

Jam vero, solus operatur quicumque innititur suis viribus, magis confidens suæ prudentiæ, suo talento, quam subsidio gratiæ Dei... *Non ego, sed gratia Dei mecum...* 1 Cor. 15.

Solus operatur, qui propter propria commoda laborat, quærens non tam animas quam pecuniam, quam corporalia blandimenta, quam laudes hominum... *quærens quæ sua sunt, non quæ Jesu Christi...* Philipp. 2.

Solus operatur, qui in ministerio sacro non sequitur obedientiæ ductum ac Superioris consilium ; sed sensum ac judicium proprium, inclinationem ac gustum naturalem. . non id faciens *quod oportet, sed quod placet...*

Nonne ego de numero eorum sum qui soli ac sine Christo operantur ?... An vellem per totam noctem hujus vitæ laborare et nihil producere veri fructus, sive pro anima mea,

sive pro animabus mihi concreditis ?... Quid statuendum? Quid petendum ?...

II P. PISCATIO FRUCTUOSA. — Cum dixisset Dominus
Luc. 5. Petro : *Duc in altum, et laxate retia vestra in capturam ;* etsi res inutilis omnino videbatur hominibus exercitatis, Petrus credit et obedit Domino : *In verbo*, inquit, *tuo laxabo rete. Et cum hoc fecissent concluserunt piscium multitudinem copiosam*... Quænam ergo tanti successus causa? Nonne quia cum Jesu laborant, et in verbo ejus retia laxant ?... Ut intelligamus similem nobis successum fore, si modo laboremus cum Jesu et in verbo ejus
Joan. 15. dicentis : *Qui manet in me et ego in eo, hic fert fructum multum*...

Jam vero sic cum Christo unitus laborat, qui agit in spiritu obedientiæ quæcumque sibi a Superiore, Dei locum tenente, injuncta sunt... Qui enim operatur in verbo obedientiæ, *in verbo Ejus* retia laxat ; et qui movetur obedientia, Christi manu movetur, sicut instrumentum manu artificis...

Sic laborat, qui operatur cum fiducia in Christo, innitendo ejus gratia, quam per orationem continuam im-
Act. 6. plorat... *Nos orationi et ministerio verbi instantes erimus*...

Sic laborat, qui pure propter Christum agit, cum abnegatione, imo cum detrimento proprio... exemplo Petri, cui post fatigationem nocturnam injungitur novus et gravis labor, quo et rumpuntur retia ejus... nihilominus in verbo Domini ad omnia se paratum exhibet...

An istas ego conditiones boni successus affero ?...

III P. PETRI HUMILITAS. — Petrus nequaquam sibimet successum arrogat, sed intelligit beneficium esse divinum quo se indignum fatetur, cum nihil in se videat nisi peccata... *Exi a me, quia homo peccator sum, Domine*...

Et nos, in quovis fausto sacri ministerii successu, caveamus a superbia et vana gloria... *Quid habes quod non*
I Cor. 4. Luc. 10. *accepisti?*... — *Videbam Satana sicut fulgur de cœlo cadentem*...

Psalm. 113. Gloriam omnem semper Deo soli tribuamus : *Non nobis, Domine, non nobis ; sed nomini tuo da gloriam*...

Nobis vero nihil adscribamus, nisi quod nostrum est,

nempe peccata... *Quum feceritis*, inquit Dominus, *omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite : servi inutiles sumus : quod debuimus facere fecimus...* — Notandum istud : *quum feceritis omnia :* quid, si multa neglexerim, si multa peccaverim ?... Luc. 17

Propter humilitatem Petrus novis gratiis cumulatur....

Concludatur meditatio precatione congrua ad S. Petrum et ad Jesum.

De magisterio Christi.

Pr. 1. Spectare Dominum Jesum Christum, et audire dicentem Apostolis : *Euntes docete omnes gentes... Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.* Matth. XXVIII, 19.

Pr. 2. Ut intelligam excellentiam institutionis christianæ, et ministerio huic me addicam ex animo, secundum exemplum Domini.

I. Qualis sit magister Christus ? II. Quæ disciplina ejus. III ? Qui docendi modus ?

I P. QUALIS MAGISTER ? Christus magister est verus et magnus, exercens docendi munus per se et per Ecclesiam suam in omnes gentes, usque ad consummationem sæculi.

Nonne Magister verus est, quem dedit æternus Pater *testem populis, ducem ac præceptorem gentibus ?...* Isaï. 55. Quique non modo nomen magistri habet, sed munus... et peritiem ?... *Vos vocatis me Magister et Domine : et bene dicitis : sum etenim...* — *Magister vester unus est Christus...* Joan. 13. Matth. 23.

Nonne Magister magnus, quippe qui divinus et universalis ?... Verbum divinum... increata Sapientia, humana carne induta, ipsa in propria persona facta est humani generis institutrix... *Ego sum via et veritas et vita...* — *Hic est Filius meus dilectus... ipsum audite...* Adeo ut omnes homines Dei ipsius esse possint discipuli : *Erunt omnes docibiles Dei...* Joan. 14. Matth. 17. Joan. 6.

Matth. 5. Nonne exercuit hoc munus per se?... *Aperiens os suum docebat eos...*

Nonne magisterium exercet per Ecclesiam... adeoque per nos sacerdotes, qui sumus pars Ecclesiæ docentis?... In persona scilicet Apostolorum intuebatur Dominus sacer-
Matth. 28. dotium universum, cum diceret : *Docete omnes gentes... servare omnia quæcumque mandavi vobis...*

Nonne igitur nos, sacerdotes Ecclesiæ, constituti sumus a Christo, ut ejus loco doceamus, tanquam alteri Christi, loquentes similiter exemplo et verbo?... Da mihi, Domine Jesu, ita magisterium meum exercere...

II P. EJUS DISCIPLINA. — Quid docet homines?... Nonne scientiam vitæ?... recte scilicet et beate vivendi?...

Joan. 10. Qui enim venit ad homines *ut vitam habeant et abundantius habeant...* non aliam docuit artem, nec aliam scientiam, quam vitæ beatæ in cœlis promerendæ... et vitæ sanctæ ac christianæ degendæ in terris... Hanc solam ille qui omnem scientiam possidebat docuit...

Hanc quoque docere pergit per nos, vi mandati quo
Matth. 28. dixit : *Docete...eos servare quæcumque mandavi vobis...*

Sciant igitur ii qui ad ministeria scholaria fuerint deputati, se non minus quam Evangelii præcones *sacro* munere perfungi... objectumque præcipuum laboris sui adolescentibus impendendi, in bonis moribus atque educatione christiana consistere... scientiam vero et instructionem profanam, rem esse secundariam, et dumtaxat medium perveniendi ad animam...

Illud proinde officium formandi hominis christiani per solidam doctrinam et pietatem... magna christiani insti-
I Cor. 9. tutoris obligatio est. *Væ mihi, si non evangelizavero...* si non bene inculcavero doctrinam christianam... si non præivero exemplo bono... — At væ mihi multo magis, si dedero exemplum pravum...si cui ex his pusillis, a Domino mihi concreditis, fuero scandalo...

An munus hoc docendi, quod magisterii Sapientiæ incarnatæ participatio est, magni facio?... an amo?... an
Dan. 12. omni zelo exerceo?... *Qui ad justitiam erudiunt multos, fulgebunt quasi stellæ in perpetuas æternitates...* Da mihi, o Jesu, eodem spiritu, quo tu, docendi munus implere.

III P. EJUS DOCENDI MODUS. — Dominus docendi munus exercuit cum pietate... cum charitate... et cum impenso labore... exemplum nobis præbens ut similiter magisterium exerceamus.

1° Cum pietate : accipiendo nostrum officium, quodcumque sit, de manu Dei, in spiritu fidei... orando multum pro discipulis... insinuando eis spiritum pietatis...

2° Cum charitate, qua magister filialem se exhibeat erga superiores... fraternum erga collegas... paternum et patientissimum erga inferiores...

3° Cum impenso labore. Labor sit serius et constans : qualis labor, talis fructus esse solet... Labor impendatur discipulis, officio proprio... non rebus alienis...

Has virtutes perfecti magistri quomodo acquiram ?... Eas profecto discere debeo a Magistro divino et a Corde ejus sanctissimo, quod in exemplar mihi proponit dicens : *Discite a me quia mitis sum et humilis corde...* Matth. 11.

In hunc sensum fiat oratio finalis.

De amore Jesu erga parvulos.

Pr. 1. Spectare Jesum benedicentem parvulis et audire dicentem : *Sinite parvulos venire ad me, et ne prohibueritis eos : talium est enim regnum Dei* (Marc. x, 14). *Qui susceperit unum parvulum talem in nomine meo, me suscipit... Videte ne contemnatis unum ex his pusillis.* Matth. XVIII, 5.

Pr. 2. Ut magis cognoscam et amem divinum meum Magistrum, eumque imiter, præsertim in sancta sua dilectione erga parvulos.

I. Quomodo Dominus pueros suscipiat ? II. Quomodo eos committat nobis ? III. Quomodo eorum curam nos gerere debeamus ?

I P. PUEROS DOMINUS SUSCIPIT. — Magnum sane mysterium ac grande documentum mundo proponit æterna Sapientia, cum magnitudinem suam inclinat usque ad pueros parvulos ad se admittendos et convocandos...

Nonne docet mundum quanta cura habenda sit educationis, quæ humanæ societatis basis est et fundamentum?... Quomodo ergo suscipit parvulos? Nonne cum amore ac benevolentia singulari... cum patientia et mansuetudine... cum beneficentia effusa?...

Marc. 10. Quam tenera dilectio! *Complexans eos*, ait Evangelista, *et imponens manus super illos, benedicebat eos*... Nonne jubet omnes locum cedere ut ad se proxime accedant parvuli?... — Quamvis omnes homines amet et ad se vocet, nonne sicut erga peccatores, ita erga pueros omnino videtur propensior?...

Cujus erga parvulos prædilectionis causa videtur esse triplex : eorum innocentia... eorum indigentia, cum prorsus omni auxilio juvandi sint et a periculis tuendi... eorum docilitas, qua ad virtutem sicut ad vitium facillime fingi possunt .. adeoque germen continent futuri boni vel mali familiæ ac reipublicæ...

Patientia et mansuetudo Domini intelligitur ex promptitudine Apostolorum in pueris ab eo removendis, ne scilicet sua petulantia ipsi molestiam afferrent... Dominus jubet eos accedere, interrumpens sermonem, eosque juxta se retinet aliquamdiu, donec de regno cœlorum sit locutus, eisque benedixerit...

Imponendo eis manus et benedicendo ostendit, oportere nos infantiæ ac juventuti verbis benefacere et operibus...

An ego hanc Domini prædilectionem ac beneficentiam erga parvulos studeo imitari... et populum docere?... O Jesu, da mihi hic sensu et affectibus Cordis tui repleri...

II P. PUEROS NOBIS COMMITTIT. — *Qui susceperit*, præsertim instructionis, educationis causa, *unum parvulum talem in nomine meo me suscipit*... His verbis commendat nobis pueros qualescumque, utcumque rudes, utcumque vitiosos... ut *suos*, ut filios suos sibi charissimos, adeo-

Matth. 25. que ut *alteros se*... Quare dicet aliquando : *Amen dico vobis, quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis*...

Commendat nobis pueros tanquam thesaurum, ac depositum custodiendum... a fure infernali... thesaurum pretiosum, etsi vili involucro reconditum... est enim pretium divini sanguinis...

Commendat nobis pueros tanquam teneras plantas excolendas... ut fiant cedri Libani... Cultura porro duplex requiritur : intellectus et cordis... per doctrinam christianam... et bonos mores...

III P. PUERORUM CURA HABENDA. — Curam puerorum gerere debemus utique secundum exemplum Christi Domini, quod in benedictione parvulorum nobis exhibet. Nimirum, cum amore ac benevolentia... amando parvulos prædilectione sancta, qualem Dominus eis ostendit... — cum patientia multa et mansuetudine... cum beneficentia effusa, qua libenter labores exantlemus pro eorum eruditione et christiana educatione...

Pueros tractare debemus etiam secundum exemplum angelorum custodum : nimirum in spiritu fidei et veræ charitatis : id est, 1° cum intentione pura, pueros omnes nobis commissos suscipiendo quasi de manu Christi... neque eos aspiciendo oculo humano, sed interno, tanquam animas Christo informandas...— 2° cum animo devoto, qui nulli parcat labori, nulli sacrificio... et quidem gratis, quin humanam retributionem requirat... — 3° cum prudenti circumspectione, vitando nempe duos scopulos : ut nullum pueris inferamus detrimentum... nec ullum ab ipsis scandalum patiamur...

In fine conjiciam me ad pedes Domini mei Jesu Christi, ut petam ab eo amorem illum sanctum quo juventutem dilexit, ut juxta vocationem meam, zelo laborioso ac mansueto me operi eruditionis puerorum devoveam.

De vita Christi publica.

Pr. 1. Intueri mentis oculo Dominum Jesum in medio turbarum, omnes ad se vocantem et dicentem : *Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos.* Matth. XI, 28.

Pr. 2. Petere gratiam bene intelligendi vitam publicam Christi Domini, eamque perfectius in dies imitandi.

I. Quomodo Dominus homines alliciat ? II. Quomodo eos doceat ? III. Quomodo eos convertat ?

I P. DOMINUS HOMINES ALLICIT. — Suaviter scilicet at efficaciter attrahit indiscriminatim omnes illecebra virtutis... Erat enim Domini virtus ac sanctitas non horrida aut austera... sed attractiva... Non solitarius manet... aut hominum incurius... nec miseros aspere repellit... sed
Matth. 11. vocat ad se, dicens : *Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos...* Ideo turbæ se-
Matth. 13. quuntur eum... *Congregatæ sunt ad eum turbæ multæ, ita ut in naviculam ascendens, sederet : et omnis turba stabat in littore...*

Allicit omnes, non tantum justos, sed et peccatores...
Luc. 15. *Erant appropinquantes ei publicani et peccatores, ut*
Matth. 9. *audirent eum. . — Quare cum publicanis et peccatoribus manducat magister vester ?...*

Matth. 19. Allicit parvulos... pauperes... *Sinite parvulos ad me*
Matth. 11. *venire... — Pauperes evangelizantur...*

Allicit ita homines illecebra virtutis ac sanctitatis suæ, suaviter manifestatæ... 1° modestia quadam cœlesti. Contemplare, anima mea, Domini externum habitum, incessum, sermonem, aspectum... quomodo reverentiam, fiduciam et amorem omnium conciliet... Nonne sic modestia clericali debeo ædificare homines eorumque fiduciam lucrari ?

Marc. 8. 2° Mansuetudine, benevolentia et amore... *Cum turba multa esset, nec haberent quod manducarent, convocatis discipulis, ait illis : Misereor super turbam ; quia ecce jam triduo sustinent me, nec habent quod manducent : et si dimisero eos jejunos in domum suam, deficient in via : quidam enim ex eis de longe venerunt...*

Luc. 6. 3° Beneficentia... *Omnis turba quærebat eum tangere ;*
Act. 10. *quia virtus de illo exibat, et sanabat omnes... — Pertransiit benefaciendo...*

An ego in me, sicut divinus Magister, virtutem amabilem exhibeo ?... Rogetur hæc gratia...

II P. EOS DOCET. — Quomodo docet incarnata Sapientia ? Nonne verbis et exemplis ?... Non loquitur, nisi ut
Act. 1. doceat : *Loquens de regno Dei*, non de rebus vanis...
Joan. 6. Quare dicebat ei Petrus : *Domine, verba vitæ æternæ habes...* — Loquitur autem efficaciter : *Omnis populus*

suspensus erat audiens illum... Hinc tanta efficacia, quia loquitur cum zelo et unctione... cum simplicitate et claritate... cum patientia charitatis... Luc. 19.

Loquitur simul operibus : *Cœpit facere et docere*... exempla præbens virtutum omnium ; præsertim tamen pietatis, patientiæ, humilitatis, charitatis erga miseros... Scilicet quod discipulis commendat, id ipsemet imprimis implet perfectissime : *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona*... Act. 1. Matth. 5.

Quomodo Magistrum meum in docendo imitari studeo ?

III P. EOS CONVERTIT. — Non tantum docet homines, sed convertit, sed sanctificat animas... nempe orando, laborando, patiendo...

Nonne tempore prædicationis suæ *erat pernoctans in oratione Dei* ?... Si peccatores convertere et animas sanctificare cupio, necesse est ut sim vir orationis. An talis existo ?... Luc. 6.

Nec orando dumtaxat terram cordium gratiis irrigat, sed eamdem excolit laborando... Laborat autem indefessim, docendo, sanando, iter faciendo, nullam temporis particulam perdendo... Cogitur secedere in desertum ut aliquid necessariæ quietis concedat, non sibi, sed discipulis : *Venite*, inquit, *seorsum in desertum locum, et requiescite pusillum. Erant enim qui veniebant et redibant multi ; et nec spatium manducandi habebant*... Marc. 6.

Convertit animas patiendo. Patitur enim non tantum laboris gravamina, sed famem et sitim... sed hominum molestias, ingratitudinem, injurias, persecutiones... *Multa bona opera ostendi vobis ex Patre meo : propter quod eorum opus me lapidatis* ?... Sic paulatim informat discipulos, sic speciatim informat Apostolos suos, donec tandem per Spiritus sancti effusionem eos perficiat, ut non aliter ac ipse ministerium sacrum exerceant... Joan. 10.

Concludatur meditatio oratione, qua petatur a Christo Domino gratia sanctificandi, juxta exemplum ejus, vitam publicam et exercitium sacri ministerii.

De missione apostolorum.

Pr. 1. Spectare Dominum Jesum in sua humanitate, et circa ipsum duodecim apostolos, horumque successores omnes usque ad nos ; quos universos ac singulos alloquitur Filius Dei, dicens : *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos* (Joan. xx, 21); — *Ite, ecce ego mitto vos, sicut agnos inter lupos* (Luc. x, 3); — *sicut oves in medio luporum* (Matth. x, 16). — *Illi autem profecti prædicaverunt ubique, Domino cooperante, et sermonem confirmante, sequentibus signis.* Marc. xvi, 20.

Pr. 2. Ut intelligam qualis sit missio Apostolorum et mea, meamque sicut ipsi implere discam.

I. Missio Apostolorum. II. Missio mea.

I P. MISSIO APOSTOLORUM. — Considerandum qualis missio duodecim apostolorum fuerit et quomodo impleta.

Fuit autem imprimis divina, et quidem sub omni respectu, nullatenus humana... sive spectetur in suo principio, in suo objecto, aut in mediis adhibendis... — Non ab homine quamvis potente mittuntur, sed a Deo omnipo-
Galat. 1. tenti... *Ego mitto vos.* — Propterea scribunt : *Paulus apostolus*, missus, *non ab hominibus, neque per hominem : sed per Jesum Christum et Deum Patrem, qui*
Psalm. 116. *suscitavit eum a mortuis...* — Hinc eorum vigor : *Sicut sagittæ in manu potentis...*

Divina in objecto seu fine... qui alius non est quam salus æterna animarum... *Sicut misit me Pater et ego mitto vos.*

Divina in mediis. Non armis ac divitiis... sed *virtute ex*
II Cor. 10. *alto :* fide, fiducia, charitate... *Arma militiæ nostræ non carnalia sunt, sed potentia Deo ad destructionem munitionum, consilia destruentes...* Humana sane media non excluduntur ; sed secundaria sunt...

Missio apostolorum fuit deinde ardua ac laboriosa... ratione corruptionis humanæ, qua pervasum humanum ge-

nus erat instar ægroti phrenetici, nolentis curari... instar gregis luporum,ad mansuetudinem traducendorum ab agnis et ovibus... — Ardua quoque missio ratione inferni, suscitantis persecutiones, scandala, tentationes viris apostolicis... *Non est nobis colluctatio* solummodo *adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus* .. — At si formidolosa inferni potestas, major est virtus Dei : *Ecce dedi vobis potestatem calcandi super omnem virtutem inimici, et nihil vobis nocebit*... Ephes. 6. Luc. 10.

Missio apostolorum fuit nihilominus felicissima : ratione divini comitis, cum ipsis manentis usque ad consummationem sæculi... ratione successus, qui immensus semper est oculis Dei, etiamsi una dumtaxat anima salvaretur... ratione præmii, quod certum erit et ineffabile... *Unusquisque propriam mercedem accipiet, secundum suum laborem*... non secundum fructum externum qui apparet oculis hominum...

Hanc missionem suam quomodo apostoli impleverint, novimus : nempe plenissime ac sanctissime... et quidem duo adhibendo constanter instrumenta practica : orationem et operationem indefessam : *Nos orationi et ministerio verbi instantes erimus*... Et morientes dicunt : *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi. In reliquo reposita est mihi corona justitiæ*... Act. 6. II Tim. 4.

Quantas debeo Deo gratias pro tam sublimi missione hominibus demandata !... O Jesu misericordissime, laudo te et benedico pro hac ineffabili dispensatione...

II P. MISSIO MEA. — Non alia est missio mea sacerdotis Domini atque missio primorum Apostolorum, et quidem similiter adimplenda... Unicuique enim nostrum, in persona Apostolorum tunc adstantium, dixit Filius Dei : *Sicut misit me Pater, et ego mitto te*...

Apostoli duodecim et nos successores eorum, ejusdem divinæ vitis sumus palmites... ejusdem solis, semper manentis, radii... ejusdem stirpis divini Aaronis progenies... Nec inter Apostolos et apostolicos presbyteros, ulla differentia datur, nisi temporis et quarumdam circumstantiarum,quæ mere accidentalia sunt...Sic radii solares hodierni

non differunt a radiis qui primi a sole manarunt... Quanta gratia, quanta dignitas nobis, humanoque generi concessa! Hic laudes Deo et gratiarum actiones tribuendæ...

Eadem itaque missio nostra est quoad divinitatem, et, in aliqua mensura, etiam quoad arduitatem et felicitatem...

Hanc ergo implere quoque debemus sanctissime sicut Apostoli, patres nostri, per orationem assiduam... et laborem constantem... ut idem consequamur præmium...

Quapropter hoc sit mihi firmum propositum, præ oculis semper habendum : sanctificatio meæ parochiæ efficienda, una cum Jesu laborando usque ad mortem. — Addatur oratio idonea.

De conversione Magdalenæ.

Pr. 1. Spectare Jesum in domo Pharisæi, et Magdalenam lacrymis rigantem atque unguento ungentem pedes ejus, Pharisæo eam condemnante, Domino autem defendente his verbis : *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum ;* et consolante istis : *Remittuntur tibi peccata... Fides tua te salvam fecit : vade in pace.* Luc. VII, 49.

Pr. 2. Ut magis cognoscam Christum Dominum, præsertim amantissimum Cor ejus, utque ardentius eum diligam et ferventius sequar.

I. Magdalena ad Dominum accedit ; II. ejus pedes veneratur ; III. verbis ejus recreatur.

I P. ACCESSUS. — Magdalena peccatrix, ubi Jesum cognovit luce sanctitatis fulgentem, amore justitiæ capta simulque peccata sua detestans, ad eum tanquam ad medicum animæ et unicum suum bonum trahitur... Utinam te, Jesu, similiter cognoscam, ut amabilitate sanctitatis tuæ rapiar in amorem...

Amore sancto tracta ad Jesum suum venit, ubicumque accessus datur... Nec obstat locus privatus, tempus inop-

portunum, respectus humanus... Amor omnia spernit obstacula...

Portat alabastrum unguenti, symbolum cordis contriti et amantis, quod, excluso peccato, nihil jam continet præter amorem Jesu... et sese in balsamum et suavem odorem effundit...

A Domino non prohibetur accessu, licet importune, tempore prandii veniat; non magis quam antea Nicodemus, cum accederet tempore noctis... Tanta est Domini bonitas, præsertim erga peccatores... Nonne et ego maxima bonitate et affabilitate omnes excipiam?... De S. Ignatio legitur, si quis intempestiva hora confiteri vellet, eum jussisse ut sine mora excitaretur sacerdos quem pœnitens petiisset. Item, de S. Philippo Nerio, eum nullo negotio impeditum unquam fuisse, quominus in sacro tribunali paratus esset; imo ad fores ecclesiæ quibusvis transeuntibus se offerebat... De Suaresio, cum mandasse ædituo ut, nulla habita ratione studiorum ejus, aut laborum in libris conscribendis, si quis ei confiteri vellet, quantocius vocaret...

Quomodo ego talia exempla imitor?... Propositum formetur et petatur gratia Dei.

II P. VENERATIO PEDUM. — *Stans retro secus pedes ejus*... Ad Jesum tanquam ad magnetem divinum tracta, ubi pervenit, consistit, velut in termino omnis desiderii sui... Utinam intelligam et ego, in amando Jesu omne meum bonum contineri, omne desiderabile!.. Luc. 7.

Adhæret pedibus Domini, eos lacrymis, capillis, osculis, unguento venerabunda afficiens... En amor, præsentia Jesu vehementius excitatus, effundens se in opera humilitatis, compunctionis et omnis pietatis... En amor, convertens in honorem Dei ea quæ fuerunt prius instrumenta peccati... En amor, effundens se in pedes Domini, id est, in humillima Christi membra, qui sunt pauperes, pueri, omnesque miserabiles personæ... An hujusmodi effectus in me producit amor Jesu?...

Dominus non repellit nec increpat peccatricem... nec ullum quamvis miserrimum peccatorem, dummodo velit, peccatis relictis, ad ipsum venire... Utinam misericordissimum Cor ejus intus intueri possim! Tunc utique *adhærescam illi tanto propensius, quanto incredibiliorem erga me bonitatem ejus perspexero*... S. Ignat. hebd. 2.

I Cor. 13. Pharisæus prave judicat... En cor non amans: *Charitas* enim *non cogitat malum*... Quæ videt, ex specie apparente, perperam, non in bonum interpretatur... non intelligens bonitatem ineffabilem amantis Dei...

Quem fructum hinc percipere me oportet? ..

III P. CONSOLATIO.—Pœnitentis et humiliatæ peccatricis causam defendit Dominus... *Lacrymis rigavit... non cessavit osculari pedes meos.*

Remissa declarat peccata ejus, tam fœda, tam multa... *Quoniam dilexit multum...*

Fides tua te salvam fecit : en ex parte nostra principium amoris : fides vivida... spiritus fidei... Si fide vivida Jesum aspexero, tantam amabilitatem quomodo non amabo?...

Vade in pace. Amanti datur pax ore divino... non obstantibus præteritis delictis... — Vade, inquit, per viam pacis, de virtute in virtutem, donec pervenias ad amplexum Dilecti tui in Sion...

Quam dulcia verba! Quid mihi faciendum ut eadem merear audire?...

Concludatur oratione congrua. Imploretur intercessio Beatæ Mariæ Magdalenæ...

De multiplicatione panum.

Pr. 1. Cum multitudo magna secuta esset Dominum in desertum, nec cibaria attulissent, volentibus apostolis eos dimittere ut sibi panem compararent, negavit Dominus jejunos dimitti posse. *Misereor*, inquit, *super turbam : quia ecce jam triduo sustinent me, nec habent quod manducent. Et si dimisero eos jejunos in domum suam, deficient in via : quidam enim ex eis de longe venerunt* (Marc. VIII, 2)... *Date illis vos manducare* (Matth. XIV, 16). Dein cum afferri sibi mandasset discipulorum panes quotquot haberent, benedixit, fregit, deditque discipulis multitudini dis-

tribuendos. Et ecce manducaverunt omnes et saturati sunt, remanentibus duodecim cophinis fragmentorum.

Pr. 2. Ut, præter alia documenta, discam habere magnam in Domino fiduciam circa res temporales.

I. Quomodo turbæ Christum sequantur. II. Quomodo velint apostoli eas dimittere. III. Quomodo Jesus eas enutriat.

I P. SEQUENTES TURBÆ. — Considerandæ circumstantiæ singulæ : turbæ sequuntur Jesum... sine cibariis... in desertum... triduano spatio... Nonne imprudenter?... Imprudentia hæc utique oculis carnis ; at in spiritu fidei agentibus prudentia est, de rebus spiritualibus primariam habere curam, de temporalibus vero, etsi seriam, tamen secundariam, cum maxima interim in Deo fiducia... *Jacta super Dominum curam tuam, et ipse te enutriet...* Psalm. 54.

Oculis fidei an imprudens esse potest qui sequitur Christum?... Nequaquam sane, etiamsi ab eo, et propter causam ejus, ducatur in desertum, in penuriam rerum... dummodo sequatur ductum Ejus qui dixit : *Quærite primum regnum Dei et justitiam ejus, et hæc omnia adjicientur vobis...* Matth. 6.

An fiduciam piæ turbæ ego imitor?... O Domine, adauge mihi fidem, adauge fiduciam...

II P. APOSTOLORUM CONSILIUM. — *Desertus*, inquiunt, *est locus et hora jam præteriit : dimitte turbas, ut euntes in castella, emant sibi escas...* Apostoli, humana prudentia moti et rationibus specie gravissimis, volunt populum a Domino removere propter res temporales... Ubi est fiducia eorum in Jesu? Ignorant ergo quantam potentiam quantamque bonitatem in eo possideant?... — Quam misere dissolvunt sæpe optima zeli opera qui fiducia carent, et humana prudentia restringuntur !... An non eodem ego defectu laboro?... Matth. 14.

Dominus renuit : *Date*, inquit, *illis vos manducare...* Non tantum animas, sed corpora etiam, quantum potestis curate... Quidquid habetis, nempe quinque panes, omnes prorsus, mihi date distribuendos... *Date et dabitur vobis...* Matth. 14. Luc. 6.

Simul Dominus manifestat Cor suum, ut videamus quam gerit de nobis sollicitudinem : *Misereor super turbam :*

jam triduo... Si non antea eorum necessitatibus providit, an defectu cognitionis, aut amoris ?...

Sustinendum igitur triduo... id est donec subveniendi hora, quam Dominus novit, advenerit...

III P. MIRACULUM. — Accepit Dominus apostolorum cibaria cuncta... humanis subsidiis utens quæ præsto sunt...

Benedixit... ostendens divinam virtutem humanis mediis accedere debere... et quantæ sit efficaciæ benedictio Omnipotentis...

Fregit, deditque discipulis, et hi multitudini... En quomodo piissimus Jesus præparet ipsemet sequentibus se cibum, tanquam mater filiis !... — Per discipulos tamen distribuit, ut ordo obedientiæ servetur... ut discant discipuli, futuri sacerdotes, populis ministrare... utque videamus quomodo per manus hominum dona Dei ad nos descendant...

Omnes manducaverunt et saturati sunt ..nempe milleni et milleni homines saturantur de quinque panibus... En quomodo sine apparatu vel strepitu, et insensibili actione multiplicet Dominus temporalia servis suis, qui toto corde ipsi adhærent, ipsum sequuntur... *Edent pauperes et saturabuntur... Junior fui, etenim senui, et non vidi justum derelictum, nec semen ejus quærens panem*... — Animadvertere juvat quomodo Jesus det copiose, non parca manu... Non tamen aliud præstat quam panem communem, hordeaceum... qualem discipuli et ipse Dominus manducabat... Necessaria scilicet vult nos habere, non superflua ; et ideo petere docuit, *panem nostrum quotidianum*...

Psalm. 21.

Psalm. 36.

Reliquiæ demum colliguntur... non tantum ut ita magnitudo miraculi pateat... sed etiam, ut res temporales diligentia vera, licet secundaria, curare discamus... *Colligite*, inquit, *quæ superaverunt fragmenta, ne pereant*...

Fiat in fine, per modum colloquii, oratio ad Apostolos et ad Christum Dominum, ut petatur illa prudentia sancta, qua, nullum humanum medium negligentes, præcipue innitamur auxilio Dei per fiduciam filialem.

De transfiguratione.

Pr. 1. Cum vellet aliquid de sua gloria manifestare Filius Dei, assumptis Petro, Jacobo et Joanne, ascendit in montem excelsum seorsum, ut oraret. Dum autem oraret, ante discipulos transfiguratus est : *Resplenduit facies ejus sicut sol : vestimenta autem ejus facta sunt alba sicut nix.* Tunc nubes lucida obumbravit eum, et audita est vox de nube, dicens : *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui : ipsum audite.* Matth. XVII, 5.

Pr. 2. Ut discam in hoc mysterio cœlestem artem orandi, qua intimius Christum Dominum cognoscam, diligam et sequi valeam.

I. Ascendit Jesus in montem ; II. transfiguratur ; III. Filius Dei declaratur.

I P. ASCENSIO. — Ascendit Dominus oraturus in montem... En præparatio ad orandum. . solitudo... cordis elevatio supra terrena... Porro, nonne cor sursum elevatur, cum per mortificationem omnimodamque abnegationem a terrenis affectibus expeditur ?.. An non forte cor meum quopiam affectu ad creaturas est alligatus, ita ut sursum elevari non possit ?..

Dominus secum adducit in orationis montem tres selectos discipulos, non sine mysterio... Hi enim merito considerantur ut symbolice repræsentantes tres virtutes theologicas : fidem vividam... spem ac fiduciam firmam... charitatem ardentem... quæ, tanquam tres præcipuæ radices vitæ, orationis spiritum nutriunt, et eo vicissim nutriuntur... An sæpe a Deo flagito fidei, spei et charitatis augmentum ?.. Nunc illud suppliciter petatur...

II P. TRANSFIGURATIO. — Dum oraret transfiguratus est: ut intelligamus, per orationis spiritum hominem mutari in virum alium...

Transfiguratus est ante eos... Qui scilicet eum in montem orationis secuti sunt, ipsi viderunt in Christo mira-

bilia, quæ alii non viderunt ; ac proin longe excellentius cognoverunt thesauros in ipso absconditos...

Resplenduit facies ejus ut sol, vestimenta vero facta sunt nivea. En effectus ac fructus orationis... qua facies animæ deiformis efficitur, opera vero purissima... Faciem animæ intelligimus intellectum, qui lumine fidei illustratur ; et
Psalm. 38. voluntatem, quæ incenditur igne charitatis... *In meditatione mea exardescet ignis...* — Externa opera, quæ figurantur vestimentis, candida sunt ac pura, innoxia et sancta, ubi charitas regnat in corde...

Resplenduit facies sicut sol, et vestimenta facta sunt alba
Marc. 9. sicut nix, *candida nimis*, inquit Marcus, *qualia fullo non potest super terram candida facere*... En pulchritudo animæ sanctæ : sanctissima enim Christi anima paulisper fulgorem suum in corpus diffundere permissa est... Christus transfiguratus specimen quodpiam exhibet corporis glorificati, quale in die resurrectionis, perfusum ani-
Matth. 13. mæ gloriosæ splendoribus apparebit... *Tunc justi fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum*... quando scilicet
Philipp. 3. Dominus *reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ.*

Quanta, quamque ineffabilis gloria manet nos, si con-
Rom. 8. formes fuerimus imaginis Filii Dei !.. *Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis*...Hæc verba, Domine, imprime practice in corde meo...

II P. VOX PATRIS. — Obumbravit eum nubes lucida, repræsentans Spiritum sanctum...qui fecundissimos imbres luminis ac charitatis in virum orationis effundit...

Hic est Filius meus... scilicet Dominus ac Magister meus Jesus est Unigenitus æterni Patris, adeoque *Sapientia incarnata*... Utinam, o Jesu, te perfecte cognoscam ! te totis viribus amem !..

Hic... quantumvis extrinsecus humilis homo iste, in-
Psalm. 44. trinsecus est Rex gloriæ, et oculis Patris *speciosus forma præ filiis hominum*...

Ipsum audite : loquitur enim verba mea, verba æternæ sapientiæ, quibus docebit vos etiam fieri filios Dei, secundum imaginem ac similitudinem ejus...

Nonne hoc Patris eloquium etiam ad virum orationis

aliquomodo pertinet? Est enim, vel saltem per orationis exercitium efficictur filius Dei dilectus ac beneplacens, cujus sermonem Dominus peculiari gratia confirmabit...

Quam desiderabile orationis donum!... An illud possideo? Quæ obstacula cur eodem non plenius potiar?...

Concludatur ferventi prece, qua petatur orationis spiritus.

De transfiguratione. Colloquium, descensus.

Pr. 1. Cum Christus Dominus ante discipulos suos esset transfiguratus, apparuerunt Moyses et Elias cum eo loquentes, *et dicebant excessum ejus, quem completurus erat in Jerusalem* (Luc. IX, 31). Tunc dixit Petrus ad Jesum: *Domine, bonum est nos hic esse: si vis, faciamus hic tria tabernacula, tibi unum, Moysi unum et Eliæ unum... nesciens quid diceret* (Matth. XVII, 4; Luc. IX, 33). Mox autem sonante voce Patris, territi discipuli ceciderunt in faciem suam; et postquam a Domino confirmati levaverunt oculos, *neminem viderunt nisi solum Jesum* (Matth. XVII, 8). Demum cum de monte descenderent, dixit eis Jesus: *Nemini dixeritis visionem, donec Filius hominis a mortuis resurgat.* Matth. XVII, 9.

Pr. 2. Ut magis magisque spiritum orationis desiderem et acquiram.

I. Colloquium cum Moyse et Elia. II. Verba Petri. III. Descensus e monte.

I P. COLLOQUIUM. — In transfiguratione sua Dominus loquebatur cum Moyse et Elia... En scena atque conversatio cœlestis, qualis homini apostolico conversatio esse debet, et erit reipsa, si vir orationis fuerit... *Nostra conversatio in cœlis est...* [1] Philipp. 3.

Moyses repræsentat legem, Elias propheticam visio-

nem... In oratione scilicet communicatur animæ perfecta legis cognitio, perfectus amor... insuper illuminatio interna, qua divinæ Providentiæ arcana in mundi eventibus perspiciat... et, quasi velo sublato, videat rerum veritatem, quæ sub figura prætereunte hujus mundi latescit...

Loquebantur *de excessu Domini in Jerusalem*, id est de cruce et passione ejus... Passio scilicet Christi magnum mysterium est, ad quod illuminandum atque complendum omnes divinæ illustrationes referuntur. Nonne eo quoque tendere debet omnis oratio nostra, ut intime ac practice
Cor. 2. Christum crucifixum intelligamus ?... *Non judicavi me scire aliquid inter vos, nisi Jesum Christum, et hunc*
Coloss. 1. *crucifixum... — Adimpleo ea quæ desunt passionum Christi, in carne mea...* — Nonne verbum istud, quod est omnis sapientiæ compendium, in oratione docetur, *verbum crucis ?...*

An hujusmodi fructum ex oratione percipere studeo ?... Domine Jesu, doce me scientiam crucis tuæ...

II P. VERBA PETRI. — Videntes gloriam Domini, supernis deliciis inundantur discipuli, et dicit Petrus : *Bonum est nos hic esse... faciamus hic tria tabernacula...* Quasi guttulam cœlestis beatitudinis gustantes, ita inebriantur, ut jam ad terrena revertere nolint... Si tam jucunda est guttula, quid erit oceanus ?... Suavis est enim Dominus...

Nesciens quid diceret... Extra se scilicet raptus est Petrus hoc modico gloriæ radio... quanta erit plenitudo gloriæ Christi !... — *Nesciens* quid dicat, insipienter loquens : quia fruitio beatitudinis non est præsentis temporis sed futuri... Si qua nunc consolatio datur, ideo conceditur, ut eo facilius *passio* compleatur in Jerusalem... — *Nesciens...* scilicet oportere nos per tribulationes multas introire in regnum Dei... neque transfigurationem gloriosam Domini fore permanentem, nisi post transfigurationem ignominiosam in cruce...

An ego non, sicut Petrus, præpostere consolationes et gaudia quæro ?... Da mihi, Domine, gratiam potius cogitandi de laboribus, quibus gaudia sunt promerenda...

III P. DESCENSUS E MONTE. — Territi voce cœlesti, et in faciem prostrati, discipuli confirmantur a Jesu, dicente : *Surgite, et nolite timere...* Ex oratione Dominus redit ad

discipulos erigendos... confirmandos... consolandos... Quodnam hic mihi exemplum præbet ?...

Nemini dixeritis visionem... En spiritus humilitatis cum vero spiritu orationis semper conjunctus... eo tendens, ut quidquid externam laudem afferre possit, abscondatur ; nisi aliquo modo Dei gloria manifestationem requirat...

Finis imponatur meditationi petendo ferventer a Domino spiritus orationis incrementum...

De Lazari suscitatione.

Pr. 1. Cum ægrotaret Lazarus in Bethania, miserunt Maria et Martha, sorores ejus, nuntium ad Jesum, qui diceret : *Domine, ecce quem amas infirmatur*. Respondit Dominus : *Infirmitas hæc non est ad mortem, sed pro gloria Dei*. Substitit autem biduum in eodem loco, et Lazarus mortuus est. Tunc venit in Bethaniam; et cum occurrens ei Martha, soror defuncti, diceret : *Domine, si fuisses hic, non esset mortuus frater meus ;* respondit Jesus : *Resurget frater tuus... Ego sum resurrectio et vita : qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet... Si credideris, videbis gloriam Dei*... — Ut autem vidit Jesus luctum et lacrymas, lacrymatus est ipse. Cumque accessisset ad sepulchrum, sublatis sursum oculis oravit, dicens : *Pater, gratias ago quoniam audisti me*... Deinde voce magna clamavit : *Lazare, veni foras*. Et statim prodiit qui fuerat mortuus. Joan. xi, 1-44.

Pr. 2. Ut magis magisque cognoscam, amem et sequar divinum meum Magistrum, et ab ipso discam præsertim fiduciam circa res spirituales.

1. Dominus permittit Lazarum ægrotare et mori. II. Venit ad ejus sepulchrum. III. Eum revocat ad vitam.

I P. ÆGROTATIO LAZARI. — Permittit Jesus Lazarum, amicum suum, ægrotari et mori, cum posset tam facile

mala ista prævenire... ut intelligamus, in eo non consistere dilectionem Domini ut amicos suos a temporalibus tribulationibus reddat immunes... *Ego*, inquit, *quos amo,*
Apoc. 3. *arguo et castigo.*

Domine, ecce quem amas infirmatur... Ad Jesum, medicum animarum recurrendum in quavis spirituali infirmitate... et quidem iisdem verbis : *Ecce quem amas...* amat enim omnes quamvis peccatores... omnesque sanare potest... *Venite ad me omnes...* — Non ergo, tali medico adstante, ullus manet infirmus nisi voluntarius...

Infirmitas hæc non est ad mortem... spes datur quæ mox videbitur fallax... ut probetur fiducia. — Nunquam ab optimo Patre permissa tribulatio, *ad mortem* est... *sed pro gloria Dei* et bono animæ...

Subsistit Dominus, quamvis urgens videatur necessitas... novit enim tempus et modum quo petita nostra concede-
Habacuc. 2. denda sint... Interim, *si moram fecerit exspecta illum, quia veniens veniet...*

Lazarus moritur, nec ignorat Jesus quam amare lugeant sorores ejus... Res desperatæ videntur : sed ideo magis sperandum, quia illud solet esse momentum Domini... Permittitur mors, scilicet peccatum et lapsus... mirabili sed tremenda Providentia, quæ novit ex malis educere bona...

An sic fidei oculis res quæ accidunt semper intueor ?... Quid hic petendum a Deo ?...

II P. ACCESSUS AD SEPULCHRUM. — Occurrens Domino utraque soror dicit : *Domine si fuisses hic, non esset mortuus frater meus...* Verissimum : præsens non potuisset amantissimus Jesus amicum Lazarum non sanare... — Sic, non labetur justus præsente Jesu... id est, nisi ipse prius a Jesu discedat, relicta obedientia, meditatione, aliisque unionis cum Domino modis...

Resurget frater tuus... Hanc responsionem consequitur vir, animarum zelo flagrans, et fiducialiter orans pro peccatore... *Resurget,* id est, dabo ipsi gratiam resurgendi, etsi quatriduanus... et juvabo ut exeat e sepulchro vitiorum, si voluerit...

Ego sum resurrectio et vita... Quam magna verba !... Vere, nunquam sic locutus est homo !... — Ego videlicet

sum vita substantialis in memetipso... causa autem efficiens vitæ naturalis, in creaturis... item, causa meritoria vitæ supernaturalis, imo efficiens eam in homine, non tamen sine ejus cooperatione per fidem : *Qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet*... An hoc fundamentum, fides nempe et fiducia, alte est in anima mea positum ?... Domine adauge mihi fidem et fiduciam.

Si credideris, videbis gloriam Dei... En necessitas fiduciæ : qua si S. Monica caruisset, Augustinum conversum non vidisset...

III P. SUSCITATIO LAZARI. — *Lacrymatus est Jesus*... en amicum et amantissimum Cor Jesu... quod condolere novit et flere cum flentibus... ut et nos compatiamur infirmitatibus, quoniam et ipsi *circumdati sumus infirmitate*... — Lacrymæ divinæ... cur funduntur, nisi ob miserum statum peccatoris, quem Dominus in Lazaro sepulto, tanquam in tenui imagine... intuetur ?... Hebr. 4 et 5.

Oculos sursum elevat... ut discamus conversionem animæ esse opus Dei... idque propter solum Deum suscipiendum... et soli Deo tribuendum esse...

Orat... quia non mera concione, aliove externo ministerio animæ e sepulchro suscitantur... sed oratione opus est ex parte ministri, et quidem fiducialissima : *Ego autem sciebam quia semper me audis*...

Lazare, veni foras... Jubet, imperat Dominus alta voce, ut intelligat Dei minister quomodo, spiritu Dei per orationem repletus, agere debeat in peccatores tanquam auctoritatem habens... Sciat procedendum in hoc opere, non mere humana persuasione, nec mere politica inductione... sed ut legatum Dei decet. *Pro Christo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos. Obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo*... Nec nimis differat dicere moribundo : Deus aliquid a te requirit in hoc momento : sacramenta quæ pro infirmis instituit recipienda sunt... libenter sane Dei tui voluntati obsequeris... II Cor. 5.

Oratione finali petatur illa fiducia apostolica.

De cœna Bethaniæ.

Pr. 1. Sex diebus ante passionem suam, venit Jesus Bethaniam, ibique fecerunt ei cum suis discipulis cœnam, in domo Simonis leprosi. Martha ministrabat, Lazarus vero, nuper a mortuis suscitatus, unus erat ex discumbentibus cum eo. Maria autem alabastrum unguenti effudit super caput ejus.

Pr. 2. Ut crescam cognitione et amore Jesu mei, crescam et spiritu ejus, præsertim spiritu beneficentiæ in pauperes et infirmos.

I. Excipitur Jesus in domo Simonis. II. Ibidem dignatur cœnare.

I P. DOMUS CHRISTUM EXCIPIENS. — Beati sane homines qui Christum Dominum cum discipulis suis in domum suam recipere merentur... et reficere ad mensam !

At vero hæc eadem beatitudo et hodiedum conceditur hominibus beneficis... Nonne quicumque christiano spiritu hospitalitatem exercent, vel quovis modo cooperantur ut pauperes et infirmi tectum habeant et victum... ipsum Christum reficiunt in persona fratrum suorum ?...

Quicumque curant et cooperantur ut pueris pateat schola ubi christiane erudiantur... nonne Christum excipiunt in persona discipulorum ?... Quantus hic zelo meo stimulus pro scholis catholicis !...

Beati qui cum Jesu Dei Filio accumbere merentur !...Hi sunt Simon qui fuerat leprosus, sed a Domino mundatus... et Lazarus, qui postquam mortuus et sepultus fuit... a Domino ad vitam est revocatus... Nonne et mihi conceditur cum Filio Dei ad mensam altaris accumbere, et quidem quotidie ?... An tantam gratiam digne æstimo ?... si fui et ego mortuus per peccatum mortale, an jam ad vitam plene revocatus ?.. Si fui inquinatus lepra peccati venialis, an jam plene mundatus ?...

Beata domus quam Dominus ingressu sanctificat ! Quænam autem hujusmodi domus spiritualiter intelligenda ? Nonne templum, ubi idem ille Jesus habitat nobiscum ?...

Apoc. 21. *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, et habitabit*

cum eis... Nonne anima christiana, in quam intrare dignatur Jesus quotiescumque Eucharistiam sumit?... Quod cum mihi contingat quotidie,quanta mea felicitas!...quanta sanctificatio mihi ex hac quotidiana Dei mei receptione provenire debet!... Si fructus tantus non est, si fortassis exiguus, quodnam impedimentum?...

Martha ministrabat... Posse ministrare Domino et discipulis ejus, quanta iterum gratia, quantum meritum, imo quanta jucunditas!... At gratia hæc nonne et hodiedum nobis conceditur?... Non solum ii omnes qui in hospitiis aut alibi infirmis ministrant, sed quicumque sive in temporalibus, sive in spiritualibus proximo serviunt, dummodo fidem habeant, obsequia præstant ipsi Christo. *Quodcumque facitis,ex animo operamini,sicut Domino,* Coloss. 3. *et non hominibus ; scientes quod a Domino accipietis retributionem hæreditatis. Domino Christo servite*...

An ita Domino servio dum ministeria mea exhibeo fidelibus?... O Domine Jesu, tibi servire volo in persona fidelium tuorum.

II P. CŒNA A CHRISTO ACCEPTATA. — Dignatur Dominus cibum et obsequia ab hominibus accipere, licet non indigeat, et ipse sit rerum temporalium omnium largitor... Tanta autem ac tam suavis est ejus bonitas, ut hæc a nobis accipiat quasi indigeret : *Esurivi et dedistis mihi man-* Matth. 25. *ducare*... Esurit Dominus in persona pauperum... in persona omnium præsertim spiritualiter egenorum... An ego cum zelo, cum amore studeo ei dare panem doctrinæ, consolationis?...

Quinam cibi Domino magis placent?...*Ego cibum habeo* Joan. 4. *manducare quem vos nescitis... Meus cibus est ut faciam voluntatem ejus qui misit me, ut perficiam opus ejus*...

Cœnat Dominus ut cæteri homines ; at quanta modestia, quanta decentia, quanta temperantia!...

Cœnat Dominus cum amicis, instante post paucos dies passione, quam annuntiavit... Nihilominus quam serena facie, quam benigno ac suavi aspectu!... Omnes eventus ipsi æquales, quia omnes æque sanctissimam Patris voluntatem continent, omnesque in bonum hominum impendere novit... — Hanc animi pacem communicat toti huic hospi-

tali domui... *Beatus qui intelligit super egenum et pauperem : in die mala liberabit eum Dominus...* Psalm. 40.

Oratione finali petam incrementum fidei et charitatis, ut ferventius exerceam opera misericordiæ erga eos præcipue qui meæ curæ sunt concrediti.

De cœna Bethaniæ. Effusio unguenti.

Pr. 1. Cum cœnaret Dominus Bethaniæ in domo Simonis leprosi, et simul accumberent discipuli ejus, attulit Maria Magdalena alabastrum unguenti pretiosi, quod effudit honoris causa super caput ejus : et domus impleta est ex odore unguenti. Quo viso Judas murmuravit, dicens : *Ut quid perditio hæc? Poterat enim unguentum istud venumdari et dari pauperibus.* Dixit autem Jesus : *Quid molesti estis huic mulieri? Opus enim bonum operata est in me.*

Pr. 2. Ut magis magisque Dominum Jesum cognoscam et amem, in se et in Ecclesia sua.

I. Magdalena ungens Dominum. II. Judas murmurans. III. Jesus Magdalenam defendens.

I P. UNCTIO. — Ut Domini personam honoret, affert Magdalena alabastrum unguenti pretiosi, plus quam trecentis denariis æstimati... En expensæ laudabiles pro decore domus Dei et splendore cultus divini...

Effudit unguentum super caput ejus... Caput Domini honoratur, quando Ecclesiæ, sponsæ Christi ornamenta... aut Romano Pontifici et clero catholico subsidia præstantur... *Domine, dilexi decorem domus tuæ, et locum habitationis gloriæ tuæ...* Psalm. 25.

Caput ungitur ab eadem Magdalena, quæ unxit Domini pedes : quia utrumque faciendum, pauperibus, qui membra sunt infima, et Ecclesiæ per eleemosynas subveniendum... Quas quidem eleemosynas, lato sensu acceptas, omnes possunt præstare : qui minus potest largiri pecu-

niam, dare potest laborem, tempus... vel saltem orationes et bonam ædificationem...

Repletur domus odore unguenti : ecce totius Ecclesiæ, totius parochiæ ædificatio, qua tanquam bono Christi odore tota fidelium communitas afflatur... Nihil magis ædificat quam eleemosynæ et beneficentia : *Eleemosynas illius enarrabit omnis Ecclesia sanctorum...* Eccli. 31.

An ita ego, per charitatem... perque pietatem in divinis rebus, Christi bonus odor sum in parochia ?... Da mihi, Domine Jesu, id efficere quod mihi in ordinatione dictum est : *Sit odor vitæ vestræ delectamentum Ecclesiæ Christi.*

II P. JUDÆ MURMURATIO. — Magdalenæ laudabili actioni obmurmuratur... ut sciamus hominum murmurationibus obnoxium fore quicumque bonum vult operari... sed illum a Christo defensum iri...

Murmurat Judas... Quicumque bonum opus Ecclesiæ vel pauperibus collato vituperat, Judas esse convincitur, avarus, hypocrita...

Ut quid perditio hæc ? Qui Judæ spiritu sunt animati perditionem reputant, non tantum pecunia rebus sacris impensa ; sed etiam tempus, fama, vires, valetudo... quæ pro Christo, pro animabus, quocumque modo sine temporali emolumento sacrificantur... — At vero, an hæc sunt perdita, quæ thesaurum faciunt in cœlo ?...

Perditio, inquit Judas... debuit potius venumdari, reservari in propria commoda, cedere in utilitatem avaritiæ, vanitatis, sensualitatis... — Quid ergo ? Tunc perditio non esset? nonne quæ impenduntur vanitati, gulæ, luxui... perditio sunt ? nonne illa cedunt in detrimentum animæ ?.. quæ vera perditio est...— Et quando, o Juda, ob avaritiam tuam, peccata non prohibentur, peccatores non reducuntur, pueri non docentur et animæ percunt... hæc perditio non est ?...

Debuit dari pauperibus... Sane pauperes corporali eleemosyna sunt juvandi ; sed quæ impenduntur splendori cultus, nonne etiam pauperibus prosunt ?... Quæcumque conferunt ad nutriendam fidem, pietatem in populo, nonne melius juvant quam frustulum panis ?... Da populo religionem et mores, et plerasque ejus ærumnas sustuleris...

Domine Jesu, miserere mei ; ne permittas ut ullo modo Judæ sensus in me reperiatur.

III. CHRISTI RESPONSIO : — *Bonum opus operata est...* En Domini judicium, beneficos homines serius ocius defendentis... *Mihi autem pro minimo est ut a vobis judicer aut ab humano die... Qui judicat me Dominus est.* I Cor. 4.

Operata est in me. Quidquid scilicet in Ecclesiam vel fideles, præsertim miserabiles, quomodocumque impenditur, illud in corpus mysticum Christi, adeoque in ipsum Dominum confertur.

Concludam petendo a Christo Domino spiritum fidei in operibus zeli et charitatis.

De triumpho Domini in die Palmarum.

Pr. 1. Cum Dominus Bethania profectus venisset Bethphage, misit duos discipulos ut sibi adducerent asinum cum pullo : *Si quis*, inquit, *vobis aliquid dixerit, dicite quia Dominus his opus habet, et confestim dimittet eos.* Cum adduxissent jumenta discipuli, iis imposuerunt vestimenta sua ; cumque ascendisset Jesus, ad Jerusalem direxit iter, secundum illud : *Dicite filiæ Sion : Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinam, et pullum, filium subjugalis* (Zachar. IX, 9). Occurrentes autem turbæ, straverunt vestimenta sua in via, nec non frondes ex arboribus resectas, et clamabant, dicentes : *Hosanna filio David ! Hosanna in altissimis !* Mox vero ut Dominus appropinquavit, *videns civitatem, flevit super illam.* Luc. XIX, 41.

Pr. 2. Ut præter alias virtutes, discam a Domino humilitatem et modestiam in ipsa prosperitate aut dignitate.

I. Dominus ingressum suum præparat. II. Ingressum perficit acclamante populo.

I P. APPARATIO. — Dominus triumphum acturus quem prædixerant prophetæ, *Bethania* proficiscitur, quæ vox *domus obedientiæ* interpretatur... quia non nisi ex obedientia et voluntate Patris honorem quemlibet vult accipere... propensus semper ad humiliora...

Triumphum acturus eligit pompam quam modestissimam... ut modestiam doceat eos, qui in potestate et dignitate sunt positi...

Eligit jumentum vile... Nonne ad Domini Jesu gloriam conferunt jumenta : id est, operarii humiles, spiritu zeli, laboris et patientiæ animati, præ aquilis in sublimitate scientiæ volantibus ?... Utinam et ego dicere possim cum propheta : *Ut jumentum factus sum apud te, et ego semper tecum...* Jumentum scilicet humiliter obedit domino suo, pro ipso se consumit labore, nec unquam conqueritur ; mercedem autem nullam requirit, vilissimo cibo contentus... Talem se gerebat S. Carolus Borromæus. Psalm. 72.

Quia Dominus his opus habet... Tam pauper est Jesus, ut quæ necessaria sibi sunt non habeat; sed quidquid ad gloriam Dei opus est, novit quomodo suo tempore et loco inveniat... Ut doceat nos anxiam deponere sollicitudinem. *Nolite solliciti esse... Scit enim Pater vester quia his omnibus indigetis...* et dummodo veri filii ejus sitis, dabit vobis... Matth. 6.

Apostoli exutis palliis suis jumenti tergum cooperiunt... Beati discipuli, quibus datum est spoliare semetipsos, non tantum vestibus, sed et omnibus quæ in mundo habebant, propter Domini glorificationem ! *Ecce nos reliquimus omnia et secuti sumus te...* Matth. 19.

Ita instratam asinam Dominus conscendit : non recusans hunc qualemcumque honorem... quia hæc Patris est voluntas per prophetas manifestata... quia ad gloriam Dei et hominum salutem proderit... quia ad majorem suam ignominiam conducet, quando post quinque dies ut impostor damnabitur...

Concede mihi, Domine, ut hanc purissinam in omnibus intentionem ego imitari studeam.

II P. INGRESSUS. — *Ecce Rex tuus venit tibi man-*

suetus... Contemplari juvat dignitatem humilitatis... majestatem paupertatis... amabilitatem charitatis in hoc Rege humani generis... In eo nulla umbra superbiæ, arrogantiæ, duritatis, timiditatis... sed omnia amorem spirant erga suos, mansuetudinem, sapientiam... Ita paterne aspicit omnes, ut sui prorsus oblitus, totus videatur amor in filios...

Occurrunt exultantes turbæ, agnoscentes Regem suum divinitus missum... En quomodo fastus despectio, modestia cultus et sancta humilitas non impediant, quominus Dei legatus agnoscatur, ametur, reverentia et honore debito afficiatur...

Hosanna filio David!... Nequaquam plausibus inebriatur Dominus... neque iis confidit... Novit enim acclamationes istas brevi mutatum iri in clamores mortis... — In Patre cœlesti ejusque beneplacito confidit et firmatur... supra omnem humanam mutabilitatem elevatus...

Videns civitatem flevit super illam... En quam parum sistat in externis demonstrationibus : oculo cordis penetrat ad interiora... ad absconditas populi miserias. Illis solis movetur, illis solis mederi sollicitus est... En cor Sapientiæ incarnatæ...

Videt similiter animas tot peccatorum et lacrymas fundit... Ubi lacrymatur Deus magna sane adest flendi materia... An, aspiciens animam meam, non aliquam quoque videt lacrymandi causam ?...

In fine petam a Domino, ut mihi quoque flere concedat tum super me ipsum, tum super tot peccatores qui pereunt.

De prædicatione in templo.

Pr. 1. Appropinquante passione sua, Dominus quotidie docebat in templo. Primo mane incipiebat, vespere autem, cum forte a nullo exciperetur Jerosolymis, exibat in montem Olivarum, ibique orando pernoctabat. *Erat diebus docens in templo : noctibus*

vero exiens, morabatur in monte qui vocatur Oliveti. Et omnis populus manicabat ad eum in templo audire eum. Luc. XXI, 33.

Pr. 2. Ut melius cognoscam, amem, imiter divinum Magistrum, præsertim in labore sacri ministerii sanctificando.

I. Interdiu docet. II. Vespere revertitur Bethaniam.

I P. INTERDIU. — *Erat*, inquit Lucas, *diebus docens in templo.* Singula hic verba perpendenda. — *Erat in templo*... Templum enim locus proprius est sacerdotis, qui vir sanctuarii est constitutus... in templo thesaurus ejus, ibidem centrum laborum, affectuum, quietis ejus...in templo, non alibi, non in loco profanæ delectationis... — At vero templum Dei sunt etiam fideles... adeo ut tota parochia quasi domus Dei sit, in qua sacerdos Domini sancte conversari debet... *Scias quomodo oporteat te in domo Dei conversari, quæ est Ecclesia Dei vivi...* I Tim. 3.

Erat docens... Docere velut compendium est ministerii apostolici : *Ite, docete*... at sicut Magister docuit, verbo et exemplo... — Docere, id est cum claritate, simplicitate et methodo præparata, salutis veritates exponere...— Docere, id est omni occasione, in cathedra, in catechesi, in confessionali, in scholis, in ægrotantium domibus, in communi colloquio Christum annuntiare... — Dominus *erat docens*, quid ? Quæcumque ad salvandas animas aptiora sunt, et ad bene moriendum pertinent... — Quas autem personas docet ? Omnes quidem, at præsertim pauperes... — Quomodo audientes allicit ? Non solum excellentia doctrinæ, sed et beneficentia temporali... — Quo successu ? Non semper conspicuo statim, sed fructibus ingentibus postea apparituro... — Quo emolumento temporali ?.. — Qua præparatione ? Præparatio remota fuit triginta annorum, ex qua Spiritu sancto, gratia et sapientia plenus prodiit... Nunc autem præparationem immediatam adhibet orationem...

Erat diebus docens... En occupatio Domini quotidiana, cujusque diei totius, et omnium dierum ejus usque ad mortem, quæ et ipsa maximum erit mundo documentum...

An ita ego dies meos impleo ?.. Nonne aliqua pars vitæ

meæ vacua manet ?.. Petam veniam... promittam Domino emendationem... auxilium flagitabo...

II P. VESPERE. — Post diurnos labores, Dominus, revertebatur Bethaniam, quod nomen *domum obedientiæ* significat... Ex obedientia, scilicet, ac voluntate Patris, suscipiebat opus, et idem ex obedientia relinquebat...

Revertebatur autem itinere sat longo, etsi defessus ac refectione egens... Quare non manebat Hierosolymis ? Quia nemo eum excipiebat hospitio !... En gratitudo hominum... quam ego sane non imitabor... sed libenter et tacite patiar, atque in sacro ministerio exspectabo .. — Cum Dominus pro labore suo tale emolumentum recipit... an ideo conqueritur ? an cadit animo, aut debiliore zelo vel invito corde deinde laborabit ?... Non ita, sed ostendet quid sit, *gratis accepistis, gratis date...*

An saltem reversus Bethaniam et sudore madens, necessaria corporis refectione utetur ?... quieti se tradet ?... Non hoc dicit Evangelista ; sed potius, cum noctes transegisse orando, et primo mane rediisse ad templum : *Noctibus exiens morabatur in monte qui vocatur Oliveti. Et omnis populus manicabat ad eum in templo audire eum...* quasi vires naturæ suppleret spiritus zeli...

En apostolicæ vitæ norma... quam imitator Christi apostolus Paulus sic describit : *In omnibus exhibeamus nos sicut Dei ministros, in multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustiis, in plagis, in carceribus, in seditionibus, in laboribus, in vigiliis, in jejuniis, in scientia, in longanimitate, in suavitate, in Spiritu sancto, in charitate non ficta, in verbo veritatis, in virtute Dei : per arma justitiæ a dextris et a sinistris, per gloriam et ignobilitatem, per infamiam et bonam famam ; ut seductores et veraces ; sicut qui ignoti et cogniti ; quasi morientes, et ecce vivimus, ut castigati et non mortificati ; quasi tristes, semper autem gaudentes ; sicut egentes, multos autem locupletantes ; tanquam nihil habentes, et omnia possidentes.*

Terminetur meditatio oratione ad S. Paulum, ut impetret nobis esse imitatores zeli ipsius, sicut et ipse Christi.

De vita Christi dolorosa.

Pr. 1. *Non habemus pontificem qui non possit compati infirmitatibus nostris : tentatum per omnia pro similitudine absque peccato.* Hebr. IV, 15.

Pr. 2. Ut intelligam mysterium vitæ Christi dolorosæ, et vitam meam huic efficiam exemplari conformem.

I. Quæ fuit vita Christi dolorosa ? II. Quare hanc ducere voluit ? III. Quomodo eam sanctificavit ?

I P. VITA DOLOROSA, QUÆ ? — Dolorosa vocatur tota vita Domini, quatenus doloribus ab initio sparsa... Nominatim vero dolorosa dicitur pars ultima vitæ, quæ desiit in tormento crucis...

Merito sane dolorosa dicitur tota Salvatoris terrestris existentia, quam sic Isaïas descripsit : *Et ascendet sicut virgultum coram eo, et sicut radix de terra sitienti... Vidimus eum, virum dolorum et scientem infirmitatem...* Isaï. 53.

« Tota vita Christi, ait Kempensis, crux fuit et martyrium... Nec enim Jesus Christus Dominus noster una « hora sine dolore passionis fuit, quamdiu vixit. Oportebat, ait, Christum pati et resurgere a mortuis, et ita « intrare in gloriam suam... Et tu tibi quæris requiem et « gaudium ?... » Kemp,II,12

Quænam autem perpessus est Dominus ? Nonne omne genus ærumnarum ?... *Tentatus per omnia.*

Imprimis autem doloribus internis non caruit. Etenim nonne a prima infantia præ oculis ejus versata est terribilis passio quæ ipsum manebat ? Nonne videns, non tantum externas hominum facies, sed animas peccatis vitiisque corruptas, amarissimo dolore afficiebatur ?...

Deinde externas omnes expertus est tribulationes : paupertatem ac privationes, non solum in nativitate et in exilio Ægypti, sed in vita sua evangelica... ita ut dicere potuerit : *Vulpes foveas habent et volucres cœli nidos : Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet...* Et ego nulla re carere vellem ?... Luc. 9.

Psalm. 37. Passus est labores et fatigationes... *Pauper sum ego et in laboribus a juventute mea...* post diurnos labores, noctes transigens in oratione Dei... Et ego me nimio labore gravatum conquerar ?...

Passus est importunitates rudium discipulorum... et
Marc. 6. turbarum... *Erant qui veniebant et redibant multi, et nec spatium manducandi habebant...*

Passus est persecutiones, contradictiones, injurias... ab Herode... a Pharisæis et principibus Judæorum, qui eum tandem morte affecerunt... Et ego an quidquam jam per-
Joan. 15. tuli pro ejus nomine ?... At *non est servus major domino suo...* Volo, Domine Jesu, sequi te in via dolorosa : sequar te quocumque ieris.

II P. QUARE ? — Dominus vitam dolorosam ducere voluit, ut satisfaceret pro peccatis nostris abundantissime... Et quidem varia genera dolorum pertulit, ut varia peccata nostra expiaret...

Ut ostenderet qualis sit via quæ ducit ad cœlum...

Ut intelligamus vitam christianam esse debere conti-
Act. 14. nuam expiationem, et *quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei...*

Ut nobis exemplum daret patientiæ in omni angustia et
I Pet. 2. acerbitate... *Christus passus est...* quomodo ego peccator conqueri audebo?...

Ut nobis bonitatem suam ostenderet... amorem demonstraret... propter nostra peccata, propter nostram salutem tot ac tanta perpessus...

Ut videntes hanc Domini bonitatem, fiducia repleamur... et videntes hunc amorem erga nos, mutuo amore inflammemur...

Ut videntes quid ipse fecerit ac pertulerit propter homines, nos eadem cogitatione armemur, et libenter aliquid pro animabus patiamur...

Ut videntes quomodo ipse pugnaverit contra peccatum, simili zelo accendamur...

Ut videntes quomodo omnia pro nobis sacrificaverit... et
Hebr. 9. *se ipsum obtulerit immaculatum Deo...* nos quoque libenter sacrificemus omnia, tempus, quietem, valetudinem...
Rom. 12. *exhibentes corpora nostra hostiam viventem, sanctam...* pro gloria ipsius et salute animarum.

Ut in omnibus nostris laboribus et ærumnis cogitantes Magistrum nostrum, eadem et acerbiora perpessum, consolationem inveniamus...

Fac, Domine Jesu, ut fructum hunc ex tuis exemplis percipiam...

III P. QUOMODO ? — Contradictiones quaslibet ac tribulationes sanctificavit Dominus, eas tolerando absque murmuratione contra Patrem... *Non mea voluntas, sed tua fiat* .. Absque iracundia aut vindicta adversus homines : *Qui cum malediceretur non maledicebat...* Luc. 22. 1 Pet. 2.

Passus est cum amore, non gravate : *Dilexit nos, et tradidit semetipsum pro nobis...* Ephes. 5.

Passus est cum silentio vere divino... Non loquitur ad conquerendum... non ut in se conjecta crimina diluat, aut in adversarios retorqueat, quod ipsi tam facile erat... nec ut bonam suam famam vindicet, quod opportunum imo necessarium videbatur... *Quasi agnus coram tondente se obmutescet, et non aperiet os suum... Jesus nihil respondit, ita ut miraretur præses vehementer...* Isaï. 53. Matth. 27.

Passus est pie, multum orando... — Fortiter, ita ut semper sui dominus, nullum omittat officium... in ipsa agonia surgat ad exhortandos discipulos... et in cruce pendens, usque ad ultimum apicem quæ de se scripta sunt consummet... — Demum passus perseveranter, nempe usque ad finem vitæ, *factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis...* Philipp. 2.

Meditationem concludam ferventi oratione, et petam a Domino, ut vitam ejus dolorosam semper præ oculis habens, libenter crucis ejus ac passionum efficiar particeps.

De passione Domini universim.

Pr. 1. Spectare Jesum in cruce pendentem, et simul audire hæc verba Petri : *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus.* I Pet. II, 21.

Pr. 2. Ut intelligam mysterium passionis Filii

Dei, et eadem cogitatione armatus, beatæ hujus passionis efficiar particeps.

I. Passio Domini in se spectata ; II. passio in suis circumstantiis; III. passio considerata in cordibus nostris, seu in affectibus ac sensibus, quos in credentium animis debet excitare.

I P. PASSIO IN SE. — Quænam in die passionis suæ mala pertulit Dominus? Nonne in tota sua humanitate ita pati dignatus est, ut omnium amaritudinum calicem exhauriret?...

Quid enim passus est in corpore?... Sequamur eum ab horto Olivarum usque ad Calvarium : en vinculis violenter constringitur, raptatur per torrentem Cedron, alapa caeditur a protervo ministro in domo Caïphæ... dein a mancipiis crudeliter pugnis ac palmis percutitur... At crudeliora cum manent in prætorio supplicia : flagellatio horrenda, de qua Ulpianus dicit, sontes eam subeuntes, ut plurimum, vel statim mori, vel mutilatos ac membris captos manere reliquo vitæ tempore... Dein sæva coronatio, qua spinis caput ejus perfoditur et arundine verberatur... His adde, quod lacerum ac sanguinolentum corpus Domini saepius vestibus exuitur et induitur... ac crucis ligno oneratur, acerbo humeri dolore... Postquam post multos casus in Calvarium pervenit, clavis cruci affigitur, et suspensus manet summis in doloribus atque angustiis... — Ad hæc, os ejus divinum torquetur siti et aceto... oculi, spectaculo amarissimo... aures, conviciis et contumeliis...

Ista autem tanto fuere crudeliora, quo Domini caro erat delicatior... et eo quod prorsus omni solamine ac lenimine destitutus...

Quid patitur Dominus in honore? Aspice, anima mea, Jesum stantem ante quatuor tribunalia : accusatur... condemnatur... conspuitur... veste ignominiæ indutus, tanquam fatuus aut demens irridetur... cum Barabba æquiparatur et eidem postponitur... ignominiose vestibus nudatur...vere *opprobrium hominum factus et abjectio plebis*, ipse *Rex regum et Dominus dominantium*... Atqui tanto acerbior injuria, tanto ignominia gravior, quo augustior persona lacessita et viliores injuriantes... quo fama illius præclarior et turpiores accusationes... atqui Dominus accu-

Psalm. 21.

Apoc. 19.

satur ut blasphemus, ut seductor ac falsus propheta, ut perduellis et affectans regiam dignitatem, ut *homo vorax et potator vini*... et nullus adest defensor aut protector... Tanto demum majus opprobrium, quanto magis est publicum et plures habet spectatores... Matth. 11.

Quid patitur Dominus in anima, in affectibus cordis? Nonne summas imprimis angustias et dolores in horto Olivarum, ubi dicit: *Tristis est anima mea usque ad mortem?*... ubi videt tot animas sibi charissimas, pro quibus moriturus est, adhuc æternum perire... Nonne ex parte discipulorum tolerat infidelitatem maxime luctuosam?... et ex parte populi Judaïci ingratitudinem acerbissimam... Nonne ab omnibus amicis derelictus?... adstat quidem juxta crucem sanctissima Mater, at quæ materni doloris spectaculo immensum augeat dolores Filii... Demum Dominus martyrium internum patitur, omni consolatione destitutus, quod nobis manifestat exclamans: *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me...* Matth. 26. Matth. 27.

Hæc tanto duriora, quanto Cor Domini amantius: o quantopere amabat Patrem cœlestem, matrem in terris, discipulos, Judaïcum populum, animas omnes!...

O Domine Jesu, da mihi tot ac tantos dolores tuos semper præ oculis habere.

II P. CIRCUMSTANTIÆ PASSIONIS. — Quis patitur? Quare et quomodo patitur?

Quis? Nonne verus Dei Filius, Patri æterno infinite dilectus?... Ille videlicet qui est Princeps regum terræ... cui omne genu flectendum... qui est ipsa innocentia ac sanctitas... qui est sapientia summa... ipse in mundum veniens, ibi pati voluit et talia pati... quantum mysterium! quam graves putandæ sunt subesse causæ!...

Quare igitur passionem hanc elegit? Triplici de ratione: amoris videlicet, expiationis et exempli... *Dilexit me*, inquit Apostolus, *et* ideo *tradidit semetipsum pro me*... ut me, peccatorem desperatum, ab æterna damnatione liberaret... et æternæ beatitudinis juri restitueret... — Expiationem peccati requirebat Dei justitia; et ipse sese in victimam obtulit... Quanta expiatio! Quantum ergo delictum!... Omnigena autem suscepit tormenta, ut omnigena mea delicta expiaret... — Exemplo magno indigebamus: Galat. 2.

ipse autem exemplum supremum dedit nobis, tum expiationis a nobis quoque præstandæ... tum virtutum omnium, quas in hac ærumnosa vita exercere debemus...

Quomodo enim passus est Dominus? Nonne piissime, et orando multum? Nonne cum obedientia... cum charitate summa?... Nonne cum patientia et mansuetudine vere divina?...Ubi vindicta,aut iracundia ejus? ubi responsio qua se purgaret, aut inimicos confunderet?... ubi querelæ et gemitus?... *Sicut ovis ad occisionem ducetur, et quasi agnus coram tondente se obmutescet, et non aperiet os suum...* Divinum prorsus silentium, quod *miratus est Pilatus vehementer...* O Jesu, da mihi tanta exempla imitari...

Isaï. 53.

Matth. 27.

III P. IN CORDIBUS NOSTRIS. — Dum oculis fidei et sanæ rationis Deum meum ita patientem ac morientem intueor, quid præstare debeo? Quibusnam sensibus cor aperiendum? Et quales affectus hominem christianum, præsertim vero sacerdotem debent animare?

Nonne gratitudo pro tanto beneficio?...

Nonne detestatio peccati, cujus atrox malitia tam vivide manifestatur?... et pœnitentia cum Christi expiationibus conjungenda?...

Nonne fiducia in tanta misericordia... fiducia simul innixa meritis infinitis illius sanguinis, *cujus una stilla salvum facere totum quit ab omni mundum scelere...*

Nonne amor tanti Benefactoris, Deique tam amantis?...

Nonne ardens devotio honorandi passionem Domini per Missæ sacrificium... per imaginem Crucifixi... per signaculum crucis... per viæ crucis frequentationem... per quadragesimales prædicationes de mysteriis passionis... per cultum sacratissimi Cordis Salvatoris...

Nonne generosa voluntas imitandi Jesum patientem, participandi opprobria, doloresque Domini, sequendi eum in via Calvarii... et standi cum dolorosissima Matre ac dilecto discipulo, juxta crucem ejus?...

Fiat, in fine meditationis, oratio fervens, ad sanctum Joannem, ad B. Virginem, et ad Jesum crucifixum, ut salutari Passionis cogitatione, sensibusque sanctis Cordis Jesu patientis, Mariæque compatientis, merear repleri...

De ultima cœna.

Pr. 1. Spectare cœnaculum grande stratum, ubi agnus paschalis paratus est in mensa. Eo cum venisset Dominus qua nocte tradebatur : *Desiderio*, inquit, *desideravi hoc pascha manducare vobiscum, antequam patiar* (Luc. XXII, 15). Deinde, post agni esum, post indicatam sibi paratam proditionem a discipulo, et post peractam cœnam, lavit pedes discipulorum, et mysteria Eucharistica instituit, ut monumentum passionis suæ.

Pr. 2. Ut ex mysterio ultimæ cœnæ rite intellecto, quod veluti passionis præludium est, gustum hauriam ac sensum passionis Dominicæ, cum spiritu sacrificii quo ipse Dominus fuit animatus, *hoc sentiens in me quod et in Christo Jesu.* Philipp. II, 5.

I. Christus Dominus manducat agnum typicum ; II. lavat discipulorum pedes ; III. instituit mysteria Eucharistica.

I P. ESUS AGNI. — Aspiciens Dominus agnum paschalem, agnum sine macula, ferro occisum ac tostum igne, et in illo typo imaginem sui et discipulorum suorum contemplans, exultabandus exclamavit : *Desiderio desideravi hoc pascha manducare vobiscum, antequam patiar...*

Scilicet agnus ille imago erat Christi, qui est verus agnus sine macula... immolandus externe ferro ac violenta manu Judæorum... consumendus autem intrinsecus igne charitatis...

Imago quoque Christiani et præcipue sacerdotis... qui esse debet similiter agnus, puritate et mansuetudine Christo conformis... Immolandus quoque ferro mortificationis... consumendus autem intrinsecus igne amoris, omnino et non ex parte sese vovendo saluti animarum...

O Domine Jesu, Agnus Dei verus ac exemplaris, da mihi per passionem et immolationem tuam, ut, exuens veterem hominem et induens novum, tibi simillimus efficiar...

II P. LOTIO PEDUM. — Lavando pedes discipulorum,

ineffabili humilitatis ac charitatis exercitio... Dominus ad passionem mortemque crucis se præparat. Hinc autem intelligimus, quisquis fieri vult agnus immaculatus, et dignus qui cum Domino beata passione immoletur, necesse esse ut similiter ad lotionem pedum descendat... — Ideo dicit Dominus : *Vos debetis alter alterius lavare pedes :* id est præstare debetis invicem obsequia humilitatis, vos ad pedes fratrum vestrorum, quamvis abjecti videantur aut indigni, inclinando... omnes tanquam superiores vobis ducendo... partesque potiores illis deferendo...

Debetis alter alterius lavare pedes, id est etiam, invicem præstare obsequia charitatis... benefaciendo fratribus corporaliter et spiritualiter... gratis, et cum proprio incommodo...

Exemplum enim dedi vobis... En motivum illa obsequia proximo præstandi... En simul responsio omnibus repugnantiis, omnibusque prætextibus amoris proprii opponenda : *Dominus exemplum dedit, ipsa incarnata Sapientia ita fecit...*

Aliud hic datur documentum. Antequam instituat mysteria Eucharistica, Dominus discipulorum pedes lavat, ut doceat nos quanta requiratur ad convivium ac ministerium altaris animæ munditia... Quo spectant ista : *Qui lotus est,* Joan. 13. 14. *non indiget nisi ut pedes lavet, sed est mundus totus. Et vos mundi estis, sed non omnes... Unus ex vobis tra-* Matth. 26. *det me, qui intingit mecum manum in paropside... Væ homini illi ! Bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille...* En quo deducat sacerdotem avaritia, aliave passio male domita... Quomodo me in tuto ponam ?... Petatur gratia.

III P. MYSTERIA EUCHARISTICA. — Instituit Dominus mysteria Eucharistica, nimirum sacrificium incruentum novæ Legis, et sacram communionem corporis et sanguinis sui. Qua quidem ineffabili institutione non tantum ipse se disponit ad cruentum crucis sacrificium ; sed simul efficit ut nos eodem spiritu sacrificii animemur ad sequendum vestigia ejus. Dupliciter autem spiritu sacrificii in Eucharisticis mysteriis animamur : exemplo Christi et virtute gratiæ.

Animamur exemplo Christi. Est enim sacramentum altaris memoriale passionis Domini... corpus *quod pro*

nobis traditum est humiliationibus, flagellis, morti... sanguis *qui pro nobis fusus*... Jam vero si Dominus pro me ita immolat corpus suum et fundit sanguinem... nonne æquum est ut ego vicissim pro Domino meo effundam sudorem, sanguinem, et quidquid mihi, tanquam sanguis in venis, intimum ac pretiosum est ?...

Animamur virtute gratiæ : sacrosanctum missæ sacrificium et sacra communio conferunt animæ spiritum sacrificii et fortitudinis cum fervore charitatis... *Tanquam leones*, inquit S. Chrysostomus, *ignem spirantes, ab hac mensa discedite*... Laurentius levita, ut S. Augustinus ait, *quia bene manducaverat et bene biberat* de Eucharistica mensa, *tanquam illa esca saginatus et illo calice ebrius, tormenta non sensit*... Homil. 61. ad Antioch. Tract. 27. in Joan.

Concludam oratione ad Jesum, ut det mihi magna ipsius exempla imitari, et in hac imitatione præcipue juvari per sanctum usum Eucharistici alimenti.

De institutione sacrificii novæ Legis.

Pr. 1. *Accipite et manducate : hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur : hoc facite in meam commemorationem... Hic calix novum testamentum est in meo sanguine : hoc facite quotiescumque bibetis, in meam commemorationem.* I Cor. XI, 24, 25.

Pr. 2. Ut intelligam sublimitatem hujus sacrificii, et ad illud digne offerendum spiritu Sacerdotis divini replear.

I. Quomodo Christus sacrificium novæ legis instituit ? II. Quomodo idem ego offerre debeo realiter ? III. Quomodo etiam spiritualiter ?

I P. INSTITUTIO SACRIFICII. — Christus, sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech, a nativitate sua se præparavit ad actum suum magnum, sacrificium... quo vitam mortalem consummaret...

Locum ad offerendam novæ legis Hostiam, non humilem elegit, sicut ad nascendum... sed cœnaculum magnificum...

Postquam lavando pedes discipulorum, exemplum dedit humillimæ charitatis... simulque documentum requisitæ ad altare suum puritatis... recumbens iterum, accepit panem in sanctas ac venerabiles manus suas, et insolita quadam solemnitate sustulit in cœlum oculos, charitatis igne radiantes. Simul autem aperiens os suum, quo ipsa charitas loqui videtur, gratias agit Patri, quod tandem sacrificium dignum, hostiam mundam concedat humano generi... extensaque omnipotenti manu panem benedixit, fregit, deditque discipulis, dicens : *Accipite et comedite, hoc est corpus meum quod pro vobis tradetur... hic est sanguis meus qui pro vobis fundetur...*

Dixit et facta sunt... O miraculum divinæ omnipotentiæ ! O mira inventio charitatis !...

Obstupescunt sane apostoli, at credunt... Et ego credo, Domine, quia tu es Filius Dei vivi, et verba vitæ æternæ habes... Credo, et gratias ago de instituto adorabili hoc sacrificio... quo datur nobis Deo nostro exhibere dignam adorationem, dignasque gratiarum actiones pro creatione ac redemptione mundi... et in quo perpetuam possidemus pro iniquitatibus nostris propitiationem... Quantum beneficium ! Quid retribuam Domino ?...

II P. OBLATIO REALIS. — Instituti sacrificii sacerdotes, non ex angelis, sed ex hominibus assumpti sunt... quibus dicit Dominus : *Hoc facite in meam commemorationem...* in memoriam scilicet passionis meæ. Verba singula perpendantur.

Hoc... id est, opus tam divinum, tamque mirabile... ut velut incarnetur Filius Dei in manibus nostris... totumque
Josue, 10. cœlum descendat in terram, *obediente Domino voci hominis*... ut verum offeratur sacrificium Altissimo, quod idem prorsus sit, etsi incruentum, ac sacrificium Calvariæ, eodem sacerdote, eadem victima...

Hoc facite vos, mei ministri, quod ego feci, Deus vester... et facite sicut ego, id est, divino modo, et quasi in me transformati... non vestimentis tantum, sed spiritu...

O Domine, quis ego sum ut tantum munus exerceam, ego miserrimus peccator ?... Confide, inquit, ecce ego replebo te spiritu meo, dummodo tu, orationibus insistendo, cor tuum per fidem vividam ac fiduciam velis aperire...

III P. OBLATIO SPIRITUALIS. — Quemadmodum divinus meus Pontifex realiter existit in Missæ sacrificio sacerdos et victima ; ita oportet ut ego, non tantum ministerialiter et externe sacrificium offeram, sed etiam spirituali quodam modo sacerdos et victima efficiar : juxta illud in Ordinatione presbyteris commendatum : *Imitamini quod tractatis...*

Porro sacerdos ille est qui offert ; victima, res quæ offertur...

Nonne offerre debeo spirituales hostias : orationes, labores, bona opera ?... Imo oblationes Deo gratæ, sunt etiam animæ sanctificandæ... *Ut fiat oblatio gentium accepta et* Rom. 15. *sanctificata in Spiritu sancto...* Nonne singuli dies vitæ meæ, et singulæ cujusque diei operationes, esse debent totidem oblationes mundæ, positæ super altare Domini ?... An tales revera sunt ?...

Victima esse debeo, cum Apostolus omnibus dicat : *Exhibeatis, fratres, corpora vestra hostiam viventem,* Rom. 12. *sanctam, Deo placentem...* Nonne igitur oportet ut immolem me ipsum, id est sensus meos... et cor meum... per gladium mortificationis... et per ignem charitatis ac zeli ? ut totus a terrenis affectibus solutus, immuter et transformer in Christum, sicut panis Eucharisticus... et *vivam, jam non ego, vivat vero in me Christus...* Galat. 2.

Fiat demum oratio ad divinum Pontificem Christum, ut operetur in ministro suo hanc mutationem.

De horto Olivarum. Prima mysteria.

Pr. 1. Post ultimam cœnam, Christus Dominus trepidantes discipulos duxit ad hortum Olivarum. Relectis autem octo eorum in introitu, ipse cum Petro Jacobo et Joanne ingressus est, tristitia confectus. Tunc, discipulos hortatus ut orarent, ipse ter Patrem oravit ; imo, agoniam passus ac sanguinem sudans, prolixius oravit : cura discipulorum interim non neglecta. Matth. XXVI, Marc. XIV, Luc. XXII.

Pr. 2. Ut rite intelligam amorem, exempla et documenta Christi patientis in horto, eademque meis moribus exprimam.

I. Exitus Christi in hortum, II. ejus ibidem agonia, III. ejus oratio.

I P. EXITUS IN HORTUM. — Dominus Jesus inchoaturus passionem suam, Patri semper obediens, discipulos educit fortiter... *Sicut mandatum dedit mihi Pater... surgite eamus hinc...*

Joan. 14.

Sequuntur quidem discipuli, sed metu pleni... cum in Domino suo confidere deberent : *Confidite, ego vici mundum...*

Joan. 16.

Quo ducit dilectos discipulos ? Non ad hortum voluptatis in hac vita... sed patientiæ et orationis...

At vero eos ducit suaviter, ipse sibimet graviora eligens, illis faciliora relinquens... *Sedete,* inquit, *hic, donec vadam illuc et orem... Orate, ne intretis in tentationem...* Scilicet, sedete vos, ego vadam... vos vigilate et orate, ego patiar acerbissimos dolores...

Assumit discipulos ut testes suæ humiliationis, eos, qui fuerunt testes gloriæ in monte Thabor : ut discant sequi Dominum, non in consolatione tantum, sed et in desolationibus...

O Domine Jesu, Fili æterni Patris, quanto me amore diligis, pro me peccatore calicem dolorum accipiens, et vix guttulam mihi reservans !... fac, quæso, ut ejusdem pretiosi calicis copiosius merear fieri particeps.

II P. AGONIA. — Obruitur Dominus afflictionibus internis, acerbissimis... atque adeo angustiis animæ opprimitur, ut sudore sanguineo per totum corpus madeat, patiens agoniam et quasi moriturus... *Tristis est anima mea usque ad mortem...* — Quos dolores tanta constantia sustinet, ut nihilo segnius discipulos visitet, nec quidquam de cura eorum omittat...

Quare autem vult hos animæ dolores pati ? Nonne ut expiet mundana mea gaudia... affectus pravos cordis mei... et defectum doloris de meis peccatis ?...

Cur præterea interne cruciatur ? Ut discam desolationes et internas angustias pro Deo perferre... Dein, ut intelligam quomodo me gerere debeam respectu tristitiæ. Du-

plex namque tristitia distinguenda : una bona, de peccatis; altera nociva, de malis temporalibus. *Quæ secundum Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur: sæculi autem tristitia mortem operatur*... Hanc posteriorem debeo animo excludere, devincere, saltem cum patientia et constantia ferre, ope orationis... *Tristatur aliquis vestrum ? Oret*... II Cor. 7. Jacob. 5.

Quodnam autem fuit doloris Dominici objectum ? Quæ tantæ afflictionis causa ?... Præcipua causa sunt peccata, quæ Dominus videt cum immensa eorum malitia... peccata totius mundi... peccata mea... Da mihi, bone Jesu, ea deflere tecum...

Altera doloris causa est inutilitas suæ passionis pro multis... Videt eos pro quibus moritur, persistere in suis peccatis et ruere in infernum... videt damnationem eorum quos tantopere amat...

Sudorem sanguineum etiam provocat pavor et timor instantium tormentorum... quo Dominus nobis mereri voluit constantiam in quacumque angustia.

Da mihi, o Jesu, in omni tribulatione et angore tecum perseverare.

III P. ORATIO. — Antequam tradatur in manus inimicorum, se ad orandum confert Dominus : ut sciamus quomodo nos ad subeunda certamina parare et armare debeamus... *Vigilate*, inquit, *et orate, ut non intretis in tentationem*... Petrus, Domini monito non obsecutus, novimus quam misere lapsus sit...

Quomodo orat ? Qua reverentia... qua perseverantia... qua conformitate cum voluntate patris ?... *Positis genibus orabat... Et progressus pusillum procidit in faciem suam, orans et dicens : Pater mi ! si possibile est, transeat a me calix iste : verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu*... Et inveniens discipulos dormientes : *Sic*, inquit, *non potuistis una hora vigilare mecum ?* Dein rediit secundo, et tertio, ad exercitium orationis...

Factus autem *in agonia prolixius orabat*... In angustiis, non tam a creaturis quam a Deo solamen petendum... et quanto gravior angustia, tanto instantior sit oratio...

Apparuit illi angelus de cœlo confortans eum... Ita

dilectus Filius ab amantissimo Patre auditur, ut non tollatur calix passionis... sed vires addantur ut bibat illum... — An ego vellem alio modo exaudiri ?...

Fiat in fine oratio congrua ad Jesum patientem et orantem in horto pro me, ac pro me peccatore...

De horto Olivarum. Ultima mysteria.

Pr. 1. Cum Dominus comitantibus discipulis obviam procederet cohorti, quam adducebat Judas, accepto proditoris osculo, interrogavit eos : *Quem quæritis?* Illi cum dixissent : *Jesum Nazarenum*, audito responso : *Ego sum*, ceciderunt in terram. Mox, iterum erectis dixit Jesus : *Tanquam ad latronem existis comprehendere me...* Petrum autem gladio resistere volentem repressit ; et postquam discipulos jussit tutos abire, tradidit se potestati inimicorum, dicens : *Hæc est hora vestra et potestas tenebrarum.* At illi comprehensum Jesum ligaverunt et abduxerunt ad Annam primum. Joan. XVIII.

Pr. 2. Ut intelligam hæc mysteria passionis Dominicæ, et copiosos inde percipiam fructus animæ meæ.

I. Dominus osculo proditur. II. Inimicorum vim cohibet. III. Eis frena relaxat.

I P. PRODITIO. — Miremur hic majestatem Jesu vere divinam. Ubi de vitæ periculo agitur, id unum cogitant homines ut inimicorum manibus se eripiant... At Jesus *sciens*
Joan. 18. *omnia quæ ventura erant super eum*, obviam processit inimicis... O Domine mi Jesu, vere Dominus appares in mediis periculis, in medio inimicorum tuorum... da mihi, quæso, aliquid de tua constantia...

Accedit Judas...et discipulus Filium Dei osculo prodit... Quanta hic, ex parte Judæ, iniquitas, ingratitudo !... Quanta injuria, quanta humiliatio tibi, o divine Magister,

sic a discipulo contemni, deseri, prodi !... — Quanta nihilominus mansuetudine cordis et oris...talem injuriam accipis ! *Amice*, inquiens, *ad quid venisti ?... Juda, osculo Filium hominis tradis ?...*

Considerari hic potest, quis Judam... quis Jesum imitetur ?...

Nonne Judam proditorem, ducem cohortis peccatorum imitatur sacerdos pravus et scandalosus ?... Vere, ut S. Gregorius ait, *nullum majus præjudicium quam a malis sacerdotibus tolerat Deus.*

Quomodo eo Apostolus Christi pervenit ?... Quomodo obscuratum est aurum ?... Quomodo sal evanuit ?...

Et cur saltem amica Jesu compellatione non movetur ? Unde hæc obduratio fatalis ? Nonne ex abusu gratiarum ?... Quapropter et ego fragilis homo, in humilitate cordis, per veram pietatem... omnisque avaritiæ fugam, a tanto malo me custodire conabor... in tua, Domine, misericordia confisus.

II P. COHIBITIO HOSTIUM. — Postquam per Judæ osculum cognoverunt Jesum, cur non apprehendunt satellites ? Cur velut immobiles consistunt ?... Quia invisibili manu cohibentur... Omnipotentem enim quomodo attingerent nisi permittentem, et in quo temporis puncto permittat ?... Similiter neque attingent ullum ex ejus discipulis, neque capillum de capite eorum... nisi postea, ubi potestatem fecerit... Quanta fiduciæ causa !...

Dicente Domino : *Ego sum*, cadunt in terram... Percussio hæc misericordiæ est... Aliam nunquam optabo inimicis Ecclesiæ et meis : *Ut inimicos sanctæ Ecclesiæ humiliare digneris.* Matth. 14.

Terribile impiis illud *Ego sum*... jucundum justis : *Ego sum, nolite timere*... — Terribile præsertim illis erit, jucundum istis, in die judicii...

Tanquam ad latronem existis... Quis ut latro habetur ab impiis ? Nonne Pastor bonus ?... Lamentabilis error et ignorantia ?...

Mitte gladium tuum in vaginam... Non permittit se violenter defendi : vult ut gladius linguæ remordentis... zelive indiscreti, remittatur in vaginam...

Sanat vulnus Malchi. Utitur nempe potentia sua, non ad

Rom. 14. defensionem sui, sed ad bonum inimici, *nulli malum pro malo reddens, sed vincens in bono malum*...

Sinite hos abire... Quanta in his verbis majestas ! Quis unquam malefactor ita locutus satellitibus publicis ad eum comprehendendum missis... eosque verbo coegit ut complices suos salvos discedere permitterent ?...Quam provida simul bonitas Domini erga discipulos !...

Hæc hora vestra... Nunc scilicet vobis, diaboli ministris, potestas datur... hæc *hora* vestra est libere agendi, hora brevis, tam vobis persequentibus me, quam mihi patienti... Mox vero, Deus quoque suam habebit horam... seu potius suam æternitatem...

O Domine Jesu, libenter tecum sustinebo horam hanc...

III P. LIBERA POTESTAS. — *Comprehenderunt Jesum*. En, freno laxato, ruunt in Jesum... prosternunt Omnipotentem... qui jam omnipotentiam abscondit, et dumtaxat in eo exercet, ut nulli angeli, nullaque creatura suum Dominum defendat... Voluit amantissimus Jesus se prorsus potestati peccatorum tradere propter me !...

Ligaverunt eum. O sancta vincula Domini !... quibus beneficæ manus ejus constringuntur...quibus patitur privationem libertatis, ut expiet abusum libertatis a me commissum, meque vindicet in libertatem filiorum Dei... Vinculis ligatur Jesus, ut solvat vincula peccatorum ac vitiorum
Psalm. 2. meorum... utque cessemus dicere : *Dirumpamus vincula eorum et projiciamus a nobis jugum ipsorum*.

O Domine Jesu, pro me vinculis constricte, tua deinceps vincula portare volo, vincula mandatorum et vincula suavissima delectionis tuæ... quibus coercebor ab omni cogitatione,verbo et opere quod tibi displiceat...Da mihi, quæso, gratiam tuam.

De tribunalibus sacerdotum. Prima mysteria.

Pr. 1. Cum satellites Jesum duxissent ad Annam primum, mox perduxerunt ad Caïpham, ubi scribæ et seniores convenerant. Illic, post auditos silentio

falsos testes,et post impactam sibi a ministro alapam, adjuratus a Pontifice, declaravit Dominus se esse Christum Filium Dei, prædictum a prophetis futurum Judicem mundi. Tunc omnes dixerunt: *Reus est mortis*. Matth. XXVI.

Pr. 2. Ut Jesu pro me patientis amorem, exempla ac documenta, cum fructu animæ meæ percipere valeam.

I. Dominus falso accusatur et injuste damnatur. II. Tacet et respondet.

I P. Accusatio. — Judicandus sistitur Dominus ad tribunal hominum, ut ego aliquando stare possim ante tribunal Dei... Judicatur injuste, ut ego discam memetipsum judicare... non proximum...

Falsa crimina contra Jesum quærunt, quia vera non habent... Talis esse debet Christianus... et imprimis sacerdos : *Verbum sanum, irreprehensibile : ut is qui ex adverso est vereatur, nihil habens malum dicere de nobis...* Tit. 2.

Falso accusatur Dominus pro nobis, ut nos libenter pro ipso talia patiamur...

Alapa percutitur a ministro quodam pontificis adulatore... Quanta injuria Filio Dei irrogata!... Quid, si terreno regi hoc fieret?... Atqui injuria ista imago est injuriæ gravioris quæ infligitur Deo a peccatore...præcipue sacerdote, ubi sacrilegæ irreverentiæ in corpus Christi eucharisticum reus efficitur...

Ob contumeliam tantam ne levi quidem iracundiæ umbra Domini mansuetudo alteratur... ut discamus injurias omnes, pro nomine ejus, æquo animo tolerare...

Reus est mortis... En mundi justitia ! Sanctum et Justum morte dignum pronuntiat... O Salvator amantissime! tu propter me morte temporali damnari voluisti, ut ego miserrimus peccator, morte æterna, quam toties merui, non plectar... Precor clementiam tuam, quæ non vult mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat... precor et obsecro, ut mihi cor vere contritum et humiliatum concedere digneris...

II P. RESPONSIO DOMINI. — Dominus modo tacet mirabiliter, modo respondet sapientissime... ut doceat nos loquendi discretionem et parcitatem.

Jesus autem tacebat... Tacebat, licet responsa victricia non deessent, ut discamus quomodo calumnias confutare debeamus...

Joan. 18. *Interroga eos qui me audierunt*... Nihil scilicet locutus sum nisi doctrinam sanctam Dei, quam omnibus publice prædicavi... O bone Jesu, utinam et ego aliquando coram tribunali tuo divino de doctrina mea interrogatus, eamdem defensionem possim proferre !

Ibid. *Si male locutus sum, testimonium perhibe de malo*... Licet mansuetus Dominus contumeliam percutientis modeste toleret, respondet tamen, ne locus sit cuipiam scandalo infirmorum... neve defuisse videatur debitæ, etiam indigno magistratui, reverentiæ...

Matth. 26. *Tu dixisti :* utique ego sum Christus Filius Dei vivi, idem nunc humili habitu, quem postea videbitis cum gloria venientem mundi Judicem .. Non dubitat Dominus confiteri veritatem, etsi non ignorat se propterea morte damnandum : ut non timeamus et nos fidem Domini Jesu confiteri .. nec doctrinam ejus quocumque periculo prædicare... nec peccatores, quicumque sint, de terribili judicio Dei monere...

Pronuntiat Dominus se, quamvis nunc contemptibilem, supremum mox Judicem venturum... Ut impiis scilicet aperiat oculos, duplicem suum statum eis explicat : alterum humilitatis et quasi impotentiæ in hoc sæculo... alterum majestatis et ineluctabilis justitiæ, in futuro... Sciam et ego, eumdem Jesum, qui mecum agit nunc tam misericorditer in sacramentis, appariturum mox inexorabilem Judicem in die obitus mei...

O Domine Jesu, per mysterium iniqui judicii quo judicari voluisti, da mihi semper judicium tuum justissimum, mox subeundum, præ oculis habere.

De tribunalibus sacerdotum. Ultima mysteria.

Pr. 1. Dum Dominus in concilio Caïphæ morte damnaretur, a sancto Petro foris in atrio ter negabatur : qui mox discipulum lapsum respiciens, ad pœnitentiam permovit : *Egressus foras Petrus flevit amare.* Jesus deinde tota illa nocte mansit ligatus, interim vexatus et illusus a satellitibus, qui, velata ejus facie, cædentes ipsum interrogabant : *Prophetiza nobis, Christe, quis est qui te percussit ?* Mane autem Judæi, iterato concilio, denuo requirunt a Domino confessionem suæ divinitatis. Matth. XXVI.

Pr. 2. Ut intelligam mysteria passionis Domini et discam eum magis amare, peccatum fugere, et cum Petro pœnitente lacrymari.

I. Dominus a Petro negatur, II. a mancipiis illuditur, III. in matutino concilio denuo damnatur.

I. P. PETRI NEGATIO. Devotissimus discipulus Dominum Jesum negat... en humana infirmitas, ad omnem et quidem gravissimum lapsum prona, et certo certius lapsura... nisi suam fragilitatem agnoscens Deo adhæreat et innitatur...

Quis enim Filium Dei negat ?... Et quando ? nonne eadem nocte qua Domini verbis et sacramentis refectus... eique fidelitatem pollicitus ?... — Et qua tentationis violentia devictus?... contemptibilis voce mulieris... ancillæ...

Sed quæ causa lapsus viri hujus apostolici ? Nonne præsumptio, qua suam Petrus imbecillitatem non agnoscens... suisque viribus confidens... orationem in horto dormiens neglexit... et insuper occasionem peccati, societatem mundanorum non vitavit ?...

Quam amara cordi Jesu accidit hæc injuria, ab hoc discipulo... sibi illata, et quidem tali tempore !... Omni scilicet opprobriorum genere, omnique amaritudine, o Jesu, dulcis tua anima saturari debuit propter me... sed *aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem*... Fac me, quæso, charitatis tuæ participem. Cant. 8.

Luc. 2. *Respexit Dominus Petrum*... quo oculo ? qua benignitate et misericordia ?... En quomodo respicere misericorditer debeam et tractare peccatores, ut in corde eorum compunctionem provocem...

Ibid. *Petrus egressus foras flevit amare.* Exemplum compunctionis et veræ pœnitentiæ... — Quicumque ergo sim, quomodocumque peccaverim... non minus quam Petrus veniam consequi, imo sanctus evadere possum et animarum piscator... dummodo *egrediar foras* ex illa tepiditate, ex illo atrio amoris proprii et sensualis... *et fleam amare*, perseverando in compunctionis spiritu per totam vitam...

Psalm. 50. *Peccatum meum contra me est semper.*

Respice me, o Jesu, sicut respexisti Petrum...

Luc. XXII, 63. II P. NOCTURNA CHRISTI VEXATIO. — Filius Dei per noctem vinctus detinetur in tenebricoso carcere : en imago animæ nobilissimæ, in servitute diaboli constitutæ, peccatorum suorum et passionum nexibus obstrictæ...

Hoc patitur Salvator ut nos peccatores liberet... Quid ego hactenus sustinui, in quo carcere pernoctavi, ut animas libertati filiorum Dei restituam ?...

Percutitur Dominus et crudeliter vexatur a vilibus mancipiis. Vexatio ista nocturna Domini, nonne imaginem refert multiformis modi, quo peccatoris ingratitudo, malitia, audacia, insania... in Deum exercetur ?... Ecce Jesum Salvatorem possident, a quo omne bonnum accipere possent... sed nedum ab illo quidquam petere cogitent, omnes horas in conviciando ac lacessendo Domino indignissime consumunt...

Illuditur Jesus. Nonne illudere Domino videtur ille, qui veniam ab eo postulat, eique emendationem promittit, at semper eadem negligentia in eadem relabitur peccata ?..

Velatur facies ejus. Nonne salutarem faciem Domini velamine contego, dum, velut nube sensualitatis interposita, eam impedio ne animam meam illuminet ?... Item, dum divinam ejus præsentiam obliviscor, et peccata committo quasi ea non videret, nec in thesauro justitiæ includeret ?...

Quis est qui te percussit ? Respondet satis conscientia
II Reg. 12. mea : *Tu es ille vir*... qui tantam debes Domino gratitudinem, tantam Ecclesiæ ejus ædificationem, et nihilominus

Christum in persona proximi per quamvis offensionem charitatis percutere audes...Respondet ipse Christus : *Tu, fili mi, quem enutrivi et exaltavi, tu es qui spernis me...* Isaï. 1. Projiciam me ad pedes Salvatoris, veniam implorans...

III P. MATUTINA DAMNATIO.— *Si tu es Christus*, inquiunt Judæi, *dic nobis.* Respondet Dominus : *Si vobis dixero, non credetis mihi ; si autem et interrogavero, non respondebitis mihi, neque dimittetis...* Scilicet neque vultis credere mihi, neque examinare et audire rationes credendi. — En dispositio pessima : nolle credere, neque considerare, sed pravum cœptum explere... *Noluit intelligere ut* Psalm. 35. *bene ageret...* O Domine, ego credo verbo tuo divino... fac ut illud intelligam et opere implere possim : *Da mihi* Psalm. 118. *intellectum et scrutabor legem tuam, et custodiam illam in toto corde meo...Da mihi intellectum et vivam.*

De morte Judæ proditoris.

Pr. 1. Cum vidisset Judas quod damnatus esset Jesus, pœnitentia ductus, retulit triginta argenteos principibus sacerdotum dicens : *Peccavi, tradens sanguinem justum.* Responderunt illi : *Quid ad nos? Tu videris.* Quare exasperatus animo projecit argenteos in templo, et in desperationem actus laqueo se suspendit. *Suspensus autem crepuit medius, et diffusa sunt omnia viscera ejus.* Act. I, 18 ; Matth. XXVII.

Pr. 2. Ut considerando impœnitentiam Judæ, magis magisque caveam a causis tam lamentabilis ruinæ.

1. Judæ pœnitentia. II. Ejus desperatio. III. Ejus funestus exitus.

I P. PŒNITENTIA. — Vix peccatum consummavit Judas, cum eum facti pœnitet ; quæ modo tantopere placebat et fascinabat pecunia, nunc displicet ; quod erat dulce, factum est amarum... sic omne peccatum fallax est, illecebrosa dulcedine abscondens amarissimum venenum. *Scito et*

Jerem. 2. *vide, quia malum et amarum est reliquisse te Dominum Deum tuum...*

Quænam mutationis causa? Ante peccatum diabolus una cum prava cupiditate ostendere solet actionis peccaminosæ emolumenta et jucunditatem, tegere autem malitiam, sequelas funestas ac pœnam retribuendam... Post peccatum vero, passione sedata, aperiuntur oculi, apparet fallacia concupiti boni, apparet scelus commissum, apparent terribiles sequelæ... et exsurgunt conscientiæ remorsus...

Judas itaque passioni detestabili aures præbens appetivit pecuniam... et nactus est diros remorsus, adeo ut illud pretium sanguinis jam ferre non possit... Quare ergo passioni diabolicæ auscultavit?... Non passionis vocem, sed
Psalm. 84. *audiam quid loquatur in me Dominus Deus...*

Cum venderet suum amantissimum Dominum, persuaserat sibi non tam graves fore sequelas...et, vel inimicos Jesu non ausuros innoxium damnare, vel saltem Jesum per miraculum evasurum e manibus eorum... Nonne idem contingit peccatori? Quoties illusus passione sua, existimat nunquam rem tam longe processuram... neque ad tantum lapsum, neque ad sacrilegium, neque ad damnationem æternam se deventurum?...

Itaque *pœnitentia ductus retulit Judas argenteos...* Nonne sincera hæc et valida oculis Dei pœnitentia? Judas abhorret suum scelus, facit quod potest ad reparandum : confitetur peccatum, proclamat innocentiam Jesu, reddit male acquisitam pecuniam, imo eam abjiciendo satis ostendit propositum non tale quid patrandi de cætero. Quid adhuc deest huic pœnitentiæ ut vere sit salutaris?...

Duo desunt : motivum sanctum et fiducia veniæ a divina misericordia consequendæ.

Motivum propter quod Judas dolet de proditione, non est quia divinam majestatem offendit ; sed quod, præter exspectationem suam, Jesus est capite damnatus, et hæc horribilis sequela sibi cum execratione imputabitur ; accedit tormentum internum remordentis conscientiæ... Movetur itaque ad pœnitendum incitamento humano, non ratione supernaturali divinæ offensæ, a fide proposita... — Sic omne peccatum subsequitur pœnitentia : vel sancta,

qualis fuit pœnitentia Petri ; vel prava et inanis, qualis Judæ omniumque reproborum : *Pœnitentiam agentes...* Sap. 5.

Da mihi, Domine, de peccatis meis dolere, quia tibi summe displicent et offendunt Majestatem tuam...

II P. DESPERATIO. — Præter motivum supernaturale, pœnitenti proditori deest quoque spes veniæ. Etenim tum duritate Judæorum erga ipsum, tum impulsu diaboli in desperationem venit.

Confitenti peccatum judaici sacerdotes aspere dicunt : *Quid ad nos? Tu videris*...Iidem qui cum gaudio primum exceperunt proditorem, nunc inutilem sibi contemnunt... Quod quidem omnino mundus, erga stultos quos decipit, agere solet... — At Judas inhumanitate ista ad pessimas cogitationes incitatur... Quantum cavendum est sacerdoti ne peccatores alloquatur asperius !

Tunc accessit diabolus,ut Judæ atrocitatem sceleris commissi ante oculos poneret... eique suggereret illud impii Caini : *Major est iniquitas mea, quam ut veniam merear*... Gen. 4.

Ne permittas, Domine, ut unquam obliviscar eloquium misericordiæ tuæ : *Venite ad me omnes .. et ego reficiam vos*...

III P. FUNESTA MORS. — Tam violenti sunt remorsus, tanta vis desperationis, ut jam vitam tolerare non possit... Vere *miseros facit populos peccatum*... Prov. 14.

Itaque, suadente diabolo, cogitat suicidium... At vero, nonne videt se, per hoc peccatum, ex abysso incidere in abyssum profundiorem ?... Nihil hujusmodi videt, quia obcæcavit semetipsum... nec novit jam recurrere ad orationem, qua illuminaretur... *Tristatur aliquis vestrum?* Jacob. 5. *Oret*...

Laqueo se suspendit, et suspensus crepuit medius... quasi ad emittendam animam per ventrem, non per os quod susceperat, etsi sacrilege, corpus et sanguinem Domini...

Contemplare horrendum spectaculum hujusce hominis suspensi : quis ille est ? Ad quid vocatus erat ? Quo devenit ? et qua via ?...

Concludam conjiciendo me ad pedes misericordissimi Jesu...

De tribunali Pilati. Prima mysteria.

Pr. 1. Cum in matutino concilio iterum mortis reum pronuntiassent, Jesum duxerunt Judæorum principes ad Pilatum, ut Romanus præses ei crucis supplicium infligeret. Ipsi non intrarunt in prætorium hominis gentilis, ut non contaminarentur. Interroganti Pilato de Jesu crimine, dicunt eum esse malefactorem, et dixisse *se Christum regem esse*. Postquam autem ipsum interrogavit Pilatus de regno, fatetur Judæis *nihil se invenire causæ in hoc homine*. Non tamen liberavit, sed *remisit eum ad Herodem*. Luc. XXIII, 7.

Pr. 2. Ut hæc mysteria passionis Domini spiritualiter gustem et intelligam, cum fructu animæ meæ.

I. Jesus ducitur ad Pilatum; II. Interrogatur de regno suo; III. pronuntiatur innocens.

Joan. 18. I P. TRADUCTIO AD PILATUM. — *Adducunt Jesum in prætorium : et ipsi non introierunt, ut non contaminarentur*... Nolunt intrare in domum hominis gentilis, ne contrahant immunditiem legalem : speciem scilicet externam pietatis servant accurate oculis hominum ; in corde autem mortem Justi meditantur, deicidium committunt... quasi inspector cordium non esset Deus... Non sine causa Matth. 23. profecto dixerat eis Dominus : *Væ vobis, scribæ et pharisæi hypocritæ : quia mundatis quod deforis est calicis et paropsidis : intus autem pleni estis rapina et immunditia... ossibus mortuorum et omni spurcitia*... — Horrenda sane deicida illa hypocrisis sacerdotum legis veteris : at nonne superatur aliquando a sacerdotibus legis novæ ?... An ego satis internam munditiem curo ?...

Si non esset hic malefactor... non tibi tradidissemus eum... O Domine Jesu ! O æterna bonitas et charitas, a quo bona cuncta procedunt, tu malefactor !... — Illum

itaque qui pertransiit benefaciendo, tanquam malefactorem crucifigendum traducunt... Non ignoravit beneficus Dominus hanc sibi mercedem manere ; nec ideo tamen benefacere prætermisit... quia non ob humanam retributionem, sed ex mera charitate et zelo gratuito operabatur, secundum voluntatem Patris... Hanc ego puritatem intentionis imitabor, ut non aliquando misere deceptus inveniar. .

Dicit se Christum regem esse. His verbis perversi homines duo maligne insinuant : primo, Jesum sibi falso arrogasse nomen *Christi,* seu magni Regis a prophetis promissi ; secundo, hunc Regem ejusque regnum esse Cæsari ejusque imperio adversum... Hæc insinuatio pessima fetus est cordis charitate vacui, et invidia atque odio animati... — Charitas enim, si quid dubium est, imo si quid reprehensibile, benignius interpretatur... odium vero, etiam id quod sanctum est, vituperat et pervertit in crimen... Concede mihi, Domine Jesu, ut semper in judiciis ac verbis meis movear spiritu charitatis...

II P. INTERROGATIO DE CHRISTI REGNO. — Spretis reliquis accusationibus, Pilatus solummodo Jesum interrogat de regno : *Tu es*, inquit, *rex Judæorum ? At ille respondens*, ait : *Tu dicis.* Verumtamen *regnum meum non est de hoc mundo...* Fatetur Dominus se regem esse, sed regnum suum non censendum tale qualia sunt regna hujus sæculi. Hæc enim terrena sunt, suum cœleste... illa transitoria, spectantia tanquam finem temporale bonum, quod persequuntur per media mere externa et corporalia... Regnum autem Christi æternum : *Regni ejus non erit finis ;* pro fine habens æternum præcipue hominis bonum, et media adhibens quæ præcipue spiritualia sunt...

Luc. 23. Joan. 18. Luc. 1.

Porro regnum Christi hujusmodi dudum videmus constitutum : nempe Ecclesiam ejus, duplici statu, videlicet in præsenti sæculo militantem... in futuro triumphantem ac gloriosam... O Domine Jesu, fac ut amem ardentissimo amore beatum hoc regnum tuum in hoc mundo, quatenus in eodem cooptari merear in futuro !...

Omnis qui est ex veritate audit vocem meam... Hæc verba indicant regni ejus naturam : est regnum *veritatis :* quo nomine latissimo justitia et omnis sanctitas intelligenda est... An ego sum ex veritate ? An amo, an esurio ac sitio veritatem et justitiam ?...

Quod si tale est Christi regnum, qualis ipse Rex dicendus est ? Rex quidem æternus, verissimus, perfectissimus... at in duplici statu considerandus. Rex enim humilitatis apparet in hoc sæculo... Rex gloriæ in futuro... Quomodo huic Regi adhærere debeo ?... O Jesu, Fili Dei vivi, Rex humilitatis et omnis sanctitatis ac veritatis, tu solus Rex meus et Deus meus ! Tuus sum ego in vita et in morte... ne permittas, quæso, me separari a te...

III P. INNOCENTIA JESU.— *Non invenio in eo causam...* Postquam Dominum semel et iterum examinavit Pilatus, nihil in eo culpæ invenit : utinam et mea innocentia examen sustineat !...

Remisit eum ad Herodem... Si nullam invenit in reo causam, cur non dimittit ?... cur non punit calumniatores ?... cur insontem periculo novi tribunalis tradit ?... Quia debilis ille et ineptus judex aliud quærit quam justitiam... se ipsum nempe intendit et favorem hominum... *Non ambulat simpliciter*, ideo *nec confidenter*.... et in præcipitia corruet... Si ego nullam invenio in Jesu causam ut ei quidquam denegem, cur toties ei quæ a me petit negando displiceo ?...

Prov. 10.

In fine fiat oratio congrua : petatur venia, rogetur auxilium in futurum...

De tribunali Herodis.

Pr. 1. Traductus Jesus ad aulam Herodis, huic regi multum et curiose interroganti nihil prorsus respondit, licet interim a Judæis constanter accusaretur. Demum ab Herode ejusque aulicis spretus est, ac veste indutus alba ad Pilatum remissus. Luc. XXIII.

Pr. 2. Ut adjuvante gratia quam alienissimus sim a spiritu mundano ; utque libenter a filiis hujus sæculi, propter zelum pietatis et labores ministerii sacri, despiciar : nulla tamen ad id per me data occasione.

I. Christus ad Herodem mittitur; II. ab eo interrogatur; III. spernitur.

I P. CHRISTUS IN HERODIS AULA. — Quis Herodes ille ad quem Dominus mitti voluit? Nonne homo mundanus, superbus... sensualis... impudicus?... Iste cum Christo Domino aget... ut pateat quomodo mundani homines Christum excipiant... et ut ego mundum discam detestari.

Herodis aula mundum repræsentat cum suo luxu, superbia, voluptate, injustitia... mundum, qui spiritum Christi non potest accipere... quique Christum Dei Filium ludibrio habet... Huic mundo vano ac perverso debeo sicut Christus adversari: at nonne aliquatenus affinis efficior?...

In illa aula non habitabit æterna Sapientia. *Non invenitur in terra suaviter viventium...* Job. 28.

Spectentur Herodes et Jesus... Quanta discrepantia si considerentur extrinsecus! Herodes apparet purpura et auro fulgens, aulicorum stipatus corona... Jesus autem pauper, amicis destitutus, inimicis circumdatus... Numquid ego externo statu potius ad Herodianos pertineo?...

Quid si considerentur intrinsecus? Herodes et Herodiani sunt sepulchra dealbata, plena peccatorum spurcitiis et mortis putredine... Jesus vero, Filius Dilectus Patris, plenus gratia et veritate, plenus vita vera et felicitate...

Herodes rex est et regnum ejus de hoc mundo... Ex opposito autem apparet Christus Rex, et regnum ejus non de hoc mundo, ut videamus qualia sint... O Domine Jesu! Tu vere Rex meus et Deus meus! Tibi adhærere bonum est: tu pars mea in æternum...

II P. AB HERODE INTERROGATUS. — Herodes cupiebat videre Jesum... Optimum quidem specietenus desiderium, at revera corruptum, utpote prodiens ex corde mundano et carnali. Quare enim Dominum cupit videre, nisi vanæ curiositatis et oblectationis causa?... Non enim cor mundanum appetit Jesum ejusque religionem, nisi quatenus emolumentum aliquod temporale ab eo sperat... *quærens semper quæ sua sunt, non quæ Jesu Christi...* Philipp. 2.

Interrogabat eum multis sermonibus... En loquacitas et multiloquium mundanorum. At quam vanum!... Quid tot sermonibus Herodes quærit? An bonum animæ suæ,

vel commoda populi? An remissionem peccatorum?... Scientiam suam procul dubio ostentat quæstionibus eruditis et curiosis... Libertatem Domino favoresque promittit... interim accusantibus Jesum Judæis...

Huic utrinque multiloquio opponit silentium Dominus : tum Herodis vanis interrogationibus, tum Judæorum accusationibus silentio respondet æterna Sapientia... At Domine, si Herodi indulgentius obsequaris, liberaberis, sin minus, illuderis... Non licet, inquit, projicere margaritas ante porcos, id est, ante homines impudicos et sensuales, quales sunt Herodiani; nec prodere fas est apostolicum ministerium, illud ad complacendum divitibus et magnatibus incurvando... — Ergo mundanis cordibus non loquitur Jesus... Væ homini cui Dominus silet per subtractionem interni luminis!... — O Domine, averte a me tantum malum.

III P. AB HERODE SPRETUS. — Herodes cum suis Dominum sprevit... Mundus cum sequacibus suis spernit Filium Dei, ejus doctrinam, ejus modestiam, humilitatem, paupertatem... spernit ejus veros discipulos, qui has virtutes præ se ferunt: *Verbum enim crucis pereuntibus stultitia est...* 1 Cor. 1.

Induitur veste alba, nempe tanquam fatuus... Et hæc impia ludibria patitur incarnata Sapientia... hæc permittit Pater in Filium suum unigenitum... hæc spectantes non vindicant angeli!... At mox mutabuntur partes : *Væ vobis qui ridetis nunc, quia lugebitis et flebitis...* Luc. 6.

Vestis alba Domini, quam gloriosa! Quis præferret purpuram Herodis?... An ego Domini mei vestibus et insignibus indui cupio? Nonne Jesum humiliatum libenter sequar, cum vera sit via quæ ducit nos ad vitam!...

O Domine mi Jesu! utinam alba vestis innocentiæ sit mihi causa humiliationis et contemptus! utinam dignus inveniar pro nomine tuo contumeliam pati!...

De tribunali Pilati. Barabbas, flagellatio, coronatio.

Pr. 1. Videns Pilatus Jesum ab Herode non esse judicatum, duo adhibuit nova ad eum liberandum

tentamina : gratiæ pascalis et flagellationis. Flagellationi autem addiderunt milites tormentum coronæ spineæ. Joan. XIX, 2.

Pr. 2. Ut hæc mysteria intelligam, magisque Jesum ita pro me humiliatum et cruciatum amem et sequar.

I. Jesus cum Barabba comparatur. II. Flagellatur. III. Spinis coronatur.

I P. BARABBAS. — Remisso ad Pilatum Jesu, Herodes et Pilatus ex inimicis facti sunt amici : quia per summam injustitiam ultro citroque Jesum tradunt et invicem sacrificant... En amicitia mundi, plerumque fundata in iniquitate, in Christi ejusque legis immolatione. — Non aliam, o Jesu, amicitiam quæram quam tuam : tu amicus verus, unicus, electus mihi ex millibus : *Qui invenit te, invenit thesaurum...* Eccli. 6.

Quem vultis dimittam vobis, Barabbam an Jesum ?... Indigne judex, cur calumniatores rogas ut ipsi de innocente Jesu pronuntient ?... — Comparatio ista Jesu cum latrone, ex parte Pilati summa est iniquitas... Potestatem habet, cur ea non utitur ut innocentiam vindicet ?... *Noli quærere fieri judex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates...* Eccli. 7.

Respectu Filii Dei summa injuria et humiliatio, non tantum cum tali homine conferri, sed tali homini postponi .. — Ego autem, si quis mihi, sive juste sive injuste, præferatur, quomodo id ferre et Christum tunc imitari soleo ?... *Ne reputes te aliquid profecisse, nisi omnibus inferiorem te esse sentias...* Kemp. II. 2.

Non hunc, sed Barabbam... Quanta Judæorum iniquitas... ingratitudo... insania !... Horribilem Barabbam præferunt Jesu, suo benefactori, Salvatori, Deo... homicidam Auctori vitæ... Quæ tantæ dementiæ causa ? Nonne in principibus invidia, odium ?... in populo autem excitationes et prava consilia principum ?... quæ non audirent si perversorum hominum consortia fugerent...

Non hunc sed Barabbam... Clamor est iste cujusvis peccatoris, qui, eligendo peccatum præ justitia, obedit diabolo potius quam Deo... præfert satanam ac mundum Jesu

Christo, homicidam Auctori vitæ... ac proin, infernum paradiso... Quoties ego miserrimus peccator tam injuriosam Deo insaniam commisi ?... et qua de causa ?

Mystice vero, nonne Barabbas repræsentat hominem peccatorem universim, quem in die passionis Pater æternus liberat prae Filio suo, pro nobis immolando ?... O misericordia! ut servum, ut peccatorem redimeres, Filium tradidisti!...

II P. FLAGELLATIO. — Hic circumstantiæ cunctæ perpendantur. Quid flagellatio apud Romanos ? Supplicium ignominiosum, crudelissimum... — Quis flagellatur ? Nobilissimus hominum, Filius Dei, innocentissimus, castissimus Jesus, in quo judex iniquus causam nullam invenit... — Quomodo flagellatur ? Immaniter, ac fere usque ad mortem... — Qua patientia sic torquetur ? Constantissima, sicut agnus... — Pro quibus hæc patitur ? O dulcissime Jesu, nonne pro me, qui sæviora merui ?... — Quid hic expiat Agnus immaculatus Dei ? Nonne sensualitatem meam et peccata carnis ?...

Respice, anima mea, Jesum in tormento : Dominus tuus flagellis disrumpitur, et tu carni tuæ blandieris, sensualitati indulgebis... de doloribus quibusvis conquereris ?... Nonne debeo *lavare stolam meam et dealbare eam in sanguine Agni... mortificationem Jesu in corpore meo circumferendo ?...*

Apoc. 7.

II Cor. 4.

O Jesu, per flagellationem tuam dolorosissimam, da mihi participem esse patientiæ tuæ.

III P. CORONATIO. — Crudele hoc imprimis supplicium, quo Dominus expiat peccata capitis... vanitatem ornatus... cogitationes pravas...superbiam, ambitionem... inobedientiam...abusum auctoritatis in superioribus, peccata gubernantium...

Spinea corona, supplicium prorsus inusitatum, singulare, uni Jesu reservatum, utpote magnum continens mysterium. Christo Regi imponitur spinea corona, ut oculis pateat natura principatus ejus in hoc mundo. Qui enim in futuro sæculo est Rex gloriæ, in præsenti apparet Rex humilitatis, patientiæ, paupertatis... Quapropter coronam accipit non lauream, nec floridam, aut auro gemmisque pretiosam... sed spineam, quæ symbolum est humilitatis, patientiæ et paupertatis...

Aspice, anima mea, Regem tuum in hac terra spinis coronatum... An ego ferens coronam clericalem, imaginem coronæ spineæ Pontificis mei, memor sum sub capite spinoso, ut S. Bernardus ait, non decere esse membrum delicatum... vel ambitiosum ?...

O Domine Jesu, pro me flagellate, spinis coronate, fac ut imaginem hanc tui semper præ oculis habeam, ut huic me in omnibus studeam conformare.

De tribunali Pilati. Mysteria ultima.

Pr. 1. Ut regiæ Christi dignitati illuderent, postquam spinis eum coronaverunt protervi milites, arundinem pro sceptro dederunt in dextera, et veste purpurea indutum genu flexo salutarunt, dicentes : *Ave, Rex Judæorum !* Tunc eum Pilatus miserabili ornatu amictum populo produxit, dicens : *Ecce homo !* Clamaverunt illi : *Crucifige eum... Nos habemus legem, et secundum legem debet mori, quia filium Dei se fecit. Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris.* Demum Pilatus sedens in lithostroto, quasi supplicans Judæis pro Jesu, ait : *Ecce rex vester !* At illi : *Non habemus regem nisi Cæsarem.* Quibus auditis, judex indignus lavit manus, dicens : *Innocens ego sum a sanguine justi hujus ;* et assumentibus Judæis in se sanguinem ejus, tradidit eis illum ut crucifigeretur. Matth. XXVII, Joan. XIX.

Pr. 2. Ut hæc mysteria practice intelligam, Judæorum pravitatem detester, Jesum autem magis magisque amem et sequar.

I. Improperia militum. II. Ecce homo. III. Condemnatio.

I P. IMPROPERIA. — Arundinem dederunt in dextera ejus. Sicut in hoc sæculo Rex noster gerit spineum diadema, ita sceptrum arundineum... Arundo, quæ

omni vento movetur, symbolum infirmitatis est et figurat debilia instrumenta, quibus maxima sua opera exequitur
I Cor. 1. Dominus : *Infirma mundi elegit, ut confundat fortia...* At hæc debilia instrumenta debent esse in manu ejus posita, ita ut quacumque in re et quocumque modo possit iis uti... tunc eis communicat omnipotentiam manus suæ... — Si ego, utut infirmus et miser, a terrena radice amoris proprii ac propriæ voluntatis avulsus, per sanctam obedientiam me pono in manu superioris mei qui Christi locum tenet, nonne virtute ejusdem Christi mirabilia operari potero ? An ita sum in manu Domini ? An liberam mei dispositionem ei relinquo ?...

Veste purpurea induitur... Purpura color est sanguinis et ignis. Dominus autem hujusmodi pallio circumdatur, ut intelligamus quomodo totum Ecclesiæ corpus et singula membra complectatur charitate quæ usque ad immolationem et sanguinem procedit... An ego tali charitate omnia Domini membra complector etiam infirma et infima ?...

Ave, Rex Judæorum !.. Quinam ita Dominum ficte et ludicre honorant ? Nonne sacrilegi... hypocritæ... quique irreverenter se habent in loco sancto ?.. — O Domine, te agnosco ut verum meum Regem... te sincere et ex animo, corde contrito et in spiritu fidei honorabo... injuriasque tibi illatas devotione mea reparare conabor.

II P. ECCE HOMO. — Non sine mysterio Christus in illo miserabili statu oculis Judæorum, imo totius mundi expo-
Psalm. 44. nitur. *Ecce !* respice eum, anima mea, intrinsecus, *speciosum forma præ filiis hominum...* et extrinsecus, qualem fecerunt peccata tua... qualem fecit amor ipsius erga te...

Ecce homo ! exemplar meum, qualis fieri debet homo
II Cor. 4. meus externus:.. *Semper mortificationem Jesu in corpore nostro circumferentes, ut et vita Jesu manifestetur in carne nostra mortali...*

Crucifige eum... Quis ita clamat ? Nonne peccator ?... Nonne diabolus et passio prava incitans ad peccandum ?... Melius ego clamabo : Crucifige tu, Domine, veterem hominem in me, cum vitiis et concupiscentiis suis, ut novus homo efficiar similis *imaginis Filii Dei*, nunc humiliati, postea vero glorificati... — Clamabo ardenti zelo ad pecca-

tores : Nolite crucifigere vestrum Dominum amantissimum ; sed potius Jesum omnes agnoscite, amorem ejus poscite, Jesum ardenter quærite, quærendo inardescite... — O Jesu, per sanguinem tuum, corda obdurata emollire digneris.

III P. CONDEMNATIO. — *Habemus legem et secundum legem debet mori :* quia Filium Dei se fecit... id est, debet mori Jesus, quem nolumus agnoscere ut Filium Dei, etsi talem se prophetiis et miraculis probavit... Quæ est ista lex ? Quinam eam tam impie sequuntur ?... Joan. 19

Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris... Argumentum etiam hodie nimis efficax... Caveam ne causam Jesu sacrificem ob amicitiam cujuscumque Cæsaris...

*Ecce Rex vester !...*Accipiantur hæc verba quasi ab æterno Patre prolata : Jesus Rex noster est, verus, legitimus... nunc quidem humiliatus cum suis, postea vero cum populo suo glorificandus... — Hic Rex *vester*, sacerdotes Domini... Rex *vester* quicumque *estis ex veritate* et justitiam sectamini... Alii, qui ea quæ mundi sunt sequuntur, suum quoque regem habent, vel potius tyrannum, principem tenebrarum... — O Jesu, te agnosco ut Regem meum, te sequar quocumque ieris... Ibid.

Non habemus regem nisi Cæsarem. Nolunt agnoscere Regem verum, optimum ; ejus loco Cæsarem accipiunt. Quis iste Cæsar, cui serviunt ?... Nonne mundus et diabolus ?... Quomodo eos reget et salvabit ?... Ego non habeo Regem nisi Jesum, cui servire regnare est, cujus insignia et arma portare gloriabor...

Innocens ego sum... An vere Pilatus ablutione externa manuum suarum innocens efficitur coram Deo ?... Si vult vere justificari, quid agere debet ?... Et ego an externa cæremonia oculis Dei justus ero ?

Sanguis ejus super nos et super filios nostros ! Terribilis vox cujuslibet peccatoris dicentis : quascumque sequelas accepto... dummodo libidini satisfaciam, quodvis periculum, etiam æternæ damnationis incurram...

Tunc ergo tradidit eis illum ut crucifigeretur. Pilatus iniquitatem suam consummat, sicut et alii traditores Domini, sub vano juris prætextu, conscientiam suam voluntarie fallens : *Innocens ego sum...* Ita tu, Domine,

Judæis traderis injuste, ne ego, juste nimis, tortoribus inferni tradar... Concede mihi per sanctissimam tuam mortem, omnia potius pati in hoc sæculo, quam damnationem æternam incurrere per peccatum.

De crucis bajulatione.

Pr. 1. Pronuntiata a Pilato mortis sententia, mox Jesus bajulans sibi crucem, ductus est ad Calvariæ locum, una cum duobus latronibus simul crucifigendis. Crucis autem oneri ne penitus succumberet, in itinere adjutor ei datus est Simon Cyrenensis. Matth. XXVII.

Pr. 2. Ut discam a Domino Jesu crucem meam sancte portare.

I. Crucem suam bajulat Christus. II. Crucem suam bajulare debet christianus.

I P. CRUX A CHRISTO PORTATA. — *Et bajulans sibi crucem exivit...* En Filius Dei cruce sua onustus, sicut sceleratus... in meridiana luce, spectante et maledicente universo populo... Quanta ignominia!... Hanc pateris, o Jesu, pro me, et pro me peccatore !...

Quare autem hoc genus supplicii elegisti ? Nonne ut mihi exemplum proponeres, et ostenderes totam vitam ac perfectionem christianam hoc quasi compendio contineri ?... Hæc utique summa practica doctrinæ Domini, ut nostram cum ipso crucem portemus... Propterea dixit : *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam quotidie, et sequatur me...* Sequatur scilicet me, portans sicut ego crucem suam. Luc. 9.

Et ut intelligamus quomodo crucem nostram debeamus ferre, varia voluit hic nobis exhiberi exempla. Nam duo latrones ferunt quoque crucem quam malefactis meruerunt, at inviti ferunt et blasphemantes... Simon etiam crucem ipsius Domini et pro ipso fert, non sponte quidem, sed acquiescens necessitati... Demum ipse Jesus apparet,

suam crucem acceptans et portans ita, ut nobis perfectionis normam exhibeat...

Quomodo autem crucem acceptat? Nonne intelligens hanc esse suam, sibi destinatam ad redimendum genus nostrum?... Nonne obedienter, et de manu Patris?... nonne cum amore et gaudio spiritus, eo quod sciret thesaurum gloriæ Dei et salutis animarum in ea contineri?...

Quomodo acceptatam portat? Nonne ferventer... fortiter et infracto animo... ac perseveranter, usque ad locum consummationis?... En Rex meus et dux præcedens : nonne eum sequar ex toto corde, ex totis viribus? Da mihi, Jesu, sequi te solum, fortiter ac perseveranter, qui solus es *via et veritas et vita...* Joan. 14.

II P. CRUX PORTANDA A CHRISTIANO. — Quomodo in portanda cruce debeo Jesum sequi? Nonne similiter acceptando... et similiter portando crucem meam?... *meam*, inquam : non qualemcumque, sed *meam*, quam propterea debeo imprimis cognoscere... Jam vero mea crux in complexu consistit officiorum status mei, una cum adjunctis incommodis ac tribulationibus quotidianis... Hæc mihi tollenda quotidie... Hæc *mea* quidem crux est, quia mihi tollenda ; sed eadem *Christi* quoque dicenda, quia ab ipso humeris meis imponitur...

Ut eam sancte portem, cavendum ab exemplo latronum... saltem cum Simone ex necessitate faciam virtutem... at quod optimum est, enitar exemplum imitari divini cruciferi Jesu... Ita Sancti fecerunt, præeunte Paulo, qui dicebat : *Mihi absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi...* Galat. 6.

« Si libenter crucem portas, inquit Kempensis, portabit « te, et ducet ad desideratum finem, ubi scilicet finis « patiendi erit. Kemp. II, 12.

« Si invite portas, onus tibi facis, et te ipsum magis « gravas : et tamen oportet ut sustineas.

« Si abjicis unam crucem, aliam procul dubio invenies, « et forsitan graviorem. »

Quoniam crucem effugere nemo potest, estque necessitas eam portandi, sive cum latronibus blasphemando ad infernum... sive cum Simone murmurando ad purgatorium... sive cum Domino Jesu et Sanctis gaudendo ad

paradisum... nonne præstat cum ultimo comitatu se conjungere ?... Quid ergo faciam ?...

Examina te, anima mea, et vide ad quamnam classem hic pertineas... et an crucem tuam jam vere acceptaveris...

Kemp.ibid. « Pone te ergo, sicut bonus et fidelis servus Christi, ad « portandam viriliter crucem Domini tui, pro te ex amore « crucifixi. »

Angariaverunt Simonem... Dominus, cum potuisset ipse suas vires augere, voluit in ferenda cruce ab homine juvari : ut ostenderet, in opere sanctificationis nostræ se solum non acturum, sed nostram requirere cooperationem... utque intelligamus, nobis bajulantibus crucem præsto fore auxilium, quo eam perseveranter portare valeamus...

O Domine Jesu, da mihi crucem meam cognoscere, amare et sancte tecum portare, omnibus diebus vitæ meæ.

De crucifixione Domini.

Pr. 1. Postquam pias mulieres in itinere gravibus verbis est allocutus Dominus, in locum Calvariæ pervenit : ubi dederunt ei vinum bibere cum felle mixtum; postquam autem gustavit noluit bibere. Tunc crucifixerunt eum inter duos latrones, et imposuerunt super caput ejus titulum, his verbis scriptum : *Jesus Nazarenus rex Judæorum*. Joan. XIX, 19.

Pr. 2. Ut discam a Domino Jesu crucem amare, et ita merear, sicut Apostolus, cruci confixus esse cum ipso.

1. Jesus loquitur mulieribus, II. cruci affigitur.

I P. VERBA JESU AD MULIERES. — In media multitudine insultantium, quædam sunt animæ piæ, commiserantes, plorantes... quas discernit Dominus : et stans, omnibus suis doloribus superior, alloqui dignatur, eadem tranquillitate qua docebat antea turbas in templo... O Domine Jesu,

da mihi misericordi anima passioni tuæ condolere, ut alloquio tuo dignus inveniar...

Nolite flere super me, sed super vos ipsas flete et super filios vestros... id est : filiæ Jerusalem, non tantum compassione pia meos dolores lugete; sed multo magis instantem casum peccatricis Jerusalem, civitatis vestræ, deflete... Deflete, inquam, lacrymis pœnitentiæ vestra et vestrorum peccata, in quo salutari fletu unicum est mali remedium... — Nonne pertinent hæc monita ad omnes animas christianas, quas *filiæ Jerusalem* repræsentabant?... Nonne hortatur nos Dominus, ut non solum passioni suæ condoleamus, quod utique æquissimum... sed etiam et multo magis, de peccatis nostris et fratrum nostrorum lugeamus... faciamusque dignos fructus pœnitentiæ, quibus effugiamus iram venturam... O Domine Jesu, da oculis meis fontem lacrymarum, reple cor meum pœnitentia salutari... Luc. 23.

Quia si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?... Si sic exciditur arbor fructifera, nonne arida excidetur et in ignem mittetur?... Si sic vindicatur peccatum in innocente, quomodo punietur in ipso peccatore peccata sua non deflente?... Nonne ignis æternus illi reservatur?.. O Domine Jesu, da mihi sancte deflere peccata mea... et fructus facere bonorum operum, ne tanquam inutile lignum conjiciar in gehennam... Luc. 23.

II P. CRUCIFIXIO DOMINI. — Obtulerunt ei vinum cum felle mixtum, *et cum gustasset, noluit bibere...* Potus ille offerebatur crucifigendis ad sopiendos eorum dolores : Dominus autem noluit bibere ne ullatenus passionis suæ acerbitatem mitigaret... sed gustavit, ut etiam divinum palatum cruciaretur amaritudine... O Domine Jesu, omnibus in sensibus propter me cruciari voluisti : quomodo te imitari studeo?... Matth. 27.

Quid hoc tormento gustus expiare Salvator voluit?...

Quinam dulcissimo Jesu offerunt potum amarum?... Nonne inter alios ego sacerdos qui, dum deberem eum consolari, tot injurias ei illatas reparando, ipsemet ei amaritudinem propino... preces offerendo, missasque celebrando absque devotione ac reverentia...

Crucifigitur inter latrones, cum sceleratis reputatus...

Quanta humiliatio, o Jesu, o Fili Dei, tolerata propter me! Quamnam deinceps injuriam pati renuam propter te?... Utinam ego, sicut tu, immerito despiciar! et dum dicunt homines omne malum adversum me, id mentientes dicant!...

Crucifigitur, manibus pedibusque perfossis... ut expiet peccata manuum mearum... et gressuum meorum...

Crucifixus erigitur, manetque elevatus, sicut lucerna in candelabro... ut luceat omnibus quæ in domo Ecclesiæ sunt... Suspensus manet inter cœlum et terram ; ut anima mea supra terrena elevetur... quod non fit, nisi cruci affi-
Joan. 12. xa maneat... O Jesu, qui dixisti : *Ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum ;* trahe me, quæso, ad te in beatam crucem tuam...

Jesus Nazarenus rex Judæorum... id est, si sensus vocabulorum spectetur : *Salvator sanctus Rex populi Dei.* Judæi enim sunt, vel saltem censentur esse gens sancta, Deo perfecte serviens... Itaque Jesus crucifixus Rex est hominum perfecte Deum colentium... — At, si habemus Regem crucifixum, an non debemus et nos aliquo modo esse crucifixi? Quod Apostolus in se ostendit : *Christo,*
Galat. 2. 6. inquiens, *confixus sum cruci... Ego stigmata Domini, Jesu in corpore meo porto.*

In fine fiat oratio, qua petam a Jesu crucifixo, ut dignetur me passionis et crucis suæ aliquatenus facere consortem...

De mysteriis in cruce peractis. Verba Domini.

Pr. 1. Dominus in cruce septem verba pronuntiat : quibus scilicet 1° orat pro crucifigentibus se ; 2° latroni parcit ; 3° Joannem Matri suæ commendat et vicissim Matrem Joanni ; 4° exclamat : *Sitio*, et aceto potatur ; 5° dicit se esse derelictum ; 6° postea : *Consummatum est ;* 7° postremo spiritum suum Patri commendat. Luc. XXIII, 46.

Pr. 2. Ut intelligam suprema verba Domini, et ex iisdem fructum uberrimum colligam animæ meæ.

I P. *Pater, dimitte illis: non enim sciunt quid faciunt.* — Luc. 23. En quomodo ipse faciat heroico modo quod verbis docuit... *Diligite*, inquit, *inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos; et orate pro persequentibus et calumniantibus vos*... Matth. 5.

Quinam autem ii sunt pro quibus Dominus orat ? Num solummodo milites crucifixores ?... Judæi adstantes ac blasphemantes ?...

Non enim sciunt quid faciunt... Quanta charitas ! pessimos homines adhuc excusat...

Nesciunt quid faciant... nesciunt quid dicant... non solum Judæi illi qui Regem gloriæ in persona Jesu non cognoscebant... sed et peccatores quilibet ignorant, etsi non inculpabiliter, quid faciant contra Deum... et contra se ipsos...

An ego ignorantiam prætendere possum ?... Vere ego dicere debeo : *Mea culpa, mea maxima culpa*... tu autem, Domine, miserere mei secundum magnam misericordiam tuam...

II P. *Amen, dico tibi, hodie mecum eris in paradiso.* Luc. 23. — Quanta misericordia ! et quanta in tormentis serenitas !... Dum blasphemiis inimicorum non respondet, verbulo credentis, pœnitentis ac deprecantis peccatoris aurem præbet... Quasi dolores suos horrendos non sentiens, placida et vere divina dignitate, in brachiis mortis, loquitur de regno suo, annuit petitioni latronis, et homini peccatis oppleto, sed peccata confitenti veniam perfectam concedit eique paradisum absque purgatorio promittit...

Quis non in tanta bonitate confidat ?... An ego, tum pro me, tum pro aliis, fiduciam habeo in Jesu nullis terminis circumscriptam ?... Da mihi, Domine Jesu, hanc perfectam fiduciam in bonitate tua.

III P. *Mulier, ecce filius tuus... Ecce mater tua.* — Joan. 19. O Beatum Joannem, discipulum castum... cruci adstantem... ideoque prædilectum a Jesu, qui tale ei donum, suam scilicet genitricem in matrem largitur !... Beatos nos omnes, discipulos Domini, qui in persona Joan-

nis accepimus Mariam in matrem !... Verba Jesu, respectu Mariæ, sunt *efficacia*, ipsa efficitur mater nobis, materna cognitione et affectu repletur erga unumquemque nostrum... — Respectu nostri eadem verba sunt adhortatoria, ut induamus sensus filiales erga illam Matrem nostram...

Quomodo ego me erga Beatissimam Virginem habeo ?...O Maria, per illa Filii tui morientis verba quæ audivisti... impetra mihi cor filiale erga te, sicut tu erga me viscera materna geris...

Joan. 19. IV P. *Sitio.* — Quare siti torqueri voluit ? Nonne ad expiandam intemperantiam potus ?... An nihil hic ad me spectat ?...

Non tantum siti corporali uritur Dominus, sed etiam spirituali : *sitit*, id est ardentissime desiderat salutem animarum nostrarum ; sanctitatem cleri sui... fervorem in me sacerdote, bona opera, zelum... An non pro vino charitatis ac zeli ei porrigo acetum amoris proprii et negligentiæ ?... Petatur venia et gratia.

Matth. 27. V P. *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me ?* — Non tantum ab hominibus... sed ab ipso Patre suo quasi derelictus est Dominus, privatus omni consolatione interna... quasi a Patre separatus, nisi quod voluntatis apice ei maneat inseparabiliter conjunctus... quo incomprehensibili martyrio animæ docet nos, *exilium cordis* et internas desolationes sustinere... Fac me hujusmodi derelictionem, o Jesu, tecum patienter ferre...

Kemp. II, 9.

Joan. 19. 17. VI P. *Consummatum est.—Opus* scilicet *consummavi, quod dedisti mihi, Pater, ut faciam*... Omnes, tam boni quam mali, aliquando dicent: *Consummatum est*, finitum est opus meum : at sensu diversissimo... — An ego opus Patris, officia cuncta mihi imposita, ita numeris omnibus absolvere satago, ut aliquando eadem ac Jesus veritate dicere possim : *Consummatum est ?*... Hanc tu mihi, Jesu, gratiam per mortem tuam concedere digneris.

Luc. 23. VII P. *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum.* — Omnes in extremis animam nostram Patri Creatori et Filio ejus Jesu commendare debemus, ut eam tanquam suam suscipiat... Si enim non suscipiatur manibus Dei,quo deveniet ?...At vero,ut possim jure in manus et in domum cœlestis Patris mei suscipi, nonne oportet ut vere

sim ejus filius, et ipse in me imaginem Unigeniti sui reperiat?...

Quapropter me quotidie paratum tenebo, et dicam quasi in hora obitus hæc verba Completorii : *In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum.* Psalm. 30.

O Domine Jesu, fac ut alte inscripta cordi meo maneant novissima tua verba, quibus vitam meam conformando, mortem similem morti tuæ sanctissimæ consequi merear.

De mysteriis in cruce peractis. Injuriæ et prodigia.

Pr. 1. Pendenti in cruce Domino inimici ejus insultarunt blasphemantes, militibus interim vestimenta ejus dividentibus et inconsutilem tunicam sortientibus. Ubi autem emisit spiritum, unus militum lancea latus ejus aperuit. Quæ dum agerentur, visa est lugere natura : sol obscuratus est, petræ scissæ sunt, sepulcra aperta, velum templi scissum a summo usque deorsum ; *omnis* vero *turba eorum qui simul aderant ad spectaculum istud, et videbant quæ fiebant, percutientes pectora sua revertebantur.* Luc. XXIII, 48.

Pr. 2. Ut his mysteriis rite intellectis discam sancte mori, nempe mori peccato, mori affectibus terrenis, ut soli Jesu ejusque amori vivere deinceps possim.

I. Blasphemiæ et injuriæ. II. Prodigia externa. III. Miracula in animabus.

I P. BLASPHEMIÆ ET INJURIÆ – *Prætereuntes blasphemabant eum...* O Domine Jesu ! quis unquam malefactor in supplicio positus, adhuc odio et conviciis ita immisericorditer est impetitus ?... — Calvarius mons figuram hic offert mundi universi, in quo, dum stat permanenter crux Salvatoris, generationes prætereunt... et transeuntes ple- Matth. 27.

rique Filio Dei pro se morienti insultant, ac pereunt... Alii tamen, etsi pauciores, conjungunt se cum Maria et dilecto discipulo, conantes Cor Jesu consolari... Quid ego ?

Matth. 27. *Si filius Dei es, descende de cruce...* Eo tendunt convicia ut de cruce descendat Dominus... at manet et permanet exaltatus, non descendens, sed omnia trahens ad se ipsum... Mihi quoque inclamabit mundus, caro... ut *descendam :* cavendum autem ne minus quam meus Pontifex fixus permaneam.

Ibid. *Milites autem diviserunt vestimenta ejus*, tunicam vero inconsutilem non sciderunt. Vestimenta constituebant cuncta bona temporalia quæ possideret Dominus... Hæc sub ejus oculis diripiuntur, ut omnia pro nobis sacrificet, omnemque injuriam patiatur... nec non, ut velut figura indicetur quomodo corpus Christi mysticum, Ecclesia, propter nomen ejus spoliationem bonorum temporalium pati debeat... utque nos, membra ejus, libenter hujusmodi sacrificia pro Domino toleremus... exemplum respicientes

Hebr. 10. primorum fidelium, quibus Apostolus scribit : *Rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis, cognoscentes vos habere meliorem et manentem substantiam...*

Tunica quæ non scinditur, significatur Ecclesiæ unitas,

Joan. 17. et charitas, nullam patiens divisionem : *Ut sint unum sicut et nos unum sumus...*

Ultima injuria latus Domini perfoditur... ut pateat internum principium immolationis ejus, nempe Cor amore nostri flagrans... — utque mihi ostium refugii in mystica

Psalm. 131. petra aperiatur... *Hæc requies mea in sæculum sæculi, hic habitabo quoniam elegi eam...*

II P. PRODIGIA EXTERNA. — Natura universa luget ob mortem Creatoris sui... præcipue vero ob infandum scelus deicidii... Et ego non lugerem !...

Sol obscuratus est... quasi abhorrens peccatum terræ... et terra universa tenebris cooperitur, ut omnes homines intelligant se reos esse mortis Filii Dei...me non excepto...

Petræ scissæ contritionem demonstrant, quam in durissimis cordibus passio Domini meditata... prædicata... per Viam crucis frequentata operatur...

Sepulcra aperta docent nos, merito passionis Domini, et virtute gratiæ veluti e vulneribus ejus profluentis, ani-

mas, mysteria hæc pie honorantes, exire e sepulcro peccatorum... e sepulcro terrenæ vitæ... e somno tepiditatis...

Velum templi scissum, non tantum veterem Legem, figurativam, morte Domini abrogatam indicat ; sed etiam disruptum esse velamen quo anima impeditur a rerum cœlestium contemplatione... Jam vero velamen istud amor proprius est et sensualis, qui *a summo usque deorsum*, omnino, non ex parte, cum gratia crucifixi Jesu destruendus est... *Animalis homo non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei*... O Domine Jesu, per passionem et mortem tuam adjuva me ad scindendum velum istud omnino, non ex parte, juxta exemplum Sanctorum... I Cor. 2.

III P. MIRACULA INTERNA. — Centurio et socii ejus agnoscunt Jesu divinitatem : *Vere Filius Dei erat iste*... quem non agnoverunt ut Filium Dei, miracula facientem, jam agnoscunt patientem et morientem... Sic nos, si participes crucis Domini fuerimus, efficacius convertemus animas quam miraculis eloquentiæ... Matth. 27.

Qui simul aderant ad spectaculum istud... grande sane spectaculum oculis omnium... præsertim fide illuminatorum...

Ab hoc spectaculo revertuntur *percutientes pectora*... dolentes de peccatis. En fructus præcipuus passionis Domini sancte recogitatæ... Non sic revertuntur a suis spectaculis mundani... pro quibus, utpote miserrimis, debeo orare...

In fine, fervens precatio ad morientem Jesum et ad Matrem ejus dolorosam.. Eia, Mater, istud agas : crucifixi fige plagas cordi meo valide...

De sepultura Domini.

Pr. 1. Joseph et Nicodemus, venia a Pilato impetrata, corpus inanime Domini deposuerunt de cruce in conspectu Matris ejus afflictissimæ. Deinde vero ab iisdem viris divinum corpus sindone munda involutum ad sepulcrum delatum est, unctum aromatibus, linteisque ligatum et ita sepultum. A Judæis

demum, signato lapide, positi sunt custodes ad ostium monumenti. Matth. XXVII, Marc. XV, Joan. XIX.

Pr. 2. Ut salutariter intelligam mysteria sepulturæ Dominicæ, utque cum Jesu in mysticum sepulcrum descendere possim, id est, in humilitatem perfectam.

I. Domini corpus de cruce deponitur; II. sepelitur; III. sepulcrum ejus custoditur.

I P. DEPOSITIO. — Aspice, anima mea, corpus Domini exanime pendens e cruce... en amoris victima, non ex parte, sed totaliter pro me immolata... O Jesu ! quid ego jam sacrificavi pro te ?... Da mihi, quæso, spiritum generosum, spiritum sacrificii...

Corpus Domini exanime, en imago mortis mysticæ, qua vetus, id est terrenus homo moritur, qua ejus oculi rebus externis sunt clausi, aures surdæ, labia muta... ut novus homo rebus interioribus vivat...

Corpus Domini exanime, en quoque imago perfectæ obedientiæ, qua Dei servus se quaquaversus ferri sinit, perinde ac si cadaver esset... An ego sic obedientia moveor ?...

Deponitur a Joseph et Nicodemo, prius tamen licentia petita... ut Dominus, postquam per obedientiam crucem conscendit, non sine obedientia descendat... — Non unus, sed duo viri hoc opus charitatis perficiunt : quia in operibus Dei unio et consociatio optima est : *Ubi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum*... — Quam beati, qui tale obsequium Domino præstare possunt ! Atqui nonne id datur cuilibet infirmos vel mortuos curanti ?... — Corpus meum aliquando similiter deponetur... utinam in cruce mortuum et resurrecturum in gloria !...

Matth. 18.

Mater Jesu recipit Filium suum in ulnas : at quo in statu ?... Videt cominus cruenta, hiantia vulnera... Quam differt circumstantia præsens a præsentatione in templo, a fuga in Ægyptum ! Tunc quidem non sine afflictione erat Mater dolorosa, sed Filius ipsi jucunditati et consolationi manebat, inhærens brachiis sicut flos virginitatis suæ, sicut uva speciosa : *Botrus Cypri dilectus meus mihi*...

Cant. 1.

Nunc vero *fasciculus myrrhæ*... Quis est homo qui non fleret, Christi Matrem si videret in tanto supplicio? Eia, Mater, istud agas, Crucifixi fige plagas cordi meo valide...

II P. SEPULTURA. — Corpus Domini, pretiosa sindone involutum a Joseph, Nicodemo et Joanne inter lacrymas defertur ad sepulcrum. En funus amici, fratris, patris... quod lacrymis piis honoratur : cui utique longe majores fletus debentur quam Judæ illi Machabæo qui generosam mortem pro fratribus oppetiit... At mortuus Jesus dicere videtur flentibus quod vivus dicebat matri viduæ : *Noli flere*... Non enim sepelior nisi ut meliori vitæ resurgam. Et quod mulieribus Jerusalem : *Nolite flere super me*... Luc. 7. Luc. 23.

Ablutum aqua munda divinum corpus aromatibus, magna scilicet copia myrrhæ et aloes per totum conditur et linteis colligatur. Sic corpus Domini mysticum, Ecclesia, myrrha laborum et mortificationum in omnibus suis membris opplendum est... An ego mystica ista myrrha conditus appareo?... — Sic etiam sepelienda est caro, ut corruptionem non patiatur et resurgat ad gloriam : abluenda... myrrha replenda... vinculis charitatis alliganda...

Includitur sepulcro. Mysticum sepulcrum mihi sit Cor tuum, o Jesu, vulnus lateris, foramen petræ... ubi abscondar in humilitate et charitate... *Mortui enim estis, et vita vestra est abscondita cum Christo in Deo*... — Sepulcrum mysticum in profundo et obscuro excisum, intelligitur quoque humilitas perfecta : hoc sepulcrum erit gloriosum, exordium vitæ novæ... Coloss. 3.

III P. CUSTODIA. — Apponitur lapidi sigillum. Diligentissime scilicet spirituale sepulcrum custodiendum, ne a profano mundo violetur... *Pone me*, inquit Jesus, *ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum*... id est, affectus cordis et opera externa signentur sigillo amoris Jesu... Cant. 8.

Constituuntur custodes : en vigilantia... *Vigilate et orate*... — En cordis et sensuum diligentissima custodia... at cum omni fiducia in Domino : nam *nisi Dominus custodierit civitatem, frustra vigilat qui custodit eam.* Psalm. 126.

Concludam oratione ad Virginem Matrem dolorosam, ut impetret mihi gratiam descendendi cum Jesu in sepulcrum perfectæ humiliationis, ex quo resurgam cum ipso in gloria.

De imitatione Christi Domini.

Pr. 1. *Quos præscivit et prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui.* Rom. VIII, 29.

Pr. Ut bene intelligam quomodo Christus sit exemplar nostrum, eumque semper studeam imitari.

I. Christus exemplar. II. Motiva imitandi. III. Imitationis praxis.

I P. EXEMPLAR. — Non tantum dignatus est Deus erudire mundum per doctrinam Christi... sed etiam exemplar ei proponit in persona Christi...

Luc. 2. Nonne Christus est illud *salutare, positum in conspectu omnium populorum?...* Ipse Homo exemplaris, norma perfectionis humanæ, forma divinitus manifestata, ad quam quanto magis quis accesserit, tanto evadet perfectior?...

Nonne exemplar istud excellentissimum est... nobilissimum... omnibusque numeris absolutum?... cum sit ipsa Sanctitas, ipsa Sapientia incarnata...

Nonne exemplar omnis perfectionis ac virtutis, et quidem omnibus hominibus, cujuscumque sint ætatis aut conditionis?...

Factus pro nobis parvulus, per varias vitæ ætates... variasque vicissitudines transire voluit, ut omnibus exemplum daret...

Quænam hominum classis vel conditio in ipso tanquam in speculo non potest contemplari vivendi normam sibi convenientem?... Pueri et adolescentes... ætate provectiores... pauperes et divites... fabriles operarii et mentalibus exercitiis dediti... superiores et subditi... sacerdotes et laïci... in prosperitate vel in adversitate positi... valentes viribus vel ægroti aut moribundi... omnes in Christum oculos conjiciant et sanctitatis ac perfectionis sibi propriæ exemplum affulgebit...

Nonne Christus Dominus exempla exhibet virtutum omnium?... merito vocatus *sol justitiæ*, in quo omnium virtutum radii resplendent perfectissimi... Quanta enim ejus humilitas... innocentia... charitas!...

Nonne exemplum nobis est varia Christi vita?... infan-

tilis, abscondita, laboriosa et publica, dolorosa, dein post resurrectionem gloriosa, imo et eucharistica...

Gratias tibi ago, æterne Pater, quod tale nobis dederis in Filio tuo exemplar perfectionis... Da mihi illud quam studiosissime imitari.

II P. IMITANDI MOTIVA. — Quare Christum Dominum imitari debeo ? Primo quidem, quia hæc est voluntas Dei Patris, tale mihi exemplar proponentis...

Deinde, nonne id maxime gloriosum ? *Gloria* namque *magna est sequi Dominum* ... Eccli. 23.

Imitatio Christi via facilis est et compendiosa omnem perfectionem assequendi : longum enim iter per præcepta, breve et efficax per exempla...

Christianus sum et Christi discipulus : atqui *perfectus omnis discipulus erit, si sit sicut magister ejus*... Quanto magis id valet pro sacerdote ?... Luc. 6.

Quicumque non portat imaginem Filii Dei, non intrabit in gloriam Patris : *Quos* enim *præscivit, et prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui*... Rom. 8.

Si qui non portaverint *imaginem hominis de cœlo cœlestis*, portabunt imaginem *hominis de terra, terreni*... I Cor. 15.

Imo ferent *caracterem bestiæ in dextera manu sua aut in frontibus suis*... Apoc. 13.

Si Christo conformis fuero in humiliationibus, ero et in gloria : *Si enim complantati facti sumus similitudini mortis ejus, simul et resurrectionis erimus*... Rom. 6.

O Domine Jesu, norma divina perfectionis meæ, fac ut nihil aliud in hac vita intendam quam ut me, pro modulo meo, tibi conformem efficiam.

III P. IMITATATIONIS PRAXIS. — *Inspice et fac secundum exemplar*. Primum intuendum est divinum exemplar : sicut pictor et sculptor imitandam imaginem attente... nec semel... considerat ; ita nos in Christum oculos defigere debemus. Exod. 25

Propterea necesse est ut, avertens oculos a vanitatibus sæculi, a distractionibus externis... insistam meditationibus sanctis... et considerem frequenter imaginem Jesu, sive in stabulo nascentis, sive in cruce morientis... sive SS. suum Cor mysticis symbolis nobis exhibentis...

De imagine divinitus inventa SS. Cordis intelligi pos-

II Cor. 3. sunt hæc Apostoli verba : *Nos revelata facie gloriam Domini speculantes, in eamdem imaginem transformamur...*

Expedit quoque exemplum Christi spectare in Sanctorum vita, quasi in speculo relucens... Ita imago solis, in aqua temperatis radiis splendens, consideratur facilius...

Quidquid faciendum patiendumve occurrat, in quacumque vicissitudine me inveniam, dicam : *Quid hic Christus faceret? quid diceret?...*

Dominum debeo imitari in componendo homine meo externo et interno... considerando quomodo ipse, in meo loco ac officio positus, oraret... laboraret... manducaret et biberet... quomodo cum hominibus ageret... quænam essent cogitationes animæ ejus et affectus cordis...

Speciatim imitandus in humilitate, in charitate, in patientia et labore,... in crucis bajulatione...

In hac imitatione ipse Dominus nos sua gratia juvat, dummodo eam petamus.

O Domine Jesu, qui humano generi, et imprimis mihi sacerdoti in exemplar datus es, fac ut te semper præ oculis habeam, et imaginem tuam in anima mea et corpore exprimam perfecte.

De Christo inter homines conversante.

Pr. 1. *Post hæc in terris visus est, et cum hominibus conversatus est.* Baruch. III, 38.

Pr. 2. Ut conversationem Filii Dei in mundo rite perspiciam, et eam quam perfectissime studeam imitari.

I. Conversatio Domini in terris, spectata universe ; II. spectata in particulari.

I P. UNIVERSE. — Si spectetur mysterium Filii Dei inter homines viventis intuitu generali, Homo-Deus in mundo conversatus est, non ut rex terrenus, fastu circumdatus... nec ut vir mundanus, divitiis ac deliciis affluens, passio-

nibus serviens... sed ut homo conditionis humilis, virtutum ac justitiæ cultor perfectus...

Quonam autem vitæ genere virtutem coluit? — Non sicut Præcursor mansit in deserto... sed vitam duxit communem, et quasi in via publica vitæ ambulavit, in qua plerique homines naturæ necessitate ambulare solent...

In hac autem vita communi conditionem elegit pauperem... laboriosam... ærumnosam...

In vitæ genere communi communiter quoque vixit : manducans, bibens, dormiens sicut reliqui homines...nulla gloriæ luce, nulla singularitate insignitus ; sed habitu et cultu externo ut homo vulgaris : *Medius vestrum stetit quem vos nescitis...* — *Venit Joannes Baptista neque manducans panem, neque bibens vinum .. Venit Filius hominis manducans et bibens...* Joan. 1. Luc. 7.

Non dedignatur tanta Majestas misceri cum filiis hominum, creaturis suis... nec, quantumvis oderit peccata, gravatur amice agere, manducare cum peccatoribus...

Conversatur humiliter et suaviter : accessum liberum ad se præbet omnibus, etiam parvulis... — Conversatur modeste, paterne, digne : visus est flere pluries, ridere nunquam...

O Domine, qui actiones communes vitæ modo non communi perfecisti,da mihi omnia opera, omnes qui occurrunt vitæ casus, exemplo tuo sanctificare.

I P. IN PARTICULARI. — Si vita Christi spectetur in particulari et sub respectu morali, nunquam Dominus semetipsum quæsivit, neque commoda sua, sive hæc fortunam, sive sensuum blandimenta, sive famam respicerent... Nunquam vel unam actionem posuit ut hominibus placeret, vel omisit ne displiceret... Deus solus, Deique gloria, voluntas ac beneplacitum, en unicum objectum studiorum ejus... unica regula quam in agendo secutus est... Patris sui negotio atque causæ se, suaque omnia, sine ulla imminutione dedidit et immolavit...

Pietatem ac devotionem in internis animæ dispositionibus præcipue reposuit : in omnimoda subjectione erga Deum, in abnegatione sui continua, in charitate erga homines illimitata...

Præsentem vitam semper aspexit ut viam ac transitum...

ut tempus probationis et præparationis... Semper in æternitatem oculos defixos habens, ea quæ æterna sunt unice curavit... — Interim naturæ sustentacula necessaria concessit ; ultra necessitatem vero nihil... — Illa porro necessaria timentibus Deum non defutura sciens, nunquam de re temporali sollicitus fuit in crastinum...

Eas res libera electione assumpsit, quas homines maxime aversari, nec admittere nisi ex naturæ necessitate solent : pauperiem, labores, ærumnas...— Si delectationes excipias honestas, quæ cibo et quieti naturaliter adjunctæ sunt, et quarum usus severis temperantiæ legibus subjacet ; quæcumque alia delectationum genera, quamvis innoxia, prorsus sibi denegavit...

In verbis atque actionibus omnibus, simplex, planus, sine affectatione ulla fuit aut ambiguitate... Mirabilis opere et sermone, res stupendas veluti communes peragebat ea simplicitate, quæ narratione evangelica apparet expressa...

Peccatores pœnitentia motos summa benignitate ac miseratione excepit... Pharisæos autem superbos, cor suum obdurantes fortissime increpavit : ut scilicet tonitru minarum duritiem eorum frangeret, vel saltem obstacula rumperet quæ ab hypocritis hominibus aliorum conversioni opponebatur...

Mira quoque bonitate vitia sustinuit et defectus hominum, præcipue rudium discipulorum...Quamvis intueretur peccata et cogitationes cordium, quasi fere inscius, omnia prudenter, patienter dissimulavit.

Omnia persecutionum genera invicte passus est : inimicos dumtaxat innocentia sua ac simplici veritate debellando semper superavit... Quando vidit eos malitia obstinatos, silentio usus est, violentiæ triumphum inanem permisit, injustitiæ condonavit ; pro malo bonum reddidit, et pro persecutoribus vitam sacrificavit...

O Domine Jesu, quam sublime, quam perfectum mihi exemplum reliquisti sanctæ in hoc sæculo conversationis ! Da mihi, quæso, non aliam vitæ regulam quærere, et in omnibus divina tua vestigia sequi.

De cognitione Domini nostri Jesu Christi.

Pr. 1. *Hæc est vita æterna ut cognoscant te solum Deum verum, et quem misisti Jesum Christum.* Joan. XVII, 3.

Pr. Ut cum Apostolo eminentem ac vivificam scientiam acquiram Jesu Christi Domini mei, propter quam omnia sunt detrimentum existimanda. Phil. III, 8.

1. Quis et qualis sit Christus Jesus. II. Quæ nobis cum ipso relationes existant.

I P. QUIS CHRISTUS JESUS ? — Si Christi persona spectetur, hæc sane totius generis nostri excellentissima, principes quoslibet, reges, sapientes, sanctos... immensum superat. Solus enim divina luce ac majestate perfusus, inter omnes Adæ filios eminet, sicut luna inter stellas, seu potius sicut sol in firmamento, stellas universas sua luce absorbens...

Nonne Christus est persona divina, secunda sanctissimæ Trinitatis, verus Deus, Patri æqualis ?... Quanta gloria humanæ familiæ, quod inter filios suos Deum recenseat ! *Juda, te laudabunt fratres tui, adorabunt te filii patris tui*... Res quasi fabulosa etsi verissima : humilis iste Jesus Nazarenus verus Deus est, habens naturam divinam cum omnibus attributis atque thesauris suis... Et ille Deus frater noster et caro nostra est !... Adoro te supplex, o Jesu, latens deitas !... Gen. 49.

Eadem persona divina est etiam verus homo, habens naturam humanam nostræ similem, corpore et anima constantem. Hanc Spiritus sanctus humanam carnem efformavit, eique animam indidit qualis Filium Dei, Regem humani generis decebat... Quæ quidem humanitas fuit immolata in cruce... at resurrectione mox gloriose reformata... et Dominus redivivus apparuit Rex gloriæ... *Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre*... Joan. 1.

Si Christi dotes ac thesauri spectentur, hi sunt multiplicis generis : thesauri luminis et veritatis...sanctitatis et virtutum... misericordiæ et consolationum... thesauri gloriæ nobiscum communicandæ...

Si spectetur Christus in vita sua seu existentia, hæc

Hebr. 13. nequaquam limitatur suæ mortalis vitæ spatio... *Jesus Christus heri, et hodie, ipse et in sæcula*... O Domine Jesu, ab initio mundi appares venturus... de te omnes veteris Testamenti paginæ loquuntur.

Præter vitam corporalem, qua paulisper habitavit in nobis... perenniter vivit Christus vita mystica in animabus fidelium, in Ecclesiæ corpore, capite ac membris... Utinam vivat suo Spiritu in me, et vere dicere possim cum
Galat. 2. Paulo : *Vivo autem jam non ego, vivit vero in me Christus*...

Si spectetur Christus in sua doctrina, hæc est imago cordis ejus... tota humilitas et charitas... comprehensa verbo *crucis* et verbo *vitæ*...

Si spectetur respectu Dei, legatus est et Apostolus Dei, idemque Filius Dei proprius et unigenitus : imago Dei invisibilis, splendor Patris et figura substantiæ ejus... Filius Dei naturalis, præ omnibus adoptivis dilectus, in quo sibi Pater bene complacuit...

Si spectetur respectu mundi ac nostri, Christus est mundi Creator ac Redemptor... principium et finis, per quem et propter quem omnia facta sunt... mundi centrum, ad quod omnia convergunt et referuntur... Rex humani generis et innumerabilis militiæ angelorum... Pater quoque noster, frater et amicus... est nobis via, veritas et vita... tota spes nostra, totum bonum nostrum... In Ipso omnia,
Joan. 3. extra Ipsum nihil... *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium*
Rom. 8. *suum unigenitum daret... Quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit ?*...

O Deus meus, quid retribuam ?...

II P. RELATIONES CUM CHRISTO. — Non sunt nostræ cum Christo relationes quasi logicæ, in memoria dumtaxat existentes, quales habemus cum hominibus præteriti temporis, quorum memoriam servat historia. Relationes enim nobis cum Christo sunt præsentes, reales et maxime
Act. 17. actuales : *Non est longe ab unoquoque nostrum : in ipso enim vivimus, et movemur et sumus*...

Nonne totus mundus a Christo pendet, illuminatur, sustentatur ac regitur ?... et judicabitur ?... Sicut sol omnia
Psalm. 18. radiis attingit, *nec est qui se abscondat a calore ejus ;* ita neque impius effugiet actionem Christi...

Nonne Christus Dominus unumquemque nostrum attingit et curat, quasi solum hunc curandum haberet ?... et quidem actu præsentissimo et efficacissimo, non minus quam olim Apostolos et coævos ?...

Nonne attingit nos intrinsecus, in intellectu et voluntate, per gratiam, fidem, spem, charitatem... quibus imbuimur Christi sensibus et affectibus ?

Nonne attingit nos extrinsecus .. per verbum... sacramenta ?... nonne semetipsum nobis venerandum, amandum, juvandum præbet in persona sacerdotum, pauperum, omnium hominum ?...

Attingit utique me Christus Dominus ac Pontifex meus, omni modo ac tempore : videt me, audit, dirigit, adjuvat, consolatur me... manet in me, operatur in me, transformat me in imaginem sui...

O Domine Jesu ! Quam multi hasce dulces tecum relationes ignorant... ac proin thesauros nesciunt quos in te possident !... Oculos habentes non vident, defectu fidei... Adauge, quæso, fidem omnium in te credentium... adauge imprimis fidem mihi, ut te clarius cognoscendo ardentius diligam.

De amore Domini nostri Jesu Christi.

Pr. 1. In memoriam revocabo hæc verba Pauli : *Si quis non amat Dominum nostrum Jesum Christum, sit anathema*, I Cor. XVI, 22.

Pr. 2. Ut magis magisque amore Jesu inardescam.

I. Quare Dominus Jesus amandus sit. II. Quomodo debitus amor Christo Domino sit præstandus.

I P. AMANDI CHRISTI INCENTIVA.— Dominus Jesus Christus amandus est quia amabilissimus, quia nostri amantissimus, quia fons bonorum omnium, quia amore sui mirifice perficit amantes...

1° Quid aliud est Filius Dei incarnatus quam ipsa amabilitas infinita, in humana carne visibilis apparens?... adeo ut nulla ex Adamico genere persona surrexerit, quæ cum

amabilissimo Filio David possit comparari... Ipse vere
Psalm. 44. *speciosus forma præ filiis hominum*... Filius prædilectus in quo sibi Pater complacuit...

Porro Domini amabilitas in utraque ejus natura intuenda.

Si spectetur divinitas, in humili Mariæ filio *inhabitat*
Coloss. 2. *omnis plenitudo divinitatis corporaliter*... O majestas immensa Dei ! o perfectionum omnium oceanus ! o splendores æterni in hoc Filio hominis absconditi !... Adoro te supplex latens Deitas !...

Si spectetur humanitas, sanctissima Christi anima quanta pulchritudine coruscat !... Quod si anima quælibet humana ad imaginem Dei creata, res corporeas omnes, flores, gemmas, astra, specie sua longe superat ; et, ubi gratia sanctificante fuerit dotata, oculis Dei tanquam sponsa jucundissima apparet ; quid de anima Christi dicendum, tot virtutum monilibus decorata ?...

Corpus Christi, ab ipso Spiritu sancto e purissimo Mariæ sanguine formatum, dignum nobilissimæ animæ tabernaculum... habitatio sancta est, inhabitantis animæ illuminata splendoribus... Quod quidem amabile corpus in passione deturpatum... mox in resurrectione fuit gloria et honore coronatum... Cujus gloriæ exiguum quemdam radium ostendere voluit in Transfiguratione.

2° Dominus Jesus nostri est amantissimus. Amor ejus erga unumquemque nostrum, omnem amorem parentum,
Joan. 13. fratrum, amicorum nostrorum immensum superat. *Quum dilexisset suos qui erant in mundo, in finem dilexit eos*... Quam suave est amari sincere a fratre, a matre, a patre, ab homine sapienti, præclaro, principe, rege !... At vero, amari a Filio Dei, a Rege cœli, nonne hoc ineffabile? Thesauros amoris tui erga me, o Jesu, utinam cognoscam!...

3° Dominus Jesus fons est bonorum omnium. Quid ergo quæris, quidve desideras, anima mea ?... Quæcumque legitime concupiscere potes, de plenitudine ejus accipies.
Joann. 14. *Si quid petieritis me in nomine meo, hoc faciam.*

4° Amor Jesu mirifice perficit amantem, quem reddit Jesu simillimum... Jesu, inquam, homini cœlesti, humilitate, mansuetudine, virtutibusque omnibus ornato... reddit similem Jesu crucifixo... ac dein glorioso...

An non igitur, anima mea, Dominus Jesus undequaque est amore tuo dignissimus?... An non necesse ut amorem meum omnem ipsi tribuam atque absolute devoveam?... Petam igitur ab ipso gratiam gratiarum, donum amoris ejus...

II P. QUOMODO AMOR CHRISTO PRÆSTANDUS? — Quomodo Dominum meum Jesum amare debeo? Non sane lingua tantum aut transitorio affectu... sed opere et veritate; sed ex corde : firma nempe voluntate... *Non verbo neque lingua, sed opere et veritate...* I Joan. 3.

Affective et effective : id est, actibus internis... et operibus externis quæ ipsi placeant.

Diligendus Jesus in se, in propria persona, præsertim sub velamine eucharistico... diligendus et in suis : id est in Ecclesia sponsa sua et in membris ejus... in ipsis persecutoribus...

Diligendus a nobis sicut ipse dilexit nos : laborando, patiendo, moriendo pro ipso... An ita eum amo?...

Amorem nostrum demonstremus consolando Jesum et reparando injurias quas patitur... item, pascendo agnos et oves ejus... gloriam ejus semper procurando ac promovendo, præcipue per bonas scholas...

Amor ille Domini Jesu instanter petendus oratione, fovendus meditatione et operibus charitatis...

In fine oratio ad B. Virginem, ut impetret mihi amare Filium suum sicut ipsa amavit... Dein ad Jesum, ut injiciat cordi meo scintillam ignis illius quem attulit in terram, et vult accendi vehementer.

De Christi nobiscum præsentia.

Pr. 1. *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.* Matth. XXVIII, 20.

Pr. 2. Ut vivida fide apprehendam præsentiam Christi nobiscum, et in hujus præsentiæ luce nunquam desinam ambulare.

I. Præsentia Christi realis ; II. Præsentia moralis et mystica.

I P. PRÆSENTIA REALIS. — Magnum fidei dogma est realis Christi præsentia in adorabili Eucharistiæ sacramento : sub speciebus nimirum panis et vini præsens existit cum sua sanctissima humanitate, etsi invisibilis, idem Christus qui olim cum discipulis visibilis conversabatur... idem qui nunc ad dexteram Patris sedet, spectabilis in gloria sua oculis electorum... — Credo, Domine Jesu, sed adauge mihi fidem... adauge fidem omnium in te credentium...

An oculo fidei Jesum in Sacramento latentem intueor, sicut Apostoli oculis corporeis aspiciebant in cœna secum recumbentem ?... An me gero erga Sanctissimum, sicut homo qui ita credit ?... An visito Jesum, sicut visitarem si visibilis in templo maneret ?... An ita adoro, alloquor, consulo, sicut visibilem adorarem, alloquerer, consulerem ?...

O Beatum sacerdotem fide vivida animatum ! Nonne audit indesinenter Jesu vocem : *Venite ad me omnes... et reficiam vos ?... Quid timidi estis, modicæ fidei ?... Ecce ego vobiscum sum...* O Domine Jesu ! *Etsi ambula-*
Psalm. 22. *vero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es...*

Quare ita nobiscum manes, Domine Jesu ?... Ex amore, inquit, quia *deliciæ meæ esse cum filiis hominum...* Nonne
Prov. 8. ergo æquum est ut deliciæ nostræ sint esse cum Filio Dei ?... At, proh dolor ! nonne Dominus derelinquitur solus, et quidem a multis sacerdotibus ?... Nonne parum digno ornatu honoratur ? imo indigno neglectu velut contemnitur ?... An ergo non credis, o sacerdos, Filium Dei esse vere præsentem ?...

Nec tantum realiter præsens nobiscum est Filius Dei cum sua humanitate in Sacramento, sed etiam absque humanitate, realiter et substantialiter præsens est extra Sacramentum, ubique, secundum suam divinitatem. . Nonne cœlum et terram immensitate implet Deus ?... Nonne universus mundus in divina immensitate velut immersus natat, quasi spongia in oceano ?... In omni ergo loco, persona Filii, una cum Patre et Spiritu sancto, præsens est sicut in summo cœlo, licet non sic præsentiam manifestet... ergo etiam in solitudine, in tenebris... ergo ego etiam et

præcipue in corde meo, ubi velut in templo habitare dignatur... — An ubique eum oculo fidei intueor et corde veneror?... præsertim ubi orationi vaco et sacrum officium recito ?...

Da mihi, Domine, spiritum recollectionis, ut semper in luce tuæ præsentiæ maneam et laborem...

II P. PRÆSENTIA MORALIS ET MYSTICA. — Christus Dominus in Ecclesia sua jugiter manet loquens, docens... gubernans fideles... sacrificium offerens, sacramenta administrans... non quidem per se et in propria persona ; sed per vicarios, sua auctoritate munitos... in quorum persona moraliter ipse præsens existit...

Nonne ad omnes suos ministros pertinere voluit hoc verbum : *Qui vos audit, me audit, et qui vos spernit me spernit?*... Ubi ergo loquitur Romanus Pontifex, an vocem ejus audio ut vocem Dei ?... Ubi loquitur in legitima gubernatione episcopus, aut subordinatus superior, vel confessarius... an vocem Christi in eorum voce audio ?... Luc. 10.

An viva fide illam Domini auctoritatem in hierarchico gubernio intueor ?... Quanta consolatio a Domino Jesu gubernari ! *Dominus regit me et nihil mihi deerit*... Psalm. 22.

Nonne Dominus spirituali modo, nempe per charitatem, præsens est et vivit in Ecclesia sponsa sua... et in singulis membris ejus ?...

Nonne qui Ecclesiam persequitur, Christum ipsum persequitur ? *Saule*, inquit, *Saule, quid me persequeris ?*... Act. 9.
Similiter, qui Ecclesiam diligit, Christum diligit... qui pro Ecclesia laborat, patitur, pro Christo laborat et patitur... O Jesu, quis te non diligat in Ecclesia sancta, immaculata sponsa tua, amantissima matre nostra !...

Nonne Christus vivit in singulis Ecclesiæ membris ? *Quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis*... — *Qui susceperit parvulum talem in nomine meo, me suscipit*... Matth. 25. Matth. 18.

An itaque in persona fratrum meorum... pauperum... rudium .. parvulorum... peccatorum, video semper personam Christi ? et ubi adjuvandi sunt, an audio tacitam hanc Domini vocem : *Mihi facis... me suscipis ?*...

Itaque si oculos fidei aperio, ubique et in omnibus Christum cerno....

Da mihi igitur, o bone Jesu, fidem hanc vividam ac practicam, ut te in omnibus videam, in omnibus tibi obediam... in omnibus tibi benefaciam.

De felicissima possessione Jesu.

Pr. 1. Contemplari mente Simeonem in templo, accipientem puerum Jesum in ulnas suas et dicentem : *Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace.* Luc. II, 26.

Pr. 2. Ut intelligam quid sit possidere Jesum ; utque ad hanc desiderabilem possessionem merear pervenire.

I. Quid sit possidere Jesum. II. Quomodo ad possessionem Jesu perventurus sim.

I P. QUID POSSIDERE JESUM ? — Jesus quidem nobis omnibus datus est ab æterno Patre... at non omnes in pos-
Joan. 1. sessionem hujus doni perveniunt : *Sui eum non receperunt...*

Possidebant eum B. Virgo et S. Joseph in Bethlehem... in exilio Ægypti... in domo Nazareth... Quanta cum felicitate videntes eum fruebantur jucundissima ejus præsentia, suavissimo alloquio !...

Possidebat eum Simeon in templo, oculis videns, manibus tenens...

Possidebant eum in vita publica Apostoli, videntes, audientes, assidue cum ipso conversantes... item, Martha et Maria in Bethania... At longe melius divino Magistro fruiti essent, si melius personam ejus cognovissent...

Aliquatenus eum possidebant turbæ Judæorum sequentes eum : quia aliquatenus eum cognoscebant... et ut prophetam Dei ac Filium David divinitus missum habebant...

Scribæ vero et Pharisæi inimici, qui apprehenderunt quidem eum manibus ac tenuerunt vinculis, nullo modo eum possidebant... quia non cognoscebant eum, nolentes credere miraculis... et ut malefactorem, impostorem traducentes...

Etenim possidere Jesum, non est Jesum videre oculis, tenere manibus... sed eum videre fide et amplecti amore *ut Jesum*, id est ut salvatorem ac summum bonum...

Beati in cœlo eum perfecte possident, contemplantes in gloria Patris...

Etiam post Ascensionem possidebant eum B. Virgo et Apostoli, etsi non jam visibilem : scilicet sub velamine fidei... Quam quidem invisibilem possessionem promiserat eis Jesus, dicens : *Non relinquam vos orphanos : veniam ad vos. In illo die vos cognoscetis quia ego sum in Patre meo, et vos in me, et ego in vobis...* Joan. 14. Hanc Christi inhabitationem apprecatur Apostolus fidelibus omnibus, orans Patrem *ut det*, inquit, *vobis Christum inhabitare per fidem in cordibus vestris...* Ephes. 3.

Possidebant similiter Jesum et etiamnum possident omnes Sancti, omnesque christiani homines, spiritu fidei et charitatis animati... possidebant, inquam, eum tum in abscondito animæ suæ, secundum divinitatem... tum sub velamine Sacramenti, etiam secundum humanitatem...

Quam beati, qui hunc thesaurum possident !... quibus datur frui præsentia Jesu, etsi invisibili, frui alloquio, frui omnibus bonis ejus... *Esse cum Jesu dulcis est paradisus.* Kemp. II, 8.

An ego tanti boni sum particeps ?... Quodnam obstaculum ?... Formetur propositum, petatur auxilium gratiæ ..

II P. POSSIDENDI MODUS ET MEDIA. — Triplici modo Jesum possidere possum : in Sacramento : ut victimam... ut cibum animæ... ut amicum et socium peregrinationis ac ministerii mei... — In hierarchica dein auctoritate et obedientia, qua voluntatem Jesu cognosco et amplector... — demum in sanctuario cordis, ubi eum possideo spiritualiter, secundum divinitatem, vi charitatis : *Qui diligit me, diligetur a Patre meo...et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus...* Joan. 14. vi charitatis, inquam, nec non virtute sacræ Communionis : *Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in me manet et ego in illo...* Joan. 6.

Ut autem sic Jesum possideam an requisitas conditiones impleo ? An habeo fidem, sed fidem vividissimam, pene-

Hebr. 6,11. trantem *usque ad interiora velaminis*... quæ *invisibilem tanquam videns sustineat ?*...

An habeo fiduciam, sed fiduciam quæ per assiduam orationem brachio Dei semper innitatur ?...

An habeo charitatem, sed eam quæ pro dilecto omnia sacrificet, ejusque beneplacitum in omnibus amplectatur ?...

Kemp. II,8. An studeo humiliter vivere et quiete, neque in recollectione sancta continere ?... *Esto*, ait Kempensis, *humilis et pacificus, et erit tecum Jesus. Sis devotus et quietus, et manebit tecum Jesus... Potes cito fugare Jesum, si volueris ad exteriora declinare...*

Concludam oratione ad B. Virginem, ut ipsa mihi gratiam impetret possidendi suum Jesum, nec unquam perdendi.

De Christo, sacerdotis exemplari.

Pr. 1. Intueri Christum Dominum in mediis turbis pauperum, infirmorum, discipulorum, puerorum, peccatorum quoque et persequentium : quos docet et sanat omnes; simulque audire hæc æterni Patris verba : *Inspice et fac secundum exemplar*. Exod. XXV, 40.

Pr. 2. Ut hoc exemplar meum rite cognoscam, totaque vita mea et moribus exprimam quam perfectissime.

I. Motiva Christum imitandi. II. Imitationis objectum. III. Imitationis modus et praxis.

I P. MOTIVA. — Si Christus est exemplar humano generi propositum, et omni christiano vi baptismatis imitandum ; nonne peculiari titulo ejusdem imitator esse debet sacerdos vi suscepti Ordinis ?... Quapropter in Ordinatione presbyteris dicitur : *Imitamini quod tractatis*... Imo sacerdos vocari solet : *alter Christus* in mundo...

I Tim. 4. Nonne ipse sacerdos exemplum debet esse fidelium ? *Exemplum esto fidelium in verbo, in conversatione, in*

charitate, in fide, in castitate... At vero exemplum fidelium digne esse non potest, nisi ipsemet sese secundum exemplar Christi componat, ita ut cum Apostolo dicere possit : *Imitatores mei estote, sicut et ego Christi*... I Cor. 4.

Nonne hæc Christi imitatio via facilis et maxime efficax consequendi perfectionem sacerdotalem? Exempla enim trahunt ; et quidem vehementer trahunt exempla Filii Dei, qui simul viam ostendit et tanquam dux prævius ad sequendum excitat... *Si ego lavi pedes vestros Dominus et Magister, et vos debetis alter alterius lavare pedes. Exemplum enim dedi vobis... Amen, amen dico vobis : non est servus major domino suo ; neque apostolus major est eo qui misit illum*... — Da mihi, Domine Jesu, sacerdoti tuo, hæc tua exempla imitari... Joan. 13.

II P. OBJECTUM. — Christus imprimis exemplar est perfectionis sacerdotalis internæ .. In Corde enim Jesu sacerdotalis perfectionis forma spectabilis apparet, in qua tria conspicio : lumen puritatis... coronam humilitatis... flammam charitatis ac zeli...

Christus deinde exemplar est perfectionis sacerdotalis externæ, quæ in externa ejus persona et agendi ratione effulget... Hic autem duo occurrunt imitanda : modestia divina in habitu et verbis... agendi ratio contexta operibus sanctis... oratione... labore... et dolore...

Imitabor ergo Christum Dominum in spiritu orationis... *Erat pernoctans in oratione Dei*... Luc. 6.

Imitabor eum in labore, patientia, humilitate... *Ego in medio vestrum sum sicut qui ministrat*... Luc. 22.

Imitabor in omni opere charitatis... *Pertransiit benefaciendo*... Act. 10.

Præterea Christus exemplar sacerdotis est in vita pastorali. *Ego*, inquit, *sum pastor bonus*... Atqui in hoc divino pastore video imprimis amorem erga gregem... Amat enim omnes et singulas oves tanto affectu, ut pro eis animam ponat...

Video deinde in bono Pastore tria amoris pastoralis exercitia : orationem, adhortationem et donationem. — Orat enim assidue pro grege : *Pater sancte*, inquit, *serva eos in nomine tuo quos dedisti mihi*... — Exemplo et verbo eos docet assidue et hortatur... — Impendit se demum ac Joan. 17.

superimpendit pro animabus, omnia sua dando et sacrificando : ut ego discam, o Jesu, juvante gratia tua, similiter omnia dare, eleemosynas... labores et vigilias... valetudinem... et si res tulerit, ipsam vitam... *Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis...*

III P. PRAXIS. — Ut divinum exemplar suum sacerdos in semetipso exprimat, requiritur imprimis propositum, quo sibi Christum Dominum tanquam exemplum unicum præstituat, cum firmissima voluntate *omnino et non ex parte* sequendi vestigia ejus... spretis exemplis quibuscumque mundanorum ac tepidorum...

An hoc propositum formavi ?

Deinde opus est considerare et imitari assidue exempla Domini, quæ in SS. ejus Corde velut in speculo clarissime refulgent...

In omnibus quoque actionibus, et in casibus qui occurrunt, Christi imitator apud se quærit : *An ita Dominus Jesus ageret ? An hoc modo oraret, loqueretur ?...* Vel *quid hic divinus Magister faceret ? Quomodo sese meo in loco gereret ?...*

O Domine Jesu, illumina mentem meam, ut magis semper et melius lucem exemplorum tuorum videam... Robora vires meas, ut ea sequar perfectius.

De sacerdote altero Christo.

Pr. 1. Spectare Christum in sua humanitate, Apostolis suis, et in horum persona universæ stirpi sacerdotali dicentem : *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos.* Joan. xx, 21.

Pr. 2. Ut intelligam quomodo sacerdos recte vocetur *alter Christus* in terra, utque talem revera me exhibeam qualis nomine prædicor.

I. Sacerdos alter Christus missione ; II. alter Christus ministerio ; III. alter Christus sanctitate.

Joan. 20. I P. SACERDOS ALTER CHRISTUS MISSIONE. — *Sicut misit me Pater,* inquit, *et ego mitto vos... Qui vos audit, me*

audit... Quibus verbis sacerdotes omnes et apostolici viri constituuntur Christi vicarii... ejusque divini operis continuatores... An credo hanc veritatem, quæ ad dogma de Ecclesia pertinet?... Luc. 10.

Christus Dominus cum Salvator esset non unius tantum populi, nec generationis unius, sed humani generis universi... ut suam ipsemet missionem plene perficeret, manere debuisset visibilis in terra usque ad consummationem sæculi. At vero æternis consiliis decretum erat ut, peracto Redemptionis opere, et fundata Ecclesia, ascenderet in cœlum, terraque quoad visibilem præsentiam relicta, sederet ad dexteram Patris... Quapropter in cœlum reversus, cum Evangelium hominibus prædicare, peccata dimittere, aliaque salutis dona conferre, ipse per se jam non posset, homines constituit vicarios, sui vices gerentes... qui suo loco continuarent opus illud ac perficerent... Hi sunt Apostoli, eorumque successores, Episcopi et sacerdotes omnes qui, velut alteri Christi, opus humanæ salutis prosequentur usque ad consummationem sæculi...

Jam vero, horum unus ego sum... constitutus ut alter Christus, Christum repræsentans, Christique potestate indutus... Quomodo merui ut me ad tantam dignitatem eveheret Dominus?... At vero an Christi Domini vivam imaginem in me exhibeo?... Quantum debeo me humiliare, dum video me in tanta sublimitate tantis adhuc miseriis obnoxium!...

Alter Christus sum missione, id est, eamdem ac Christus missionem habens quoad finem et quoad media... ut nimirum salvem animas, et quidem per eadem quibus Christus usus est media : per crucem et labores...

O Domine Jesu, qui me eligere dignatus es ut sim vicarius tuus in terra, adjuva, quæso, infirmitatem meam, ut vere in me imago tuæ sanctitatis resplendeat...

II P. ALTER CHRISTUS MINISTERIO. — Nonne ministerium Christi a sacerdotibus continuandum, ministerium prorsus sacrum est?... Nonne ministerium animarum?...

Quod si sacrum, nonne quæcumque profana sunt a sacerdote aliena esse debent?... *Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus : ut ei placeat cui se probavit... Profana et vaniloquia devita...* II Tim. 2.

Quod si sacerdotale ministerium est ministerium animarum, nonne in salvandis animabus unice sacerdos occupari
Luc. 2. debet? Sicut Christus, dicens: *In his quæ Patris mei sunt oportet me esse*... Hic fructus, quem sacerdos produ-
Joan. 15. cere tenetur... *Ego elegi vos*, dicit Dominus, *ut eatis, et fructum afferatis, et fructus vester mancat*... Opus sane grande, fructus pretiosus!...

Porro ministerium illud a sacerdote implendum, tum
Synod. Turon. 1537. docendo, non voce tantum sed et exemplis: *Liber* enim *laicorum est vita clericorum*... tum laborando, scilicet administratione sacramentorum... omnique charitatis exercitio...

In his, non in aliis... *oportet me esse*...

II P. ALTER CHRISTUS SANCTITATE. — Christi sanctitas duo continet: innocentiam et justitiam. Innocentia intel-
Hebr. 7. ligitur puritas ab omni peccato... Christus namque *pontifex* est *sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus*... Talis esse debet sacerdos: et talis fiet per odium et fugam peccati...

Justitia intelligitur virtutum omnium splendor. Christus nonne est *sol justitiæ*, omnibus sanctitatis refulgens radiis, exemplar virtutum omnium?... Quod imitari debet sacerdos, ut fulgeat ipse tanquam lucerna e Christi lumine accensa, et luceat omnibus qui in domo sunt... Talis autem apparebit, si sit vir, ut Ecclesia canit, *pius, prudens, humilis, pudicus, sobriam ducens sine labe vitam*... Talis iterum erit, si cor suum interius Cordi Jesu... et mores externos moribus ac vitæ Jesu studeat conformare...

Intelligo, Domine Jesu, et video hoc unum mihi esse necessarium... in hoc, non in alio oportet me esse, ut efficiar alter Christus sanctitate. Magna quidem res et ardua; sed qui dignatus es me ad hanc sublimitatem vocare, tu idem utique juvabis me, sicut adjuvisti Apostolos, ut qualis esse debeo efficiar, alter Christus in terra.

De dignitate sacerdotis.

Pr. 1. *Nimis honorificati sunt amici tui, Deus: nimis confortatus est principatus eorum.* Ps. 138.

Pr. 2. Ut dignitatem sacerdotii mei in spiritu fidei perpendendo et intelligendo, digne ac sine macula geram, proque tanto dono debitam Deo gratitudinem exhibeam.

I. Dignitas sacerdotalis spectata in se ; II. spectata comparative.

I P. IN SE. — Nonne sacerdotalis dignitas omnino summa in hoc mundo intelligitur, quippe quæ altissima participatio sit dignitatis Christi... ordinetur ad altissimas functiones .. sacerdotem constituat Dei repræsentantem, ducemque et caput populi christiani ?...

1° Præter dignitatem personæ, qua Christus est Filius Dei, et quam communicat fidelibus omnibus in adoptione baptismali... dignitatem alteram possidet, qua Salvator est ac regius Sacerdos... Hanc communicat viris dumtaxat electis, quibus imprimit characterem potestatis suæ. . O si sacerdotii characterem animæ impressum spectare oculis liceret, quam divinum splendorem videremus, quam expressam similitudinem Christi !... Nonne de hac præcipue suæ dignitatis communicatione quam discipulis dedit, dicebat Dominus : *Pater, claritatem quam dedisti mihi dedi eis* ?... Joan. 17.

2° Nonne sacerdotium ordinatur ad altissimas functiones, nimirum ad sacrificium novæ Legis Deo offerendum... ad Evangelii prædicationem... ad remissionem peccatorum?..

Quam magnus oculis fidei sacerdos Domini, dum adstat altari, inter angelos invisibiliter adorantes, res divinissimas manibus tractans !... Vel dum in sacro pulpito verbum Dei annuntians, *pro Christo legatione fungitur*... aut II Cor. 5. dum in tribunali pœnitentiæ remittens peccata, potestatem divinam exercet !... *Quis potest dimittere peccata nisi solus Deus* ?... Marc. 2.

3° Nonne sacerdos constitutus est Dei repræsentans, dux et caput populi christiani ?... Si quilibet legitimus superior Deum aliquo modo repræsentat, nonne sacerdos singulari

prorsus modo Dei personam refert?... nempe ut alter Christus in mundo?... Si populus christianus est *genus electum, regale sacerdotium, gens sancta*... hujusmodi populi sancti, regalis, ducem esse ac principem, quanta dignitas !.. Nonne supereminet sacerdos simplices fideles, sicut pastor ovium pecora sua ?...

Pet. 2.

Merito igitur sacerdotes novæ Legis a Spiritu sancto vocantur *Dei adjutores, Dei legati, dispensatores mysteriorum Dei, homines Dei, angeli*... At si tanta ac tam excelsa est mea dignitas, an etiam virtute ac sanctitate sum supra homines elevatus ?...

II P. COMPARATIVE. — Si comparentur sacerdotes angelis, his quidem cedunt dignitate naturæ, præstant vero dignitate ministerii... Si regibus, iis cedunt potestate in corpora, præstant vero potestate in animas... « Hominibus « sacerdotibus, inquit S. Chrysostomus, datum est ut po- « testatem habeant, quam Deus optimus neque angelis « neque archangelis datam esse voluit. Habent quidem et « terrestres principes vinculi potestatem : verum corpo- « rum solum : id autem quod dico sacerdotum vinculum « etiam animam contingit, atque ad cœlos usque perva- « dit... »

De sacerd. l. 3. c. 3.

Si sacerdotes comparentur Apostolis, nonne eis sunt dignitate æquales ? Quid enim sunt nisi Apostolorum successores, in gradu tamen cujusque proprio ?... Nonne sæculo XIX sunt in mundo moderni sacerdotes, quod erant Apostoli in sæculo I ?...

Quid, si sacerdotes comparentur Christo ? Nonne ipsius Christi dignitatem attingunt ?... Nonne sunt Christi vicarii, potestatem illam per participationem habentes, quam Christus habet per naturam ? Quid sunt, nisi alteri Christi in mundo ?...

Si tanta est, tam sancta, tamque divina sacerdotalis dignitas, digne quoque et sancte est gerenda, juxta vulgatum S. Leonis verbum : *Agnosce, christiane*, a fortiori, agnosce, sacerdos, christianorum dux et caput, *dignitatem tuam, et divinæ consors factus naturæ, noli in veterem vilitatem degeneri conversatione redire.*

Addatur oratio finalis, qua petatur gratia materiæ meditationis congrua.

De perfectione sacerdotali.

Pr. 1. *Perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus.* II Tim. III, 17.

Pr. 2. Ut perfectionem sacerdotis probe intellectam concupiscam ardentius, et efficacius prosequar.

I. An sacerdos perfectus esse debet? II. In quo perfectio sacerdotalis consistit? III. Quibus mediis assequenda?

I P. NECESSITAS PERFECTIONIS IN SACERDOTE. — Ad sacerdotem procul dubio peculiariter pertinet illud: *Estote vos perfecti, sicut et Pater vester cœlestis perfectus est...* Matth. 5. Perfectus scilicet sacerdos esse debet, non tantum perfectione christiana, quæ in eminenti sanctitate consistit... sed et perfectione sacerdotali, quæ sacerdoti propria est, quæque complectitur artem artium, regimen animarum... *Perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus.* II Tim. 3.

Perfectus sit oportet ratione ministerii, ut illo digne, tute ac fructuose fungatur... Propter sacri ministerii dignitatem, major sacerdoti, imo cuilibet clerico sanctitas inesse debet, quam simplici religioso, qui clericus non sit. Atque hæc doctrina S. Thomæ, sic scribentis: « Per « sacrum ordinem aliquis deputatur ad dignissima minis- « teria, quibus ipsi Christo servitur in Sacramento altaris: « ad quod requiritur major sanctitas interior, quam re- « quirat etiam religiosus status »... cum hic per se non sit nisi tendentia ad perfectionem, et exercitium perfectionis acquirendæ...

Perfectus sit oportet ratione exempli. *Exemplum esto fidelium...* — *Pascite qui in vobis est gregem Dei... forma facti gregis ex animo...* 1 Tim. 4. 1 Pet. 5

An ad hanc perfectionem saltem aspiro et enixe contendo?... Quæ media adhibeo?... Tu, Domine, adjuva servum tuum: *Custodi animam meam, quoniam sanctus sum...* Psalm. 85.

II P. NOTIO PERFECTIONIS SACERDOTALIS. — Si speculative spectetur, perfectio sacerdoti propria consistit, tum

in conjunctione scientiæ ecclesiasticæ et sanctitatis... tum in recto exercitio zeli...

Scientia cum sanctitate jungenda. Sicut enim humanæ naturæ perfectio ex corpore et anima, ita fere sacerdotalis perfectio ex scientia simul et sanctitate consurgit...

Exercitium zeli, seu ars salvandi animas divinamque gloriam procurandi, propria est sacerdotis operatio. Ad hoc enim in mundo constitutus est, ut cum Christo opus Dei perficiat, procuretque salutem animarum... sicut sal ad saliendum, et lucerna ad lucendum, ita destinatus ad salvandas animas, ad aliud nihil... *Quod si sal evanuerit, ad nihilum valet ultra, nisi ut mittatur foras et conculcetur ab hominibus...*

Matth. 5.

Perfectionis sacerdotalis duæ sunt partes : una respicit sanctificationem propriam hominis sacerdotis... altera sanctificationem aliorum... — Prior est perfectio personalis, altera pastoralis... — An utramque consequi studeo ?...

Practice spectata, perfectio sacerdotis in adimpletione consistit omnium officiorum ejus...

Officia autem hujusmodi ad quatuor revocantur capita, prout respiciunt Deum, se ipsum, proximum et ministerium.

Respectu Dei, servanda est a sacerdote animæ puritas, pietas, et quidquid ad pietatem ejusque exercitia pertinet...

Respectu sui, castitas, mortificatio et reliquæ virtutes personales...

Respectu proximi, universa charitatis exercitia et opera...

Respectu ministerii, laboris assiduitas et zeli exercitium, cujus objectum est quidquid ad sanctificationem pertinet animarum ipsi concreditarum...

An illud unum intendo et quæro, ut universa hæc officia cognoscam, eademque impleam strenue ac fideliter ?...

Quodnam hic auxilium a Domino poscendum ?...

III P. MEDIA. — Ut ad tantæ perfectionis altitudinem perveniamus, duo concurrunt : ex una parte, divina gratia, quæ præsertim in sacris Ordinationibus datur... ex altera

vero, cooperatio ordinati, qui susceptum in sacramento velut semen excolere ut crescat... immissam velut scintillam fovere debet ut exardescat...

Quod quidem efficitur per orationem assiduam... per assiduam in se vigilantiam... et per assiduum laborem...

An hæc media hactenus adhibui?... Quid in posterum?...

In fine, oratio ad B. V. Mariam... et ad Pontificem meum Jesum Christum, ut qui dignatus est me ad sacerdotium vocare, ad ejusdem quoque perfectionem consequendam adjuvare dignetur.

De perfectione sacerdotali, practice spectata.

Pr. 1. *Perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus.* II Tim. III, 17.

Pr. 2. Ut intelligam qualis esse debeat sacerdos secundum cor Dei, ad eamque perfectionem constanter aspirem.

I. Quid esse debeat sacerdos. II. Quid debeat facere. III. Quomodo præstare possit utrumque.

I P. IN SUA PERSONA. — Sacerdos novæ Legis, secundum formam Christi et Apostolorum, esse debet *homo Dei perfectus :* videlicet

Vir conscientiæ puræ : quæ supponit odium peccati profundum, et fugam tepiditatis... Porro conscientia pura nequaquam intelligitur scrupulosa. Removendus est scrupulus, nempe timor inanis ne subsit peccatum, ubi satis constat peccatum non esse. Tunc autem constat sufficienter, quando prudens director ita pronuntiat.

Vir orationis et pietatis... qui scilicet orationi sit assiduus, et amorem habeat rerum ad Deum pertinentium... Porro spiritus orationis et pietatis radicem habet in fide vivida... et externe tum verbis, tum religionis exercitiis manifestatur...

Vir scientiæ et prudentiæ... non multiloquus... sed multum audiens multumque considerans...

Vir zeli et laboris... ad laborandum enim missus est pro salute animarum. Labor sit assiduus et ordinatus; qualis erit si dirigatur examine prævisionis, quo singulis diebus mane, quæ interdiu agenda sunt disponuntur...

Vir obedientiæ et charitatis... In obedientia enim tanquam in fundamento ædificatur Ecclesia, et in eadem virtute totum opus Dei innititur... Quo spectat statutorum diœcesis observatio... — Charitas exercenda est erga inferiores et æquales seu confratres... charitas sufferentiæ, beneficentiæ, et unionis cordium... *ut omnes unum sint.*

Joan. 17.

An talis ego sum?... Petam a Deo ut talis efficiar...

II P. IN SUIS OPERIBUS. — Quid facere debet sacerdos respectu Dei? Perficere debet quam sanctissime opera religionis præscripta : videlicet celebrare missam... recitare divinum officium... deinde etiam opera pietatis libera : meditationem, examen conscientiæ, rosarium, Viam crucis...

Quid respectu fidelium? Debet exemplo prælucere... et lucrari corda... — bene conversari inter homines, sicut conversatus est ipse Christus, qui amans solitudinis, inter homines vivebat *loquens de regno Dei*, nec adibat domos ad confabulandum, sed solum ad lucrandas animas...

Act. 1.

Debet dein bene docere et curare scholas...

Rite administrare sacramentum pœnitentiæ et dirigere animas in via virtutis...

Diligenter fovere pietatem in parochia, per confraternitates ac congregationes... per devotionem erga SS. Cor Jesu et SS. Sacramentum... per Viam crucis... per sacratissimum Rosarium et pietatem erga Beatam Virginem... per splendorem cultus... per extraordinarias conciones et missiones suo tempore procurandas...

An omnia ista præstiti? Quidve ex iis neglexi?...

III P. MEDIA. — Imprimis ex parte sacerdotis requiritur firmum et efficax propositum impendendi se constanter iis omnibus, quæ Deus a sancto sacerdote postulat... Hoc, inquam, ex parte sacerdotis requiritur; nam ex parte Dei non deerit gratia... cujus in sacra Ordinatione pignus accepit...

Deinde practica et necessaria media adhibenda sunt :

meditatio... examen conscientiæ... ordo vitæ... confessio sacramentalis singulis hebdomadis instituenda... recollectio menstrua et etiam hebdomadaria... temperantia in cibo, somno et recreatione... mortificatio et usus pœnitentiæ corporalis... labor et studium...

An hujusmodi media generose et constanter adhibeo ?... Quid in posterum ?...

Video, Domine Deus meus, et confiteor, me longe ab illa sacerdotali perfectione distare... et plurima in me desiderari ex illis quæ a sacerdotibus tuis postulas ; sed volo me in hanc perfectionem ex animo impendere, omnia officia rite implere, omniaque idonea media deinceps adhibere... Adjuva me, quæso, auxilio gratiæ tuæ...

De sanctitate sacerdotali. Necessitas.

Pr. 1. *Secundum eum qui vocavit vos, Sanctum, et ipsi in omni conversatione sancti sitis ; quoniam scriptum est : Sancti eritis, quoniam ego sanctus sum.* I Pet. I, 16.

Pr. 2. Ut intelligam quam necessaria sit in sacerdote Domini sanctitas, et efficaci desiderio ad eam semper aspirem.

I. Sanctitas sacerdoti necessaria ratione Dei ; II. Ratione Ecclesiæ et animarum ; III. ratione ministerii ; IV. ratione suimetipsius,

I P. RATIONE DEI. — Sanctitas sacerdoti necessaria est ratione Dei sanctissimi, quem repræsentat et cujus est minister... *Sancti estote, quoniam ego sanctus sum, Dominus Deus vester...* — *Sacerdotes tui induantur justitiam...* Levit. 19 Psalm. 131.

Quanta requiritur animæ puritas, vitæ sanctitas ministro Dei altissimi ?... *Quis ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto ejus ? Innocens manibus et mundo corde...* — *In omnibus*, inquit Apostolus, *exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros, in multa patientia... in laboribus, in vigiliis, in jejuniis, in castitate,* Psalm. 23. II Cor. 6.

in scientia, in longanimitate, in suavitate, in Spiritu sancto, in charitate non ficta, in verbo veritatis, in virtute Dei...

An talem me Dei ministrum exhibeo?... Ut id efficere valeam, divinum auxilium implorabo per intercessionem S. Pauli.

II P. RATIONE ECCLESIÆ. — Nonne sanctimonia vitæ sacerdos Ecclesiam honorare debet et ædificare?... *Tu autem, o homo Dei*, scribit Paulus ad Timotheum, *sectare*
I Tim. 6,4. *justitiam... exemplum esto fidelium...* — Quapropter sic
Sess.14.de Reform. loquitur Tridentina synodus : « Monebunt Episcopi suos « clericos, in quocumque ordine fuerint, ut conversatione, « sermone et scientia, commisso sibi populo præeant, me- « mores ejus quod scriptum est : Sancti eritis, quia et ego « sanctus sum. »

Sacerdos sanctus nonne est Ecclesiæ decus et ornamen-
Prov. 10. tum, consolatio et gaudium ?... *Filius sapiens lætificat patrem : filius vero stultus mœstitia est matris suæ...* Sacerdos indignus utique *mœstitia est*, afflictio et opprobrium Ecclesiæ, *Matris suæ...* et velut ignominiosa macula super vestem candidam Sponsæ Christi... est Judas proditor... Lucifer de cœlo lapsus... lucerna extincta... sal infa-
Matth. 5. tuatum, *ad nihilum valens ultra, nisi ut mittatur foras et conculcetur ab hominibus.*

III P. RATIONE MINISTERII. — Ut ministerium sacrum exerceatur digne, nonne requiritur sanctitas in ministro?...
Levit 21. In antiqua Lege *dixit Dominus ad Moysen : Loquere ad sacerdotes filios Aaron, et dices ad eos : sancti erunt Deo suo et non polluent nomen ejus : incensum enim Domini, et panes Dei sui offerunt : et ideo sancti erunt... Omnis qui habebit maculam in semine Aaron sacerdotis, non accedet offerre hostias Domino, nec panes Deo suo...* — Si hæc in Lege veteri, quid in nova?... Quid sacrificio Eucharistico divinius?... Quid sacramentis omnibus venerabilius, quibus velut cœlestibus vasis divina gratia dispensatur ? Nonne ergo novæ Legis sacerdotibus præci-
Isaï. 52. pue dictum est : *Mundamini, qui fertis vasa Domini?...*

Quod si spectetur ministerium verbi, merito sane Ecclesia sacerdotes suos orare jubet : *Munda cor meum ac labia mea, omnipotens Deus, qui labia Isaïæ prophetæ*

calculo mundasti ignito. Ita me tua grata miseratione dignare mundare, ut sanctum Evangelium tuum digne valeam nuntiare...

Deinde, qui legem Dei prædicat aliis, nonne ipsemet debet legis servandæ exemplum dare?... Secus enim exprobrationem incurret Apostoli : *Qui alium doces, te ipsum non doces... qui in lege gloriaris, per prævaricationem legis Deum inhonoras. Nomen enim Dei per vos blasphematur...* Rom. 2.

Quod ad sacramenta spectat, *sic ministrent*, inquit Apostolus, *nullum crimen habentes*... Imo ut administrentur fructuose, nonne requiritur in ministro sanctitas ? Non quidem valor sacramenti, qui prodit ex opere operato, sed fructus in animabus, præsertim respectu sacramenti Pœnitentiæ, nonne magna parte dependet ab opere operantis ?... Quid hic mihi corrigendum ? Quæ gratia petenda ?... I Tim. 3.

IV P. RATIONE SUIMETIPSIUS. — Sanctitas sacerdoti necessaria est ut tutus sit a periculis quæ in ipso ministerio sacro occurrunt... Si enim debilis in virtute fuerit, si passiones minus mortificatione subegit, si orationi parum deditus, laqueos diaboli non vitabit... — Demum sanctitas ei necessaria est ut sit felix, ut pace conscientiæ et consolationibus Domini sui fruatur.

Conjiciam me demum ad pedes Jesu, Pontificis mei, dicens : O Jesu, *Pontifex sancte, innocens, impollute, segregate a peccatoribus*, qui dignatus es me facere sacerdotii tui participem, fac me quoque participem sanctitatis tuæ : *Custodi animam meam quoniam sanctus sum...* Hebr. 7. Psalm. 85.

De sanctitate sacerdotali. Notio.

Pr. 1. *Non accendunt lucernam et ponunt eam sub modio ; sed super candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo sunt.* Matth. v, 15.

Pr. 2. Ut intelligam qualis et quanta sanctitas in sacerdote requiratur, et ad eam omnibus mediis contendam.

Requiritur in sacerdote I. sanctitas solida, II. exemplaris, III. sanctitati ipsius Christi simillima.

I P. SANCTITAS SOLIDA. — Sanctitas seu virtus solida ea est, quæ non vincatur tentationibus carnis vel diaboli...

Kemp.I,13. *Omnes sancti*, inquit Auctor Imitationis, *per multas tribulationes et tentationes transierunt et profecerunt; et qui tentationes sustinere nequiverunt, reprobi facti sunt et defecerunt...*

Joan. 16. Virtus solida nec vincitur illecebris mundi... *Vos de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo...*

Rom. 12. Virtus solida non magis vincitur contradictionibus... sed *vincit in bono malum...*

Virtus solida ea est quæ fundatur in humilitate... in

Prov. 21. abnegatione... in obedientia... *Vir obediens loquetur victoriam...*

Virtus vere solida esse demonstratur, si fortiter labores... humiliationes... tribulationes sustineat...

An hujusmodi signa virtutis solidæ in me reperio?...Suppliciter a Domino petam ut meam infirmitatem corroboret...

II P. SANCTITAS EXEMPLARIS. — Non sufficit sacerdoti virtus communis... qualis est boni christiani, qui Dei mandata custodit, nec peccatum mortale committit...

Requiritur autem virtus eminentior, quæ dux populi Dei fidelibus sua luce præfulgeat... Nonne ad sacerdotes pertinent verba hæc : *Vos estis lux mundi...* — *Exemplum esto fidelium...* — *Pascite qui in vobis est gregem Dei, forma facti gregis ex animo ?...*

Matth. 5. I Tim. 4. I Pet. 5.

Div. Hierarch. 1. *Qui sacerdotem dicit*, inquit S. Dionysius, *augustiorem prorsusque divinum insinuat virum...*

S. Gregorius dignum Domini sacerdotem vocat virum,

Cura past. p.1. c. 10. *qui cunctis carnis passionibus moriens, jam spiritualiter vivit; qui prospera mundi postposuit, qui nulla adversa pertimescit, qui sola interna desiderat...*

Quam longe adhuc disto ab hac exemplari virtute !...

Psalm. 118. Deus meus, tu scis paupertatem meam... *aspice in me, et miserere mei...*

III P. SANCTITAS, CHRISTI SANCTITATI SIMILIS. — Nonne oportet ut sacerdos quilibet dicere possit cum Apostolo :

I. Cor. 4. *Imitatores mei estote, sicut et ego Christi ?...* sanctitatis scilicet Christi vivam imaginem exprimendo...

Atqui Christi sanctitas excludit omne peccatum, et includit omnem virtutem... Quapropter, ut huic exemplari conformis sit sacerdos, requiritur in eo :

1° Magna innocentia et conscientiæ puritas...

2° Complexus virtutum omnium, quæ in Christo, Sole justitiæ, resplendent... Ideo in ordinatione sic presbyteris suis Ecclesia precatur : *Innova, Domine, in visceribus corum Spiritum sanctitatis... eluceat in eis totius* Pontific. *formæ justitiæ...* — Jam vero, in virtutum multitudine distinguuntur duæ fundamentales, quinque sacerdotales, et quinque pastorales.

Virtutes fundamentales, in quibus reliquæ innituntur, sunt humilitas et charitas...

Sacerdotales, stricto nempe sensu, quæ sacerdoti peculiariter sunt propriæ, recensentur puritas, pietas, charitas, spiritus laboris et zelus...

Pastorales : charitas pastoralis, vigilantia item pastoralis, ars correptionis, fortitudo juncta cum suavitate, prudentia...

Intelligo, Deus meus, hanc splendidam virtutum congeriem levem duntaxat exhibere imaginem sanctitatis illius, qua sacerdos novæ Legis apparere debet lux mundi et alter Christus in terris... Da, quæso, ut virtutes illas, quarum mihi per sacramentum Ordinis infudisti germina, quotidiano excolam exercitio, quotidiana patientia... et quotidianis quoque, te largiente, incrementis.

De scientia sacerdotali. Necessitas, objectum.

P. 1. *Labia sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent ex ore ejus : quia angelus Domini exercituum est.* Malach. II, 7.

Pr. 2. Ut intelligam quantopere scientia sacra mihi necessaria sit, utque perseveranti zelo eam excolere studeam.

I. Scientiæ in sacerdote necessitas. II. Ignorantiæ mala. III. Scientiæ sacerdotalis objecta.

I P. NECESSITAS SCIENTIÆ. — Scientia sacerdoti necessa-

ria est ut debite Deum honoret, rite scilicet et sancte divina mysteria tractando...In Ordinatione presbyterorum, ordinandis Ecclesia dicit : *Agnoscite quod agitis*...Intelligite scilicet, quæ et quanta sint quæ agitis in altari, in confessionali, in cathedra, in quibusvis ministeriis vestris...-- Nonne qui divina hæc ministeria probe intelligit, angelus erit in altari, bonus Samaritanus in confessionali, apostolus in cathedra ?... Quæ quidem administratio digna, in honorem cedet Ecclesiæ et in fructum animarum... An hanc necessitatem perspectam semper habui ?...

Necessaria sacerdoti scientia ut Ecclesiam ædificet : id est, ut sacra ministeria obeat cum fructu, et cum illa etiam oculis hominum apparente dignitate, quæ ad fiduciam lucrandam, adeoque ad ministerii efficaciam requiratur...

Necessaria scientia sacerdoti ut sibimetipsi provideat. Tenetur enim officia status sui probe cognoscere ; secus ignorantia laborabit culpabili, et peccatorum inde fluentium reus erit... Quo spectat illud Apostoli : *Attende tibi et doctrinæ : insta in illis. Hoc enim faciens et te ipsum salvum facies et eos qui te audiunt*... 1 Tim. 4.

Scientia facit ut sacerdos vitam ducat felicem : quia in scientiæ sacræ studio suave quoddam sacerdoti delectamentum est et solatium. *Vir peritus animæ suæ suavis est.* Eccli. 37.

An hactenus illum studii zelum habui, quem scientiæ sacræ necessitas requirit ?... O Jesu, Sapientia æterna, scientiarum Domine, da mihi Spiritum sanctum tuum, ut doceat me scientiam sanctorum...

II P. IGNORANTIÆ MALA. — Nonne ignorantia in sacerdote maxime probrosa est Ecclesiæ, damnosa populo, ipsi sacerdoti perniciosa ?...

Dedecus affert Ecclesiæ ordinique sacerdotali, cum in causa sit cur sacrum ministerium vituperetur, religio contemptui habeatur, mysteria sacra impiorum irrisionibus exponantur...

Damna maxima affert fidelibus. Nonne ex sacerdotum inscitia hæreses vel originem duxerunt, vel incrementa acceperunt ?... Nonne ex illa scaturigine effluere solent pravi mores laïcorum : quando nec docentur nec arguun-

tur a sacerdote suo, qui neque pascere novit, neque dirigere, neque sanare?...

In concilio Toletano IV dicitur, quod *in sacerdotibus ignorantia mater est cunctorum errorum*... addi potest, cunctorum pene vitiorum, et scandalorum quæ in Ecclesia oriuntur...

Nonne et ignorantia ipsimet sacerdoti perniciosa ? cum eum miserum faciat, reum et reprobum... Miser est, quia dubius semper et anxius... nec ullius apud laïcos æstimationis. — Reus, quia in sacris functionibus notabiles incurrit defectus, a quibus inscitia sua culpabili non excusatur... — Reprobus : quia vitam suam in otio transigere solet, et ex otio in vitia plurima delabitur... *Sacerdos et propheta nescierunt præ ebrietate, absorpti sunt a vino, erraverunt in ebrietate, nescierunt videntem, ignoraverunt judicium... — Cæcus autem si cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt...* Isaï. 28. Matth. 15.

Merito itaque Paulus monet : *Attende lectioni, exhortationi et doctrinæ... hæc meditare, in his esto... insta in illis...* I Tim. 4.

Quomodo hoc Apostoli monitum servo ?... Petatur gratia.

III P. OBJECTA.— Scientiæ ecclesiasticæ objecta universim sunt, quæcumque ad ecclesiastica munia rite obeunda spectant.

In particulari vero, materiæ in quibus sacerdotis studia versari debent, præcipue sunt : imprimis conciones et quælibet instructiones aut catecheses præparandæ... deinde quæstiones conferentiarum et tractatus recolendi pro examine...

Accedit postea lingua latina... theologia dogmatica et historia ecclesiastica... Scriptura sacra... theologia moralis, ascetica et directoria... jus canonicum et Statuta diœcesana... demum liturgia, ut minister Ecclesiæ venerabiles ritus in sacrificio Missæ, in sacramentorum administratione, omnique cultu publico accurate observet...

An campum hunc ecclesiastici studii assidue, omni futilitate seposita... hactenus excolui ?... An non rei medicæ, botanicæ, musicæ indiscrete me tradidi ?... An nihil emendandum in posterum ?...

Propositum statuatur, idque oratione ferventi commendetur Domino.

De sacerdotali seu ecclesiastico spiritu.

Pr. 1. *Non spiritum hujus mundi accepimus, sed spiritum qui ex Deo est.* I Cor. II, 12.

Pr. 2. Ut spiritum genuinum sacerdotii rite cognoscam, eoque merear usque perfectius animari.

I. Qualis sit ecclesiasticus spiritus? II. Quomodo coroborandus?

I P. SPIRITUS ECCLESIASTICI NOTIO. — Spiritus qui dicitur ecclesiasticus seu sacerdotalis, est sancta quædam dispositio a Spiritu sancto sacerdotibus indita, ut in omnibus se gerant sicut sacerdotem Christi decet... Ipsa scilicet Ordinis gratia est, de qua Paulus ad Timotheum scribit :

II Tim. 1 *Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei quæ est in te per impositionem manuum mearum. Non enim dedit nobis Deus spiritum timoris; sed virtutis, et dilectionis, et sobrietatis...*

Quod succus vitalis est in arbore vitis, id spiritus ecclesiasticus in sacerdote... hunc qui possidet, verus ac genuinus sacerdos erit.

Spiritus ecclesiasticus non est *spiritus hujus mundi*, quærens temporalia et ea quæ sua sunt... *sed spiritus*

I Cor. 2. *qui ex Deo est*, quærens thesauros alios, spirituales, æternos... et ea quæ animarum sunt et Christi... Non est ergo spiritus avaritiæ... nec sensualitatis... nec scurrilitatis...

Est autem spiritus sacerdotalis, generatim sumptus, ipse spiritus christianus, sed altiore in gradu... consistens in triplici virtute infusa, fide, spe, charitate... ex qua velut triplici radice tota vita christiana, ut et sacerdotalis, procedit...

In particulari, est spiritus zeli, humilitatis et charitatis...

Zelus, studium nempe gloriæ Dei et boni animarum,

manifestatur labore assiduo et industrio pro splendore cultus... pro conversione peccatorum, pro instructione et sanctificatione omnium... Hinc quoque spiritus sacrificii, quo impendit se sacerdos et superimpendit pro salute animarum ..

E spiritu humilitatis oritur modestia in verbis, et simplicitas in re familiari... Item, amor pauperum, patientia, animus semper contentus nec unquam conquerens...

Spiritu charitatis animatus minister Dei, beneficus erit in pauperes, mansuetus erga subditos, patiens et hospitalis erga confratres, obediens et observans erga superiores... In omnibus scilicet Deum videbit et Christum, cujus membra mystica sunt fideles omnes... quem propterea in singulis amat, paratus vel *animam suam ponere pro amicis suis*... Joan. 15.

Spiritus demum sacerdotalis, spiritus Apostolorum et Christi est... Christus est vitis, Apostoli eorumque successores, palmites, eodem vitali succo, eodem spiritu animati... Tanto igitur spiritu ecclesiastico quis abundabit copiosius, quanto Apostolis et Christo erit vivendi ratione similior : charitate nimirum, humilitate et zelo animarum...

An spiritus ille genuinus sacerdotum Christi regnat in me?... Nonne in multis deficio?... Humiliem me coram Domino et gratiam ejus deposcam...

II P. SPIRITUS CONSERVATIO ET AUGMENTUM. — Spiritus sacerdotalis, unicuique in sacra Ordinatione collatus, cavendum imprimis ne extinguatur... *Spiritum nolite extinguere.* I Thes. 5.

Extinguitur autem variis modis : per dissipationem et immodicas recreationes aut confabulationes... per neglectum orationis rerumque spiritualium... per lectiones et studia profana et a statu sacerdotali aliena... per commercium imprudens cum sæcularibus, vel etiam cum liberioris vitæ confratribus... — An ab hujusmodi periculis caveo?...

Fovetur autem et roboratur ecclesiasticus spiritus per orationem, omneque commercium cum Deo... per impensum laborem in sacro ministerio, et in adjuvandis paupe-

ribus ac miseris... per amica et sancta cum piis confratribus colloquia...

Quicumque demum *Deo militans non se implicaverit*
II. Tim. 2. *negotiis sæcularibus*, et sese velut in sanctuario includendo, in iis assidue occupabitur quæ Dei sunt et animarum... cum confratribus tamen in Domino conjunctus : ille profecto spiritu ecclesiastico ejusque fructibus ac felicitate abundabit...

Oratione ferventi hujus spiritus plenitudinem a Domino postulabo.

De statu ecclesiastico. Idea falsa.

Pr. 1. *Non est regnum Dei esca et potus, sed justitia et pax et gaudium in Spiritu sancto.* Rom. XIV, 17.

Pr. 2. Ut statum sacerdotalem oculo fidei intuendo, recte cognoscam et vere amem in Domino.

Cavendum imprimis ab idea erronea, quæ de ecclesiastico statu non infrequenter mente fingitur : dum nimirum ille status extrinsece dumtaxat, oculoque mere humano spectatus, censetur vel valde commodus ac laboris expers; vel e contra miserrimus, atque omni jucunditate orbatus : utrumque enim falsum est. Itaque non est I. status humanis commodis plenus, II. neque ita durus, ut omni jucunditate careat.

I P. NON ABUNDANS HUMANIS COMMODIS. — Talis quidem non raro existimatur status ecclesiasticus ab iis qui spectant tantummodo emolumenta temporalia eidem annexa... quæ quidem sæpenumero majora finguntur quam revera sunt... Honesta dumtaxat sustentatio, sanctuarii ministris debetur, secundum illud : *Qui in sacrario ope-*
I. Cor. 9. *rantur, quæ de sacrario sunt edunt; et qui altari deserviunt, cum altari participant...*

Perperam quoque respiciuntur dumtaxat officia quædam leviora aut etiam speciosa... celebrandi Missam, recitandi horas... ignorantur autem onera et obligationes multæ ac graves, pericula tremenda, cruces ac tribulationes...

Nonne obligationes graves sunt votum castitatis perpe-

tuæ... vita et conversatio in omnibus digna atque exemplaris... ecclesiastica... quæ studia requirit per totam vitam continuanda... Nonne gravia sunt officia uniuscujusque muneris, et cura animarum, quæ abnegationem continuam requirunt?...

Nonne pericula quoque occurrunt humanæ fragilitati formidanda?... Non enim in asylo monasterii, sed in medio mundo versari debet sacerdos, quin corrumpatur a mundo : sicut medicus inter ægrotos, pestilentia infectos... Insidiæ ipsi omni ex parte struuntur : ex parte superbiæ... teporis et segnitiæ... ex parte spiritus mundani, quo si afflari se sinit, ipsum sacri ministerii exercitium ei evadit periculosum...

Nonne cruces ac tribulationes vir ecclesiasticus in via sua offendit, sive externas sive internas?... Non enim desunt tentationes sæpe gravissimæ, quibus tanquam aurum in fornace servi Dei probantur... labores molesti et ingrati... contradictiones et persecutiones... Accedit spectaculum triste miseriarum, præsertim spiritualium, nempe peccatorum, quibus animæ pereunt, divina autem Majestas indigne offenditur... ac demum sollicitudo muneris pastoralis... *Non enim*, inquit Apostolus, *volumus ignorare* II Cor. 1. *vos, fratres, de tribulatione nostra : quoniam supra modum gravati sumus supra virtutem, ita ut tæderet nos etiam vivere...*

Idea igitur erronea est, qua status ecclesiasticus ut commodus ac plane floridus exhibetur... An ego, humanis oculis cum spectans non sum aliquatenus isto errore delusus?... O Domine, aperi oculos meos, *emittte lucem* Psalm. 42. *tuam et veritatem tuam : ipsa me deducant in montem sanctum tuum et in tabernacula tua...*

II P. NEQUE STATUS MISERRIMUS. — Ideo a quibusdam miserabilis fingitur, quia respiciuntur solum obligationes, pericula, cruces ac labores ; ignorantur autem præsidia, consolationes ac præmia...

Adsunt enim præsidia multa : ex parte Dei, gratiæ et sacramenta... Ex parte Ecclesiæ, vigilantia et juvamen superiorum, atque charitas confratrum... Ex parte ipsius sacerdotis, oratio, scientia sacra et labor assiduus...

Consolationes adsunt in Domino fidelibus Dei ministris,

II Cor. 1. tum in vita, tum præsertim in morte... *Deus totius consolationis*, inquit Apostolus, *qui consolatur nos in omni* II Cor. 7. *tribulatione nostra... Repletus sum consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione nostra... In reli-* II Tim. 4. *quo reposita est mihi corona justitiæ...*

Præmia autem, quæ Christus Dominus suis ministris ac cooperatoribus reservat, tanta sunt, ut omnes labores Matth. 5 immenso excessu compensent... *Gaudete*, ait, *et exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis...*

O Domine Jesu, fac, quæso, ut vocationem meam ac statum recte semper, oculo fidei ac minime carnali intuear, utque ejusdem obligationes fideliter implendo gaudium inveniam et pacem in Spiritu sancto.

De statu ecclesiastico. Idea vera.

Pr. 1. *Non est regnum Dei esca et potus, sed justitia et pax et gaudium in Spiritu sancto.* Rom. XIV, 17.

Pr. 2. Ut oculo fidei statum sacerdotalem intuendo recte cognoscam, et vere amem in Domino.

Ut status ecclesiastici idea vera mente concipiatur, sacerdotium spectandum est intrinsece et oculo fidei : tunc enim apparet, qualis revera est, I. status omnium maxime terribilis ; II. et simul maxime beatus.

Levit. 26. I P. STATUS TERRIBILIS. — *Parete*, inquit Dominus, *ad sanctuarium meum...* Ideoque Sancti plurimi sacerdotium suscipere formidarunt...

Terribile sacerdotium ratione obligationum... periculorum... et humanæ fragilitatis...

Nonne illud S. Gregorius *onus* appellat, *angelicis humeris formidandum ?...—Ecce sacerdos factus es*, inquit Kemp. IV, 5. Kempensis, *non alleviasti onus tuum...* — *Effugiant* Sess. 22. *clerici*, dicit Tridentina synodus, *delicta etiam levia, quæ in ipsis maxima essent...* — Deinde, *cui multum* Luc. 12. *datum est, multum quæretur ab eo ; et cui commendaverunt multum, plus petent ab eo...*

An ego tam sanctus sum, tamque angelicus, ut nihil debeam timere?...

Nonne in sacerdotio pericula sunt, quibus perierunt multi, Judæ vestigia secuti?... An sine causa Paulus dicit : *Qui stat, videat ne cadat?...* Et : *Castigo corpus meum et in servitutem redigo, ne forte quum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar?...* Quid ego facio, exemplo Apostoli, ne reprobus efficiar?... 1 Cor. 10.

Quod si, tutamenta negligendo, periculis succumbat, et passionibus sicut Judas indulserit, horribilis ei sicut Judæ mors, horribilis instat infernus... *Quoniam judicium durissimum his qui præsunt fiet...* Sap. 6.

Nonne sacerdotium tremendum est ratione infirmitatis humanæ, cujus B. Petrus tam triste exemplum reliquit? Sacerdos enim, etsi angelus esse debet, homo tamen est... sicut Petrus, nisi vigilaverit et oraverit, ter Dominum suum negaturus...

An itaque, salutari timore repletus, a præsumptione et segnitie caveo?... Petatur auxilium Domini.

II P. STATUS NIHILOMINUS MAXIME BEATUS.— Dummodo ex animo sacerdos Christo Domino, adeoque ministerio suo addictus inhæreat, beatus erit ratione gratiarum Dei... ratione præmiorum... ratione præfulgentium exemplorum...

Quanta gratiarum copia sacerdoti a Domino concessa! Magna sane gratia est sacramentum Ordinis, quod una cum gratia sanctificante, omnium continet semina sacerdotalium virtutum; et insuper auxilia actualia, quæ ad sacra ministeria rite obeunda suo tempore præstantur... — Deinde gratia quotidiani missæ sacrificii... orationis, qua potest ac debet sacerdos frequentissime uti... totidem felicitatis principia, simulque tutamenta, quibus vir ecclesiasticus in periculis cunctis securus et beatus erit...

Nonne consolationes quoque multæ adsunt in Domino?... nimirum suavissima Christi Domini societas, oratio, pax conscientiæ, fructus ministerii, sacra studia, fratrum jucunda consortia...

Socium habet sacerdos pius, et invenit ubique ipsum Jesum, qui dixit : *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus... Jam non dicam vos servos... vos amici mei estis, si feceritis quæ ego præcipio vobis...* Matth. 28. Joan. 15.

Philipp. 3. Prov. 15. Quid oratione suavius, qua *nostra conversatio in cœlis est ?*. . Et pax conscientiæ nonne est *quasi juge convivium ?*... His iterum bonis sacerdos pius fruitur.

Accedunt jucunditates sacri ministerii : quid enim jucundius quam beneficia spargere hominesque reddere felices ?... Dein delectamenta scientiæ sacræ : *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo...* — Et confratrum consortia. *Ecce quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum !...*

Psalm. 118. Psalm. 132.

Nec tantum in vita, sed præsertim in morte servos suos consolabitur Deus... Semper oculis affulget illa corona de qua Petrus scribit : *Pascite qui in vobis est gregem Dei... et cum apparuerit princeps pastorum, percipietis immarcessibilem gloriæ coronam...*

I Pet. 5.

Exempla quoque prælucent fratrum sanctorum, qui antea, inde ab Apostolis sacerdotio functi sunt, et jam in cœlis coronati... vel qui adhuc in terris degunt, sanctitate sacerdotali conspicui...Hos aspicientes stimulamur et gaudemus : quod enim illi potuerunt, id et nos possumus...quo illi pervenerunt, et nos perveniemus, imo brevi... *Modicum, et videbitis me...*

Joan. 16.

Magna sane felicitas ista, et qua major in hac lacrymarum valle non datur... at illi dumtaxat sacerdoti contingens, qui Domino Jesu, ejusque Ecclesiæ toto corde se devovet...

Concede mihi, Domine Jesu, ut non sim de numero eorum qui partim sanctuario, partim mundo servire quærunt... sed ut omnino, et non ex parte, tibi inhæream et in te permaneam usque ad mortem.

De vocatione sacerdotali. Notio.

Pr. 1. *Videte vocationem vestram, fratres.* I Cor. 1, 26.

Pr. 2. Ut vocationem meam bene cognoscam, eamque perfecte studeam implere.

I. Vocationis necessitas. II. Vocationis cognitio.

I P. NECESSITAS. — Ut sacerdotium suscipi possit, vocatio divina necessario requiritur. Si enim rex terrenus ministros suos prudenter eligit, quanto magis Rex cælestis eorum delectum habebit quos suæ potestatis vult esse participes? *Nec quisquam sumit sibi honorem*, inquit Apostolus de sacerdotio loquens, *sed qui vocatur a Deo tanquam Aaron...* Hebr. 5.

Nonne legimus Christum Dominum, præmissa longa oratione, inter omnes suos discipulos selegisse nominatim duodecim, apostolos suos futuros ac sacerdotes?... *Vocavit ad se quos voluit ipse; et fecit ut essent duodecim cum illo...* Marc. 3.

Vocatio necessaria est ita, ut qui non est vocatus, sacros ordines suscipere nullatenus possit... Secus enim gravissime peccat, Ecclesiæ magnum infert detrimentum, et semetipsum ponit in statum quasi certæ damnationis... ut S. Alphonsus loquitur. Etenim nonne obligationes in se suscipit gravissimas... absque sufficienti aptitudine aut proportionata mensura gratiarum? Ergo eas non implebit et causa erit detrimenti maximi Ecclesiæ et animarum... De Ord. St. 3.

Ergo, ubi de vocatione sacerdotali agitur, cautissime est agendum : qui enim non vocatum admittit in sacerdotium, introducit lupum in ovile, judam in sanctuarium...

Qui autem non vocatus sanctuarium jam ingressus fuerit, pœnitentiam agere tenetur... et tanto malo remedium afferre quantum potest... adstringendo sese Deo rebusque divinis quam arctissime...

O Domine Jesu, da mihi in re omnium gravissima, prudenter procedere, prudentum consilia sequi, ne vel absque vocatione in sanctuarium penetrem... vel indignum introducam *et communicem peccatis alienis...* I Tim. 5.

II P. COGNITIO. — Ut eos qui ad sacerdotium vocantur a non vocatis discernam, præter recursum ad Deum in oratione nunquam omittendum, necesse est ut signa vocationis et signa non vocationis cognoscam.

Signa vocationis generatim sunt duo, quæ simul constituunt conditiones necessario requisitas : aptitudo et incli-

natio sancta... Ad aptitudinem pertinent, præter immunitatem ab omni impedimento canonico, doctrina idonea et virtus solida, vel in re, vel saltem in fundata spe existentes...

Requisita virtus intelligenda præsertim est pietas... castitas... spiritus laboris... indoles bona... *Nemo ad sacrum Ordinem permittetur accedere, nisi aut virgo, aut probatæ castitatis. — Ut quis bonus sacerdos evadat in sæculo*, inquit S. Alphonsus, *oportet ut prius egerit vitam valde exemplarem, remotam a ludo, ab otio, a pravis sociis, et deditam orationi et sacramentorum frequentiæ ; alioquin se ponet in statum quasi certæ damnationis : præsertim si hoc faciat ut obtemperet parentum fini, qui est res domesticas augere...*

Decretal. l. 1. tit. 13.

De Ord. 803.

Ad aptitudinem intellectualem et moralem accedat oportet inclinatio sancta, amor scilicet ecclesiasti status, qui non necessario naturalis ac sensibilis esse debet... Continet duo : æstimationem rectam status sacerdotalis, qua, saltem confuse, ejus excellentia ejusque onera apprehenduntur... et voluntatem efficacem statum istum amplectendi ejusque officia implendi, ob motivum supernaturale : nempe, quia nihil majus aut melius, quam vitam suam Deo et Ecclesiæ consecrare...

Signa non vocationis sunt : ignorantia et hebetudo mentis... defectus judicii præsertim practici... magna singularitas et inconstantia in agendo... notabilis scrupulositas.. inveterata luxuriæ vulnera, vel nimia in hac parte fragilitas... propensio vehemens et indomita ad sensualitatem, ad potum, ad pigritiam, ad avaritiam, ad levitatem... Spiritus superbiæ, ambitionis, rebellionis, pertinaciæ, contentionis... aut talis indoles quæ omnia ad crisim revocans concordiam et subordinationem erga superiores perturbat... Demum, intentio mere humana ac terrestris, qua unice aut principaliter respiciuntur in sacerdotio commoda temporalia...

An intelligo monitum omnibus sacerdotibus contineri his Pauli verbis : *Manus cito nemini imposueris, neque communicaveris peccatis alienis ?*... An itaque cum iis qui ad sacerdotium aspirant prudenter ago, nec zelo indiscreto me duci sino ? An eos hortor ut in examinanda vocatione mul-

I Tim. 5.

tum orent; et in dubio, rem confessario prudenti et superioribus a Deo ad id constitutis decidendam relinquant?...

Fiat in fine oratio ad Jesum, qua gratiæ agantur pro beneficio vocationis, et petatur auxilium efficax ad tantæ vocationis obligationes implendas... nec non ad agendum zelo prudenti cum sanctuarii candidatis.

De vocatione sacerdotali. Amor. Impletio.

Pr. 1. *Obsecro vos, ego vinctus in Domino, ut digne ambuletis vocatione qua vocati estis.* Ephes. IV, 1.

Pr. 2. Ut vocationem meam digne æstimem et amem, eamque vita vere sacerdotali studeam honorare.

I. Qualis mea vocatio? II. Quomodo eam digne implebo?

I P. VOCATIO MEA QUALIS? — Vocatio sacerdotalis tam sancta, tam excelsa, tamque beata est, ut considerantis animam in admirationem rapiat... Nonne Levitas sanctuarii sui eligit Deus inter millia?... Nonne mirum in modum prædiligit et exaltat, dum assumit eos in ministros sibi peculiariter addictos et consecratos?... *Ego*, inquit, *tuli levitas a filiis Israel, eruntque levitæ mei...* — Dixitque ad Aaron, et in persona Aaron, ad universam tribum sacram: *Ego pars et hæreditas tua in medio filiorum Israel...* Num. 3. Num. 18.

Nonne qui sic a Domino electus sum, merito verba B. Virginis usurpabo: *Fecit mihi magna qui potens est?...* Magna utique privilegia mihi contulit... majoraque præparat, si fideliter sequor vocantem: *Vos qui secuti estis me, sedebitis super sedes duodecim...* Matth. 19.

Vocatio mea eadem est ac vocatio Salesii, Vincentii, Ambrosii... est vocatio Apostolorum .. imo eadem ac missio ipsius Christi... *Sicut misit me Pater et ego mitto vos...* oan. 20.

Vocatio est plane cœlestis... *Fratres sancti, vocationis cœlestis participes, considerate apostolum et pontificem* Hebr. 3.

confessionis nostræ Jesum... Sacerdos in mundo nonne angelus est?... et alter Christus, visibilis Christus in ter-
Psalm. 81. ris, Deique personam referens : *Ego dixi : vos dii estis, et filii excelsi omnes*...

1 Cor. 9. Vocatio simul terribilis : *Væ enim mihi est si non evangelizavero*, si non debite vocationi tam sanctæ respondero...

Quod si practice vocationem meam aspicio, vocatus sum ut sacerdos efficiar sanctus, secundum Cor Domini Jesu... Et hoc quidem, o Domine, unicum mihi desiderium, unicum cordis suspirium, ut dignus altaribus tuis
Psalm. 26. minister evadam... *Unam petii a Domino, hanc requiram*...

II P. QUOMODO VOCATIO IMPLENDA? — Quomodo vocationi tam sublimi homo fragilis et infirmus respondere valet? Quomodo poterit sicut Apostoli, sicut Christus ambulare?... Unum ad hoc, ex parte vocati, requiritur : bona voluntas, *ut velit* ex animo divinæ gratiæ cooperari...

Etenim ex parte Dei gratia non deerit. Qui enim vocare me dignatus est, auxilia utique præstabit, ut quocumque vocat eo valeam pervenire : Deus impossibilia non jubet...

Confertur autem gratia hujusmodi præsertim in Ordinationibus... adeoque gradatim... et quidem sub forma seminis et scintillæ... — Apostolis quidem in die pentecostes data est plenitudo sanctitatis sacerdotalis, quasi arbor fructibus onusta, et quasi ignis exardescens... nobis vero duntaxat dari solet tanquam scintilla fovenda, tanquam semen excolendum, per nostram utique cooperationem...

Ut autem divinum illud semen crescat in fructum, duo ex parte nostra requiruntur : ut bene cordibus nostris recipiatur et deinde excolatur perseveranter.

Jam vero ut gratia quæ in sacris Ordinationibus confertur, præter characterem qui semper æqualiter imprimitur, in sua recipiatur plenitudine, requiritur præparatio bona : a cordis enim dispositione mensura gratiæ sacramentalis dependet. . An ego dispositione perfecta sanctos Ordines recepi?... An saltem nunc studeo ut fervore orationis, quod tunc mortuum fuit reviviscat? ..
1 Tim. 1. *Admoneo te*, dicit Apostolus, *ut resuscites gratiam Dei*

quæ est in te per impositionem manuum mearum...

Quomodo vero idem sacramentale semen, quo virtutes omnes sacerdotales oriuntur, excolendum est?...Nonne per cooperationem divinæ gratiæ a nobis tota vita adhibendam ? Nonne per exercitia pietatis, præsertim per meditationem et examen conscientiæ quotidiana ?...

An hanc ego culturam exerceo ?...

Fiat demum oratio, qua gratiæ agantur Deo pro beneficio vocationis ad sacerdotium... et efficax imploretur auxilium,ad excolendum constanter semen sanctitatis quod in Ordinatione collatum est.

De formatione sacerdotali in seminario.

Pr. 1. *Vos autem sedete in civitate, quoadusque induamini virtute ex alto.* Luc. XXIV, 50.

Pr. 2. Ut seminarii educationem magni faciam, ejusque fructum plenissime percipiam et conservem.

I. Quanti momenti sit seminarium. II. Quomodo peragendum cum successu.

I P. QUANTI MOMENTI. — Quod fundamentum ædificio, quod radix arbori, id est seminarium sacerdotali vitæ : cum hoc nihil aliud sit quam schola præparatoria ad sacerdotium... et velut sacræ militiæ tirocinium...

Schola autem hæc a Tridentina synodo vocatur *Dei ministrorum seminarium*, quia ibi adolescentes instar arbuscularum diligentissime excoluntur, et velut insertum germen ecclesiastici spiritus accipiunt...

Nonne hinc facile patet, seminarium esse momenti summi, tum pro singulis ejus alumnis, tum pro universa diœcesi ?...

Nonne alumnis necessarium est quam optime seminarium peragere ?...

Quapropter unusquisque eorum qui seminarium ingrediuntur apud se firmo proposito statuat : quoniam non nisi semel seminarium transigam, atque hinc tota vita mea pendebit... volo quam optime et cum pleno fructu sacram hanc suscipere institutionem...

Faustus enim seminarii cursus sacerdotalis vitæ radix est... Absque bona radice non potest arbor fructificare, neque firmiter consistere aut vivere... Similiter alumni seminarii radicem agere debent virtutis solidæ, scientiæque certæ, ut postea in Ecclesiæ campos translati et in sacro ministerio constituti, spiritui hujus sæculi resistere, virtute ac scientia crescere, et fructus producere valeant ad salutem animarum...

Seminarii cursus cum vitæ sacerdotalis ac turris evangelicæ fundamentum sit... boni fundamenti qualitatibus pollere debet : quod solidum sit oportet, semperque maneat, ut superædificetur deinceps vita sancta velut templum Domini...

Tria sunt omnino sacerdoti necessaria : solida virtus, scientia sacra, et decorum seu modestia clericalis... quæ nisi in seminario acquirat alumnus, saltem inchoative, non possidebit postea sacerdos... Ut enim experientia demonstrat, qualis levita in seminario, talis esse solet vicarius in ministerio... talis parochus... talis in tota vita, talis in morte...

Accedit quod cursus seminarii cum zelo ac fervore peractus, principium sit successus in ministerio, principium felicitatis per vitæ decursum...

Imo ipsa seminarii commoratio, ejusque exercitia ubi rite et secundum Deum suscipiuntur, jucundissima sunt : ibi pax, fraterna charitas, scientiæ sacræ delectamenta, domus Dei fragrantia et dulcedo... *Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum !...*

Psalm. 83.

Si quis in seminario sese tædio tradat, conqueratur, suspiret desiderio finis... nequaquam bonæ dispositionis signa manifestat... et dubitandi locum dabit utrum vocationem sacerdotalem habeat.

An ego ex animo et unice quæro quam faustissime cursum hunc institutionis sacerdotalis perficere ?... Hoc unum, Domine Jesu, in votis mihi esse vides, ut juxta beneplacitum tuum sacerdos sanctus et undequaque perfectus efficiar...

II P. SUCCESSUS.— Tres dantur præcipuæ fausti in seminario successus conditiones, ab alumnis afferendæ : studiosa applicatio, docilitas, fortitudo...

Studiose impendat se discipulus duplici sacræ institutionis objecto : virtuti et scientiæ, exercitiis pietatis... et studiis... Huic duplici rei incumbat ex animo, et quidem exclusive, quamcumque materiam alienam relinquendo...

Dociliter sequatur ordinem disciplinæ... atque ductum professorum... spiritu fidei omnia intuendo tanquam ab ipso Deo ordinata... Hæc si fecerit, successum pro mensura talenti maximum consequetur. *Vir* enim *obediens loquetur victoriam...* Prov. 21.

Sit fortis et magnanimus, ut tædia vincat, et occurrentes difficultates aut tentationes inimici... armisque utatur orationis assiduæ, sub præsidio B. Virginis Mariæ et SS. Cordis Jesu...

An ita sum dispositus ut velim, quovis medio aut sacrificio, tanquam sapiens architectus fundamentum ponere bonum ?...

Oratione finali petatur gratia studiose et cum fructu sequendi omnia seminarii exercitia... aut, si jam cursus ille fundamentalis peractus sit, continuandi et complendi semper ædificium virtutis et scientiæ ecclesiasticæ, quod in seminario inchoatum est.

De formatione sacerdotali post seminarium.

Pr. 1. *Dei ædificatio estis. Ut sapiens architectus fundamentum posui : alius autem superædificat. Unusquisque autem videat quomodo superædificet.* I Cor. III, 10.

Pr. 2. Ut intelligam quomodo sit sacerdotis formatio perficienda, utque cum zelo me huic officio gravissimo impendam.

Præter educationem seminarii, requiritur clerico alia magis practica, in ipso ministerio perficienda : circa quam considerandum, I. quomodo unusquisque semetipsum formare debeat ; II. quomodo debeat ad formationem fratrum juvare.

I P. FORMATIO PROPRIA. — Quicumque sacerdos statum

suum ac ministerium vult honorare, formationi sui operam dare debet... Egrediens enim e seminario neosacerdos nonne multis in rebus rudis ac inhabilis existit ?... prorsusque ulteriore formatione opus habet ?...

Quid si hanc negligeret ? Nonne informis sacerdos maneret, similis turri evangelicæ, quæ postquam fundata est, infecta relinquitur et transeuntibus ludibrio ?... Nonne fiet ille sacerdos mancus, ignorantia et vitiis deformatus, sibi et superioribus oneri, Ecclesiæ dedecori, fidelibus scandalo ?... An ego talis esse velim ?

Jam vero hujusmodi formationis objectum est imprimis sacerdotalis virtus... ad quam perficiendam requiruntur tria : 1° ut vir ecclesiasticus quotidiana, tum pietatis exercitia, tum officia sui muneris impleat accurate... 2° ut obvias cruces et incommoda mansuete ferat... 3° ut praxim examinis conscientiæ particularis perseveranter adhibeat... sic fiet ut impleat Apostoli monitum : *Exerce te ipsum ad pietatem...*

I Tim. 4.

Formationis objectum alterum est scientia peritiaque ecclesiastica, ars illa artium, regimen animarum... ad quam tria clerico cordi esse debent : 1° studium rebus ecclesiasticis, non vero futilibus impensum... 2° prudentia in casibus occurrentibus : non temere procedendo, sed consideratione, oratione aliisque subsidiis utendo... 3° petitio consilii : frequenter recurrat ad majorum sapientiam et experientiam ; eorumque monita, censuram et correptionem grato animo recipiat, libenter audiat et sequatur...

Quæ cuncta ut fieri possint, obstaculum necessario removendum, dissipatio nempe et recreationum intemperantia...

An ita me ipsum exercere studeo ?... An illam aptitudinem assequi contendo ad ministerium animarum quam mea vocatio requirit ?... Renovetur hic bonum propositum, et petatur gratia...

II P. FORMATIO ALIORUM. — Hæc præcipue spectat ad sacerdotum confessarios, et ad parochiarum rectores.

Confessarius suum hoc ministerium peculiari zelo erga confratrem exerceat... illud ex animo quærens ut pœnitentem suum non tantum custodiat in bono, sed in melius et

perfectius promoveat... Media spiritualis profectus suaviter quidem sed efficaciter suggerat : meditationem, examen conscientiæ, ordinem diurnum, laborem... Inquirat qua fidelitate et qua diligentia iis pœnitens utatur...

Parochus paternum gerat animum erga vicarium suum... quem non solum ut cooperatorem intueri, sed ut filium et discipulum diligere... omnique studio et charitate juvare tenetur, ut crescat *in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi*... Quot juvenes qui, si bona directione juvarentur, viri evaderent eminentes, fructumque redderent Ecclesiæ duplum ac decuplum !... Quantum Pastori meritum, si hominem efformaverit in Ecclesiæ columnam !... Ephes. 4.

Paratum ergo se exhibeat, ut omni modo vicarium in formatione sacerdotali adjuvet... per benevola incitamenta, per exercitia, per consilia...

Incitet juvenem, eique animum addat, ne primis difficultatibus aut infausto successu frangatur... utque confidat sese per constantes conatus multa effecturum...

Exercitia, tum in concionando, tum in tractando negotia, ejus captui proportionata, prudenter suppeditet...

Amica simulque sapientia consilia, tum in studiis, tum in ministerii praxi, ei libenter impertiatur...

Habeat statis diebus cum cooperatoribus conferentias de rebus agendis, deque iis omnibus quæ ad bonum parochiæ pertinent...

O Domine Jesu, infunde nobis, ministris tuis omnibus, spiritum charitatis et zeli... ut ex una parte, junior quisque sacerdos sit humilis ac docilis, sicut S. Timotheus... ex altera vero, senior Pastor eum instruat sicut Paulus, in spiritu lenitatis... Sic enim fiet, Domine, ut famuli tui in sacerdotes dignos ut peritos formentur, et Ecclesiæ tuæ magna proveniat ædificatio et gloria...

De duplici seminarii objecto.

Pr. 1. *Quam magnus qui invenit sapientiam et scientiam ! sed non super timentem Dominum.* Eccli. XXIV, 13.

Pr. 2. Ut duplex seminarii objectum rite intuear, animoque persequar magno et constanti.

I. Quomodo duplex seminarii objectum intuendum? II. Quomodo idem persequendum cum successu?

I P. QUOMODO INTUENDUM? — Duplex seminarii objectum, ecclesiastica nempe virtus et scientia... ab omnibus sacri ministerii tironibus præ oculis habendum est, et quidem unice atque exclusive... Sicut enim sculptor conspicit marmor statuarium, quod in simulacrum efformat; ita ecclesiasticus alumnus intueri debet objectum labori suo in seminario propositum... Artifex enim ut suum opus perficiat, illud præ oculis habet assidue et intuetur, quin se ad res alienas distrahi sinat: præsertim si hæc quam nunc scalpro effingit statua talis sit, ut ab ejus perfectione ac successu artificis fortuna pendeat.... Similiter sacerdotii candidato objectum sacrum virtutis et scientiæ acquirendæ unice intuendum est... Quidquid ad illud non pertinet, a mente removendum, ut id solum a quo futura ejus vita ac felicitas pendet, præ oculis habeat... Sic fiet ut attenta, tranquilla et expedita mente magno suo negotio sese impendat...

An ita ego unice objectum duplicis mei studii intueor?..

Porro ita intuendum sanctitatis et scientiæ sacerdotalis objectum, ut pretium utriusque juste æstimetur. Sciendum itaque, in utriusque conjunctione sitam esse viri ecclesiastici perfectionem... quandoquidem Christi et Apostolorum cooperator, vir esse debet potens opere et sermone... — Sciendum deinde, etsi utrumque est necessarium, unum tamen esse altero præstantius. Virtus enim est supra scientiam: virtus est aurum, scientia argentum... virtus anima, scientia corpus... virtus luminare majus, scientia luminare minus, licet ambo a Deo destinata ut firmamentum Ecclesiæ exornent, mundumque universum illuminent...

Nonne ergo obligatio est ambo diligenter excolendi?... Nonne ergo majus nefas foret scientiæ vacare cum detrimento virtutis?..

Objectum duplex quoque intuendum practice. Jam vero sanctitas sacerdotalis, practice spectata, vocatur pietas...

et emendatio vitiorum seu formatio morum et bonæ indolis... — Scientia vero sacerdotalis continet studia seminarii, variasque facultates, prout a superioribus proponuntur.

An ita objectum meum in seminario præ oculis habeo, ut omni studio in illud incumbam ?... An mihi persuasum est hanc esse Dei voluntatem ut in id solum laborem operamque impendam ?... Novi, Domine Jesu, quid in hac domo a me requiras : id unum, quæso, me perficere concede, juvante gratia tua.

II P. QUOMODO PROSEQUENDUM ? — Ut cum successu laboret alumnus seminarii, et cum fructu pro viribus maximo, unum requiritur et sufficit : nimirum seria mentis applicatio, studium impensum, quo duplici objecto suo det operam...

Itaque rebus scientificis incumbat diligenter, non tamen immodice... constanter, nec pro libidine aut genio interrupte... non quia id facere placet, sed quia oportet... — Sit quoque applicatio variis exercitiis accommodata... prout requirunt sive auditio prælectionum, sive studium privatum, sive præparatio concursus et examinum...

Rei deinde asceticæ profectuique spirituali similis applicatio est tribuenda... potior tamen quam scientiæ, quia præstantius est objectum : scilicet applicatio seria... constans... omnibusque et singulis exercitiis conveniens... Porro exercitia sacra sunt : orationes variæ, meditatio, confessio, communio, missæ sacrificium... item via crucis, visitatio Sanctissimi, et quævis aliæ actiones religiosæ... — Ad exercitia ascetica pertinet deinde ordo seu regula seminarii servanda, comprehendens ipsum studium scientificum... item, conversatio cum superioribus... et cum confratribus, præsertim recreationis tempore : quod exercitium peculiari cura sanctificandum est... — demum, quod fere caput est, examen conscientiæ ad extirpandos defectus...

Concede mihi, Domine, ita duplici objecto meo operam dare, ut brevi quatuor annorum spatio dignus sacerdotio evadam, et fundamentum jaciam solidum totius sacerdotalis vitæ.

De signis boni seminaristæ.

Pr. 1. *Adolescens juxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea.* Prov. XXII, 6.

Pr. 2. Ut bene cognoscam qualis esse debeat alumnus seminarii juxta Ecclesiæ mentem, utque talem me exhibere constanter studeam.

Quoniam qualis in seminario, talis in ministerio vir ecclesiasticus esse solet, necesse est ut quilibet sacerdotii candidatus bonum ac perfectum se in seminario exhibere studeat, seseque hac in re serio examinet, consideratis signis quibus boni ac mali seminaristæ dignoscuntur. Signa hujusmodi alia referuntur ad Deum, alia ad proximum, alia ad alumnum ipsum, alia demum ad ordinem seu regulam seminarii. Itaque considerentur I. signa boni seminaristæ, II. Signa seminaristæ non boni.

I P. SIGNA BONA. — Boni seminaristæ indicia, respectu Dei, sunt pietas et horror peccati ; respectu proximi, reverentia et charitas ; respectu sui, temperantia, labor, modestia ; respectu ordinis seminarii, obedientia et punctualitas...

Bonus seminarii alumnus pietatem æstimat ut radicem vitæ... Pietatem colit variis exercitiis, eamque aperte profitetur... Specialem devotionem fovet erga SS. Sacramentum et erga B. Virginem...

Horrorem peccati in corde habet tanquam firmum virtutis fundamentum... ideoque non tantum ab omni peccato mortali cavet diligenter ; verum etiam a venialibus culpis sese immaculatum custodire conatur...

Reverentia et amore filiali plenus est erga superiores, quos oculo fidei ut Christi vicarios intuetur...

Erga confratres vera charitate animatus, ita benevole et urbane se gerit, ut nemini molestum, omnibus amabilem se exhibeat...

Temperantiam ita servat, ut non tantum ad mensam moderate agat et decenter, verum etiam ut extra refectionis tempora nihil cibi potusve sumat...

Labori deditus assiduo, suis studiis cæterisque officiis constanter satisfacit...

Modestiam in externa sua persona exhibet qualis sacerdotem decet...

Obedientiæ spiritu ductus seminarii regulam, tanquam a Deo præscriptam religiose custodit...

Punctualitatis amator, obedit in omnibus etiam minimis punctis... et quidem peculiari diligentia officium proprium, si quod sibi demandatum, adimplet...

Hæc signa quibus bonus seminarii alumnus, probatus in futurum sacerdos dignoscitur, an in me reperio?... Humiliabo me, in Domino confidam, gratiam postulabo?...

II P. SIGNA MALA. — Prænuntiant futurum sacerdotem minime ferventem, aut etiam indignum indicia sequentia : 1° defectus veræ pietatis, in hoc consistens, ut exigua sit in corde rerum spiritualium æstimatio, nimia autem aut unica cura examinis fauste subeundi... insuper in hoc, ut defectibus emendandis vix allaboretur, semperque iidem defectus, eadem peccata perseverent...

2° Spiritus criticus, querulus et hypocrita respectu superiorum... contentionis et discordiæ, erga confratres...

3° Propensio ad gulam, præsertim ad potum... et frequens de hujusmodi rebus sermocinatio... — Propensio ad avaritiam et lucrum, et frequentia de emolumentis pecuniariis colloquia : quasi objectum sacri ministerii esset sordidum pecuniæ lucrum... — Propensio ad otium et pigritiam : inde omnia incomposita et immunda in cubiculo... — Item morum levitas et indecora inurbanitas, tum in agendo, tum in loquendo...

4° Neglectus eorum quæ ordine seminarii præscribuntur... de quibus liberior sermo instituitur, quæque ad oculum dumtaxat servantur... Negligentia quoque in implendo officio particulari...

An nullo ex his defectibus laboro?... nullum ex his indiciis sinistris in me apparet?...

In oratione finali propositum renovetur ferventer implendi omnia tum pietatis tum studiorum officia, et incumbendi serio in defectuum emendationem, omnemque sacerdotalis vitæ disciplinam.

De formatione hominis interni et externi.

Pr. 1. *Jesus proficiebat sapientia, et ætate, et gratia, apud Deum et homines.* Luc. II, 52.

Pr. 2. Ut intelligam quænam sit perfectio interna et externa sacerdotis, et utramque cum divina gratia consequar.

I. Quid homo internus, et quæ perfectio ejus? II. Quid homo externus, et quæ perfectio ejus propria?

I. P. HOMO INTERNUS EJUSQUE PERFECTIO. — Homo internus, ubi de sacerdote sermo est, intelligitur ipse sacerdos, in anima spectatus, et quatenus visibilis dumtaxat oculis Dei et angelorum... Porro Dei et angelorum oculis anima patet velut ager, in quo vel spinæ crescunt vel fruges bonæ, id est, vel vitia : ut superbia, iracundia... vel virtutes : ut fides, spes, charitas, humilitas... — Rursus, oculis Dei anima velut sponsa est ac regina nobilissima : quæ vel ornata virtutibus... vel deformata vitiis existere potest...

Hominis interni perfectio in eo sita est, ut anima sit a peccatis ac vitiis libera... et virtutibus floreat, omnibus quidem, sed præsertim sacerdotalibus...

Iterum, interna perfectio in eo est sita, ut homo noster internus interno homini ipsus Christi, id est, Cordi ejus divino sit simillimus... Atqui in interiori illo Salvatoris sanctuario, quid aliud cernitur quam innocentia Agni im-
Ephes. 5. maculati... quam humilitas et charitas, qua *dilexit nos et tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis*...

Dulcissime Jesu, da mihi cor meum divino Cordi tuo assimilare, imitando innocentiam tuam, humilitatem et charitatem.

II. P. HOMO EXTERNUS EJUSQUE PERFECTIO. — Homo externus in sacerdote spectatus, est ipse sacerdos, quatenus apparet oculis hominum... nempe in externa persona, et in externa operatione ac ministerio adimplendo.

Diversa potest apparere hominibus persona sacerdotis : nimirum, vel ædificatione ac dignitate plena, ita ut omni-

bus insinuet venerationem et amorem... vel mundanam præ se ferens levitatem aut rudem inurbanitatem, quæ scandalum pariat aut contemptum...

Similiter, externa operatio potest esse, vel defectibus plena, quæ murmurationes provocet, eo quod nihil sive tempore sive modo quo oportet fiat... vel e contra, accurata diligentia bonoque exemplo in omnibus fulgens, secundum illud : *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est...* Matth. 5.

Porro hominis externi perfectio hæc requirit : ut sacerdos in persona sua servet modestiam clericalem, quæ habitum, verba, totamque agendi rationem moderetur... eamque urbanitatem exhibeat, qua cum hominibus omnis conditionis loqui et agere possit : *Omnibus omnia factus...* I. Cor. 9. Deinde, ut in munere exercendo observet accuratam diligentiam et charitatem... Demum ut Christo quoad externam ipsius conversationem simillimum se reddat... tum pietate ac modestia sancta, tum indefesso labore, effusaque in omnes charitate, Christi vivam imaginem exprimat, ejusque bonum odorem spiret, secundum illud : *Christi bonus odor sumus...* II Cor. 2.

Talis si fuerit sacerdos, tamquam angelus apparebit in sanctuario, præsertim ubi Sanctissimum adorationi stat expositum... In solemnitate precum XL horarum, ita zelo suo ac devotionis exemplo attrahet fideles, ut semper Venerabile Sacramentum conferta sit adorantium corona circumdatum.

Da mihi, Domine Jesu, hominem meum interiorem simul et exteriorem ita moderari, atque cum auxilio gratiæ componere, ut perfectus evadam sacerdos secundum Cor tuum, secundum formam et imaginem tui.

De feriis sancte transigendis.

Pr. 1. *Venite seorsum in desertum locum, et requiescite pusillum.* Marc. VI, 31.

Pr. 2. Ut rectam notionem feriarum habeam, illudque tempus, velut unum e seminarii exercitiis, sicut par est sanctificem.

I. Quæ sit recta notio feriarum. II. Quomodo feriæ sint sanctificandæ.

I P. FERIARUM NOTIO. — Cavendum est ne feriæ considerentur ut tempus meræ recreationis, quo nihil aliud sectandum quam excursiones et otiosa oblectamenta, more hominum mundanorum...

Feriarum seu vacationum tempus junioribus levitis est suspensio lectionum seminarii, ad corporis mentisque vires ecclesiastico modo reficiendas constituta...

Dicitur suspensio *lectionum*, quia scientifica dumtaxat exercitia, nequaquam vero spiritualia suspenduntur... Rerum enim spiritualium vacatio non datur nec remissio... quæ animæ magis noceret quam prodesset, secundum adagium : *Frangit arcum intensio, animum remissio*... Nonne Christus Dominus vult ut semper oremus, nec unquam sanctum illud exercitium intermittamus?... *Sine intermissione orate*...

Thess. 5.

Dicitur *ad reficiendas vires :* hic finis quidem feriarum directus, non tamen solus... Præter valetudinis instaurationem, juvant feriæ ut juvenes levitæ, etiam extra seminarium, ecclesiastico modo vivere addiscant... Nonne hoc maximi momenti? In seminario quidem regularis vita facilior : ibi ordinate omnia et ad signum campanæ fiunt, ibi quoque stimulat exemplum confratrum, vigilantia superiorum... quæ adminicula cum postmodum sint defutura, oportet ut discat seminarii alumnus ordinem seminarii etiam extra seminarium servare...

Juvant simul feriæ, ut juvenes ecclesiastici vitam et exercitia seminarii pro valore æstiment, eorumdem pretio melius intellecto. Experientia enim sentient, quam solidi debeant esse atque stabiles in virtute, ut sibimet ipsis relicti sacerdotaliter vivant...

Neque desunt eis tempore feriarum pericula, a quibus sedulo cavendum sibi sciant. Periculum nimirum, ne spiritus ac pietatis fervorem amittant... periculum ne alios male ædificent, si minus pii videantur, aut leviores in

agendo et in loquendo... si iracundi et non modesti ac mansueti ut sacerdotem decet...

Periculum ne scandalum quodpiam patiantur ex parte mundi... aut etiam a falsis fratribus, quorum mores et loquela minus concordant cum seminarii documentis... *Denuntiamus vobis, fratres, in nomine Domini nostri Jesu Christi, ut subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinate, et non secundum traditionem quam acceperunt a nobis...* II Thess. 3.

An hactenus hoc intuitu ferias spectavi?... Nonne sollicite curandum mihi est, ut eas debite sanctificem?... Da mihi, Domine Jesu, idoneam ad hoc gratiam tuam... Sancte angele custos, adjuva me...

II P. FERIARUM SANCTIFICATIO. — Ut feriæ juxta mentem Ecclesiæ sanctificentur, requiruntur tria : ordo, fuga, modestia...

Imprimis ordo diurnus servetur, circumstantiis accommodatus : præsertim hora statuta surgendo et decumbendo, ut rite atque integre fiant exercitia pietatis... Hæc nunquam omittere licet : si enim negligantur vel decurtentur, feriæ jam non tempus recreationis erunt, sed dissipationis et periculi...

Necessaria est fuga duplicis scopuli : otii : *Diabolus te semper occupatum inveniat...* et intemperantiæ... S. Hieron.

Servanda religiose modestia clericalis. Intelligat levita, et semper præ oculis habeat, sese clericali veste insignitum, ut sacerdotem ab hominibus haberi ; proinde ut sacerdotem sese gerere, omnibusque bonum exemplum dare debere... *Ut sitis sine querela, et simplices filii Dei, sine reprehensione in medio nationis pravæ et perversæ, inter quos lucetis sicut luminaria in mundo...* Philipp. 2.

Concede mihi, Domine, tempus feriarum non minus sancte quam tempus scholare transigere : quandoquidem non minus exercitium sacrum est ad educationem sacerdotalem conferens, quam exercitia quæ in seminario fiunt... Adsis mihi, Beatissima Virgo, adsis angele custos, ut nullum in scopulum impingam, et in omnibus circumstantiis me geram sicut sacerdotem decet.

De præparatione ad sacros Ordines.

Pr. 1. *Filioli, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis.* Galat. IV, 19.

Pr. 2. Ut intelligam quam necessarium sit sacros Ordines pleno fructu recipere, utque me ad fructum hunc percipiendum omni zelo studeam præparare.

I. Quid sacri Ordines in anima ordinandi efficiant. II. Quæ præparatio afferenda ut effectus ille plene producatur.

I P. ORDINUM EFFECTUS IN ANIMA. — Sacri ordines in ordinando intrinsecus producunt hominem quemdam novum, qui vocatur sacerdos et *alter Christus*... Ad hoc nimirum sacramentum Ordinis a Domino institutum est ut per successivas ordinationes, non tantum sacerdotalis character imprimatur in anima ; sed etiam gradatim communicetur sacerdotalis spiritus, quo simplex fidelis transformatur in dignum sacerdotem Domini, in alterum
Gal. 4. Christum... *Filioli*, inquit Ecclesia mater, *quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis*...

Nonne effectus ille spiritualis aliquomodo visibilis appareret in altari ?... Dum video sacerdotem altari adstantem, supra populum elevatum, tonsurali corona insignitum, sacerdotalibus vestibus ornatum, manibus vasa sacra tenentem, cœlestium spirituum invisibili frequentia circumdatum, tunc si mente considero, nonne alterum Christum facile agnosco ?...

Est autem sacerdos alter Christus, non solum potestate et missione... verum etiam sanctitate et virtutibus... Quamvis autem virtutibus omnibus sacerdos sicut Christus pollere debeat, peculiari tamen modo virtutes quinque capitales possideat oportet, quibus veluti fundamentalibus lineamentis imaginem Christi referat, et quæ sunt : pietas, puritas, labor, charitas et zelus...

Jam vero hæc Christi imago in homine communi efformatur per sacros ordines... idque non subito nec unico actu, sed gradatim et successivis incrementis, incipiendo a prima tonsura, et progrediendo per varios ordines, minores et majores, usque ad sacerdotium... Voluit enim

divina Sapientia fragiles homines subito et quasi per miraculum ad culmen tam sublime elevari...

Successiva autem illa incrementa variis in virtutibus ac virtutum gradibus consistunt... quarum semina per ordinis sacramentum animæ immittuntur : ut paulatim sacerdotalem spiritum, adeoque spiritum Christi cum omnium virtutum complexu producant...

Utinam, o Domine mi Jesu, hæc semina sancta ita suscipiam, ut in virtutes omnes mihi efflorescant !...

II P. PRÆPARATIO. — Ut effectus sacrarum ordinationum quam plenissime consequar, ad easdem præparationem optimam debeo afferre. Etenim, salvo charactere qui eodem semper modo in anima imprimitur, gratiæ sacramentales dispositionibus recipientis proportione respondent... Adeo ut, sicut verbum Dei cadens in terram bonam, pro bonitatis gradu ejusdem terræ, fructum facit centesimum, vel sexagesimum, vel trigesimum... ita sacræ ordinationes, pro dispositione differenti, differentem quoque fructum, parciorem vel uberiorem producunt...

Jam vero dispositio ad sacros ordines consistit in corde puro... desiderante... et confidente... — Cor purum erit, si tollantur vepres et spinæ peccatorum... erit desiderans, si spiritum sacerdotalem Christi, tanquam unicum thesaurum appetit ardenter : *Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam*... erit confidens, si ex una parte magnitudinem obligationum perspectam habeat, eamque esse intelligat prorsus supra vires humanas ; ex altera vero credat omnipotentem Deum paratum esse adjuvare eos, quos ad tantum ministerium vocat, eosque replere Spiritu sancto, sicut replevit Apostolos in cœnaculo... Matth. 5.

Ut autem hæc dispositio acquiratur, præter præparationem proximam, quæ per prævium ordinationibus secessum instituitur... datur alia remota, quæ præcipua est, et in ipsa ordinaria seminarii disciplina consistit...

Quicumque igitur perfecte sequitur quotidianam, sive in spiritualibus sive in scientificis exercitiis, disciplinam ; ille hoc ipso optime ad sacros ordines se præparat... Quicumque vero disciplinam quotidianam negligenter servat, male se præparat... nec defectum hunc per paucorum dierum secessum poterit supplere...

Quomodo in re tam gravi me habeo ?... An totam seminarii disciplinam religiose servo, eo intuitu ut me ad grande sacramentum ordinis disponam ?...

O Domine Jesu ! quoniam res prorsus vitalis est, ut copiosissimo fructu sacros ordines recipiam... effectus autem iste a præparatione remota principaliter pendet... da mihi, quæso, gratiam ut deinceps novo zelo per observantiam perfectam sanctæ seminarii disciplinæ, me ad sacramentum ordinis disponam...

De tonsura seu clericatu.

Pr. 1. *Dominus pars hæreditatis meæ et calicis mei : tu es qui restitues hæreditatem meam mihi.* Psalm. 15.

Pr. 2. Ut mysterium clericalis tonsuræ intelligam, atque insignia Domini semper digne valeam portare.

I. Quid est clericalis tonsura ? II. Quid sacra tonsura a recipiente requirit ?

I P. QUID TONSURA CLERICALIS ? — Tonsura, prout pro ipso clericatu accipitur, est gradus prævius ad Ordines ecclesiasticos, et quasi sacrum quoddam limen, quod conscendendo, segregatur homo a communi loco fidelium, et intra sanctuarii septa constituitur... desinit esse *laïcus* et fit *clericus* seu membrum cleri a Christo Domino constituti... simulque Dei cultui dicatur... beneficiorum et jurisdictionis ecclesiasticæ fit capax, atque privilegiorum clericalium particeps...— Quantas debeo Deo gratias, quod me dignatur delectui suæ Ecclesiæ aggregare !...

Clerus porro quid est nisi corpus hierarchicum Ecclesiæ Christi ?... *Clerus*, id est *sors*, *hæreditas Domini*... Hoc nomine vocabatur olim tribus Levi, de qua scriptum
Deut. 10. est : *Separavit Dominus tribum Levi, ut staret coram*
Num. 18. *eo*... et dixit ad eam : *Ego pars et hæreditas tua in medio filiorum Israël*... Itaque tribus Levi olim, et potiore jure tribus sacra novæ Legis, pars Domini est, et Dominus
Psalm. 15. vicissim pars et possessio ejus... *Dominus pars hæredi-*

talis meæ et calicis mei : tu es qui restitues hæreditatem meam mihi...

Insignia clericalia sunt tonsura et vestis clericalis. Tonsuram confert Episcopus tondendo de capillis in vertice, per modum crucis, inter hæc verba : *Dominus pars hæreditatis meæ...* — Eidem autem, induto jam veste talari nigra, imponit superpelliceum candidum, dicens : *Induat te Dominus novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate veritatis...* Ephes. 4.

Tonsura repræsentat coronam, sed spineam coronam Domini... estque symbolum, 1° dignitatis ac potestatis, regali Christi sacerdotio propriæ... 2° humilitatis... 3° mortificationis christianæ...

Vestis clericalis duplex est : una nigra, talaris ; altera candida : quo significatur, 1° clericum esse a mundo distinctum, separatum... ac mundanis vanitatibus mortuum... 2° eum soli Christo vivere in innocentia...

Da mihi, Domine, gratiam tuam, ut vita mea semper his insignibus respondeat...

II P. QUID CLERICATUS A ME REQUIRIT ? — Requirit ut tantam dignitatem digne geram. *Non inferamus crimen gloriæ nostræ...* Non secus milites insignia sua honorare volunt... I Mach. 9.

Requirit ut non maculem vestem meam candidam... neque coinquinem vestitum Ecclesiæ deauratum...

Requirit ut mores mei sint vestimento consentanei : nihil sæculare cum dignitate moribusque clericalibus misceatur... quod non minus ineptum quam indignum videretur sapienti...

Requirit ut virtutem ac sanctitatem huic gradui correspondentem possideam, quæ est *modestia et decor clericalis...*

Tonsione capillorum significatur abjectio vanitatum terrenarum, eorumque omnium quæ sunt profana... omniumque pravorum affectuum, propter crucem Domini... Qui porro affectus quasi raduntur, non extirpantur penitus, adeo ut jugiter radi ac iterum reprimi debeant...

Verba hæc : *Dominus pars hæreditatis meæ... Induat te Dominus novum hominem...* significant, juvenem cooptandum vere fieri levitam, Domino sicut Nazaræum addictum et consecratum, ac segregatum a profanis...

Summatim clericatus a me requirit ut exteriori honestati modestiæque perfectæ acquirendæ me impendam...

O Domine Jesu, qui me in sanctum clerum tuum cooptare dignatus es et insignibus Ecclesiæ tuæ ornare; concede mihi, quæso, ita vivere atque modestiam clericalem servare, ut vita mea non tantum oculis tuis, sed etiam oculis hominum sanctæ professioni respondeat.

De ordinibus minoribus.

Pr. 1. *Ego tuli levitas a filiis Israël... eruntque levitæ mei.* Num. III, 12.

Pr. 2. Ut sanctitatem minorum ordinum intelligam, eosdem digne recipiam, et virtutibus consentaneis honorem.

I. Ordo ostiarii ; II. lectoris ; III. exorcistæ ; IV. acolythi.

I P. OSTIARIATUS. — Gradus hujus ordinis, inter ecclesiasticos ordines primi, officium proprium est aperire et claudere templi portas, et infideles a cœtu fidelium removere... Confertur autem traditione clavium ecclesiæ, cum his verbis : *Sic agite, quasi reddituri Deo rationem pro iis rebus quæ his clavibus recluduntur...* — Hoc ritu significatur vigilantia, quæ virtus propria est ostiarii. Vigilanti cura custodire debet templum Domini et ecclesiæ thesauros... sed præcipue, sensu spirituali officium suum intelligendo, diligenter invigilet oportet sensibus suis, ut in templum cordis sui nihil nisi quod sanctum sit intrare permittat... Domine Jesu, da mihi spiritum vigilantiæ...

II P. LECTORATUS. — Secundus gradus sacramenti Ordinis est lectoratus, cujus munus est libros sacros legere, et lectiones in divinis officiis faciendas cum spiritu et distincta voce recitare...

Confertur traditione sacri codicis, cum his verbis : *Accipite, et estote verbi Dei relatores, habituri, si fideliter et utiliter impleveritis officium vestrum, partem cum iis qui verbum Dei bene administraverunt ab initio...*

Tunc lector digne suum ordinem geret, si exhibuerit se *exemplum pietatis*... ut populum non minus operibus quam verbis doceat... ut *cunctis a quibus auditur et videtur, cœlestis vitæ formam præbeat*... Da mihi, Domine, digne hoc munus implere...

III P. EXORCISTATUS. — Hujus tertii ordinis officium est ejicere dæmones ex energumenorum corporibus...

Confertur traditione libri exorcismorum cum his verbis : *Accipite, et commendate memoriæ, et habete potestatem imponendi manus super energumenos, sive baptizatos, sive catechumenos*...

Exorcistæ virtus propria est odium omnis operis diabolici, id est omnis peccati... Hoc itaque curare debet, ut levissima peccata a semetipso, id est, ex mente et corpore suo ejiciat... utque sibimetipsi et concupiscentiæ suæ imperet, atque ita imperium in diabolum exerceat .. *Discite*, inquit Episcopus ordinandis, *per officium vestrum vitiis imperare : ne in moribus vestris aliquid sui juris inimicus valeat vindicare*... Petam auxilium hæc monita servandi...

IV P. ACOLYTHATUS. — Quartus hierarchici ordinis gradus acolythatus est, cujus officium sacrificio missæ remote ministrare, aquam, vinum et thus præparando, et ferendo luminaria...

Confertur traditione candelabri et urceoli vacui, sub his verbis : *Accipite ceroferarium cum cereo, et sciatis vos ad accendenda Ecclesiæ luminaria mancipari, in nomine Domini*... — *Accipite urceolum, ad suggerendum vinum et aquam in Eucharistiam sanguinis Christi, in nomine Domini* ..

Sanctitas acolytho propria præcipue continetur virtute *angelicæ puritatis et charitatis*... Etenim, ut ait S. Bonaventura, *ministrare sacro est opus angelorum : Deo enim assistunt et ministrant angeli*... De inform. novit.

Quod et lumine denotatur : puritatem enim ac charitatem figurat lumen ardens et splendens... prout in admonitione explicatur : *Sint ergo*, inquit Episcopus, *lumbi vestri præcincti, et lucernæ ardentes in manibus vestris, ut filii lucis sitis .. Tunc in Dei sacrificium digne vinum suggeretis et aquam, si vos ipsi Deo, per castam vitam*

et bona opera, oblati fueritis... Accende, Domine, mentes eorum et corda ad amorem gratiæ tuæ, ut illuminati vultu splendoris tui, fideliter tibi in sancta Ecclesia deserviant...

Concludatur meditatio precatione ad B. Virginem et ad Filium ejus, Dominum nostrum Jesum Christum, qua gratia imploretur digne se ad minores ordines præparandi, eosque susceptos congruis virtutibus honorandi...

De subdiaconatu.

Pr. 1. *Mundamini qui fertis vasa Domini.* Isaï. LII, 12.

Pr. 2. Ut subdiaconatus sanctitatem et obligationes rite intelligam, ut hunc ordinem digne recipiam, semperque humili obedientia honorem.

I. Qualis sit ordo subdiaconatus. II. Quid ab ordinato requirat.

I P. NOTIO. — Subdiaconatus, quintus ecclesiasticæ hierarchiæ gradus, ordo sacer est, quo potestas confertur vasa sacra portandi, in missæ sacrificio solemni inserviendi diacono, solemniterque Epistolam cantandi... Obligatio autem inducitur duplex : cœlibatus perpetuo servandi, et officii divini, seu breviarii recitandi...

Grandis hic confertur potestas, sublimis dignitas : quoniam pertinet ad augustissimum missæ sacrificium... ad quod jam proxime subdiaconi ministerium refertur.

Grandis quoque inducitur obligatio, tum castitatis angelicæ perpetuo servandæ... tum divinarum laudum officii quotidie persolvendi... — Non ergo sine causa ordinandis dicit Episcopus : *Filii dilectissimi, iterum atque iterum considerare debetis attente, quod onus hodie ultro appetitis...*

In conferendo subdiaconatu, Episcopus ordinando tradit vasa sacra, calicem nempe vacuum cum patena ; itemque urceolos cum manutergio ; ac deinde librum Epistolarum... totidem ministerii ipsius instrumenta sancta, sancte adhibenda...

Accedit impositio vestium, quibus variæ virtutes designantur, ut ex verbis Episcopi, et ex orationibus in induendo recitandis colligitur :

Ad amictum : *Accipe amictum, per quem designatur castigatio vocis... — Impone, Domine, capiti meo galeam salutis, ad expugnandos diabolicos incursus...* Galea autem salutis est spes ac fiducia, dicente Apostolo : *Induti galeam spem salutis...* 1 Thess. 5.

Ad albam : *Dealba me, Domine, et munda cor meum, ut in sanguine Agni dealbatus, gaudiis perfruar sempiternis...*

Ad cingulum : *Præcinge me, Domine, cingulo puritatis, et extingue in lumbis meis humorem libidinis, ut maneat in me virtus continentiæ et castitatis...*

Ad manipulum : *Accipe manipulum, per quem designantur fructus bonorum operum...— Merear, Domine, portare manipulum fletus et doloris, ut cum exultatione recipiam mercedem laboris...* — Manipulus scilicet erat antiquitus simplex sudarium ad detergendum sudorem et lacrymas ; nomen autem etiam significat frumenti fascem... ad hæc ambo Ecclesiæ verbis adluditur.

Ad tunicam : *Tunica jucunditatis et indumento lætitiæ induat te Dominus...* Quid autem est hæc tunica jucunditatis nisi charitas, quæ simul animam exornat et sancte lætificat ?...

Concede mihi, Domine, ut semper virtutes istas præ oculis habeam et in anima custodire studeam, sicut externo ornatu significantur.

II P. QUID SUBDIACONATUS AB ORDINATO REQUIRIT ? — Ut digne munia sua et obligationes impleat... ad missarum solemnia rite ministrando... cœlibatum sancte servando... divinum officium devote recitando...

Ut virtutes varias vestibus designatas acquirere et augere studeat... præcipue vero virtutem propriam sui ordinis, *humilitatem*... Sit subdiaconus servus servorum Dei, minister ministrantium... prout officium ejus in missa demonstrat, ubi infimum locum tenet...

In fine, oratione ferventi petatur gratia digne subdiaconatum suscipiendi, hujusque ordinis obligationes constanter implendi, et virtutes colendi quas in ordinato requirit.

De diaconatu.

Pr. 1. *Diaconi probentur primum : et sic ministrent nullum crimen habentes.* I Tim. III, 8.

Pr. 2. Ut sanctitatem diaconatus intelligam, hunc ordinem digne suscipiam, et congruis virtutibus honorem.

I. Quid est diaconatus ? II. Quid a diacono requirit Ecclesia ?

I P. DIACONATUS NOTIO.— Diaconatus, sextus sacramenti Ordinis gradus, ordo sacer est et sacramentum, quo recipit ordinandus potestatem in sacrificio missæ immediate presbytero assistendi et evangelium decantandi ; item prædicandi verbum Dei, et solemniter, justa tamen interveniente causa, baptismum administrandi...

Ordinatio diaconi perficitur, tum impositione manus Episcopi, cum his verbis : *Accipe Spiritum sanctum, ad robur, et ad resistendum diabolo et tentationibus ejus, in nomine Domini...* tum traditione libri evangeliorum, cum verbis istis : *Accipe potestatem legendi evangelium in Ecclesia Dei, tam pro vivis quam pro defunctis. In nomine Domini...*

Accedit impositio vestium, cum verbis Episcopi, quæ utiliter, una cum orationibus, quæ inter induendas easdem vestes recitandæ sunt, perpendentur.

Ad stolam : *Accipe stolam candidam de manu Dei, adimple ministerium tuum ; potens est enim Deus ut augeat tibi gratiam suam... — Redde mihi, Domine, stolam immortalitatis, quam perdidi in prævaricatione primi parentis ; et quamvis indignus accedo ad tuum sacrum mysterium, merear tamen gaudium sempiternum...*

Ad dalmaticam : *Induat te Dominus indumento salutis et vestimento lætitiæ, et dalmatica justitiæ circumdet te semper...* Quibus verbis oratio similis respondet.

Virtus diaconi propria est *robur Spiritus sancti*, seu charitas et patientia in tolerandis laboribus pro Ecclesia Christi...

Concede mihi, Domine, ut dignus sanctis altaribus tuis minister existam... et virtutibus quibus tibi servire oportet instructus, tibi complaceam.

II P. QUID A DIACONO REQUIRITUR?— Oportet ut diaconus sui gradus altitudinem et ministerii sui excellentiam probe intelligat... ut sua munia sancte impleat... ut fortitudinem sibi propriam, et virtutes reliquas sibi commendatas practice cognoscere atque acquirere studeat...

Ad hoc autem juvabit considerare vestium symbola. Stola nimirum transversa, seu dimidiatim imposita, denotat jugum Domini... jugum divini ministerii... quod modo quodam inchoativo, et cum inchoata sanctitate sacerdotali jam humeris suscipit : adeoque symbolum est, tum potestatis, tum sanctitatis sacerdotalis inchoatæ...

Similiter dalmatica esse intelligitur quasi casula imperfecta, symbolum inchoatæ charitatis sacerdotalis...

Juvabit deinde verba Scripturæ recolere, quæ de diaconis proferuntur. Ubi de diaconorum electione agitur : *Considerate fratres*, inquiunt Apostoli, *viros ex vobis boni testimonii septem, plenos Spiritu sancto et sapientia...* Act. 6.

— *Diaconi*, dicit Paulus, *sint pudici, non bilingues, non multo vino dediti, nec turpe lucrum sectantes ; sed habentes mysterium fidei in conscientia pura. Et hi probentur primum : et sic ministrent nullum crimen habentes...* I Tim. 3.

Juvabit demum meditari verba Pontificalis, præsertim in admonitionibus Episcopi et orationibus. *Hodie*, inquit præsul, *filii dilectissimi, eligimini in Levitico officio, quæ tribus Domini, semper in procinctu posita, incessabili pugna contra inimicos dimicat... Levi interpretatur assumptus. Et vos estote assumpti a carnalibus desideriis ; estote nitidi, mundi, puri, casti, sicut decet ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei... Et quia comministri et cooperatores estis corporis et sanguinis Domini, estote ab omni illecebra carnis alieni, sicut ait Scriptura : Mundamini qui fertis vasa Domini...*

Oratione demum finali petatur gratia sanctitatem ordinis diaconi præ oculis semper habendi, eamque perseveranti studio persequendi.

De presbyteratu. Dignitas, ritus ordinationis.

Pr. 1. *Venio ut congregem cum omnibus gentibus... et assumam ex eis in sacerdotes et leritas, dicit Dominus.* Isaï. LXVI, 21.

Pr. 2. Ut intime intelligam tremendam sacerdotii dignitatem, utque eam sancte suscipere, sancteque semper valeam portare.

I. Quanta presbyteratus dignitas. II. Ejusdem conferendi ritus.

I P. DIGNITAS. — Presbyteratus gradus septimus est et supremus sacramenti Ordinis, complectens omnem potestatem ordinum inferiorum, eamque eximio complemento perficiens... includens quoque omnes præcedentium graduum virtutes, easque insigni quadam perfectione coronans... adeo ut quodammodo, tum potestatis, tum sanctitatis sacerdotalis plenitudinem [1] presbyteratus ordo
Psalm. 138. contineat... — O Deus! *nimis honorificati sunt amici tui, nimis confortatus est principatus eorum...*

Potestatis plenitudo versatur circa corpus Christi reale... et corpus Christi mysticum, id est circa fideles, exercenda... potestas prorsus divina, omnem potestatem principum hujus mundi superans...

Sanctitatis sacerdotalis plenitudo in charitate consistit; quæ in præcedentibus gradibus præparata et quasi inchoative collata, in presbyteratu suum accipit ultimum com-
II Tim. 3. plementum, *ut perfectus sit homo Dei*...

Sacerdotalis charitas tanquam symbolo significatur pallio sacrificii, sacra casula... quæ crucis imagine signata, totum hominem amplitudine sua cooperit et complectitur. Simili namque modo divina charitas omnia suo complexu cooperit atque constringit... Etenim complectitur Deum et proximum... Complectitur omnes homines, ulnis scilicet beneficentiæ et patientiæ: amicos et inimicos... justos et

[1] Plenitudo potestatis dicitur respectu graduum inferiorum, præscindendo a comparatione cum Episcopatu, cui soli potestatis plenitudo competit sensu absoluto.

peccatores... pauperes et divites... Complectitur omnes virtutes, quas ut mater fecundissima parturit... Complectitur omnes vitæ actiones, quas sanctificat... Complectitur omnia officia, jucunda et ingrata, labores et dolores... Complectitur demum omnes miserias quibus medetur... imo omnia peccata quæ cooperit et delet : *Charitas operit multitudinem peccatorum...* I Pet. 4.

Præter casulam, alia sunt sacerdotii insignia : stola, calix, hostia... quæ jugum Domini, passionem Domini, immolationem Domini significant... et ad laborandum, patiendum, moriendum hortantur... O Domine mi Jesu, quanta indigeo gratia ut digne valeam ista insignia gestare ! Tu, quæso, servum tuum, egenum et pauperem, spiritu tuo ditare digneris...

II P. COLLATIONIS RITUS.—Confertur [1] presbyteratus imprimis per impositionem manuum Episcopi orantis : *Oremus, fratres charissimi, Deum Patrem omnipotentem, ut super hos famulos suos, quos ad presbyterii munus elegit, cœlestia dona multiplicet; et quod ejus dignatione suscipiunt, ipsius consequantur auxilio... — Accipe Spiritum sanctum : quorum remiseris peccata remittuntur eis, et quorum retinueris retenta sunt...*

Confertur secundo per traditionem instrumentorum, calicis cum vino et aqua superpositæque patenæ cum hostia, quæ singulis tangenda dantur, dicente Episcopo : *Accipe potestatem offerre sacrificium Deo, missasque celebrare, tam pro vivis quam pro defunctis. In nomine Domini...*

Accedit inunctio manuum cum his verbis : *Consecrare et sanctificare digneris, Domine, manus istas per istam unctionem et nostram benedictionem : ut quæcumque benedixerint benedicantur, et quæcumque consecraverint, consecrentur et sanctificentur, in nomine Domini nostri Jesu Christi...*

Deinde fit impositio vestium cum verbis Episcopi, quibus orationes adjungimus, inter induendum a sacerdote celebraturo recitandas.

[1] Præscindendo a quæstione disputata de materia et forma Ordinis, eos ritus conjungimus, in quibus sacramenti essentia sita esse existimatur.

Ad stolam. *Accipe jugum Domini : jugum enim ejus suave est et onus leve... — Redde mihi, Domine, stolam immortalitatis, quam perdidi in prævaricatione primi parentis ; et quamvis indignus accedo ad tuum sacrum mysterium, merear tamen gaudium sempiternum...*

Ad casulam : *Accipe vestem sacerdotalem, per quam charitas intelligitur ; potens est enim Deus, ut augeat tibi charitatem et opus perfectum... Stola innocentiæ induat te Dominus... — Domine, qui dixisti : Jugum meum suave est et onus meum leve : fac ut istud portare sic valeam quod consequar tuam gratiam. Amen.*

O Domine, quanta sanctitas a sacerdote requiritur! Quantum onus infirmitati meæ imponitur!... cui ferendo me imparem prorsus agnosco... In te igitur, Domine, omnem meam fiduciam pono, qui dixisti : *Apud homines* Matth. 19. *hoc impossibile est : apud Deum autem omnia possibilia sunt.*

De presbyteratu. Obligationes.

Pr. 1. *Sacerdotes tui, Domine, induantur justitiam.* Psalm. 131.

Pr. 2. Ut intelligam tremendas sacerdotii obligationes, et ad eas implendas zelo inflammer cum omni fiducia in Domino.

I. Quid requirat a presbytero sua dignitas. II. Quid exercitium muniorum.

I P. DIGNITAS. — Dignitatis suæ celsitudinem presbyter agnoscat oportet... non ad extollendum se ; sed ad sese humiliandum coram Deo... videns quam longe distet ab eximia sanctitate quam tanta dignitas requirit...

Quæ quidem celsitudo sacerdotalis in nova Lege talis ac tanta est, ut magnificentiam Aaronicam Legis veteris, tanquam umbram sua luce deleat.. Hujusmodi scilicet dumtaxat umbra cum ornatus esset Aaronicus pontifex, hisce encomiis laudatum legimus : *Sacerdos magnus in vita*

sua suffulsit domum, in diebus suis corroboravit templum... Curavit gentem suam et liberavit eam a perditione... Quasi stella matutina in medio nebulæ, et quasi luna plena in diebus suis lucet ; et quasi sol refulgens, sic ille effulsit in templo Dei... Quasi arcus refulgens inter nebulas gloriæ, et quasi flos rosarum in diebus vernis, et quasi lilia quæ sunt in transitu aquæ, et quasi thus redolens in diebus æstatis... Quasi ignis refulgens et thus ardens in igne... Quasi vas auri solidum, ornatum omni lapide pretioso... In ascensu altaris sancti, gloriam dedit sanctitatis amictum (honoravit vestimenta sua sacra)... *Tunc descendens, manus suas extulit in omnem congregationem filiorum Israel, dare gloriam Deo a labiis suis...* Eccli. 50.

En dignitas, sanctitas, sanctaque munia Aaronis. Quod si hæc dicuntur de sacerdote figurativo, quanto jure de sacerdotibus novæ Legis prædicanda sunt ?... de quibus unigenitus Dei Filius, Pontifex in æternum secundum ordinem Melchisedech, ad Patrem dicebat : *Ego claritatem quam dedisti mihi dedi eis...* Joan. 17.

O Domine Jesu, quandoquidem dignitatis tuæ voluisti me facere participem, concede, quæso, ut sanctitatis tuæ etiam particeps efficiar... Adjuva me ut charitatem tuam imitando tui similitudinem induam.

II P. EXERCITIUM SANCTUM.— Nonne a presbytero requiritur ut digne sua munia expleat, præsertim sacrificii offerendi ?...

Nonne oportet ut sanctitatem sacerdotalem, in sacra ordinatione seminaliter acceptam, non amittat... sed sedulo conservet et excolendo augeat ?...

Ut talis sit oculis Dei interius, qualis oculis hominum apparet exterius... nempe homo spiritualis ac sanctus ?...

Ut talis sit, qualis in ipsa ordinatione variis cæremoniis et monitionibus depingitur ?... Hæc quidem cuncta in Pontificali considerari poterunt utilissime ; imprimis vero sequentia notentur. *Servate,* inquit Pontifex, *in moribus vestris, castæ et sanctæ vitæ integritatem... Agnoscite quod agitis, imitamini quod tractatis... quatenus mortis Dominicæ mysterium celebrantes, mortificare membra vestra a vitiis et concupiscentiis omnibus procu-*

retis... Sit doctrina vestra spiritualis medicina populo Dei... Sit odor vitæ vestræ delectamentum Ecclesiæ Christi... ut prædicatione et exemplo ædificetis domum, id est familiam Dei...

Da quæsumus, omnipotens Pater, in hos famulos tuos presbyterii dignitatem... innova in visceribus eorum spiritum sanctitatis : ut acceptum a te, Deus, secundi meriti munus obtineant ; censuramque morum exemplo suæ conversationis insinuent... Sint proximi cooperatores ordinis nostri... clueat in eis totius forma justitiæ ..

Practice presbyter his omnibus satisfaciet unica re simplicissima, quæ duobus verbis continetur : *Omnino, et non ex parte...* Cor suum scilicet integre Deo tradendo, integre, non dimidiatim, divino servitio sese mancipando, ut efficiatur et sit, quod unice esse debet, *homo Dei...*

O anima mea! projice te ad pedes Pontificis tui Jesu,
Psalm. 26. orans cum propheta : *Unam petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ...* inde non exiens... tanquam homo sanctuarii, prorsus Deo consecratus, Deo vivens, Deoque placens, vere sacerdos dignus secundum Corejus.

De virtute fidei.

Pr. 1. *Justus ex fide vivit.* Rom. I, 17.

Pr. 2. Ut excellentiam virtutis fidei intelligam, ejusque indies uberius merear spiritu repleri.

I. Qualis sit virtus fidei. II. Quomodo amanda. III. Quid in praxi requirat.

I P. FIDEI NOTIO. — Fides virtus est, tanquam gratuitum Dei donum divinitus infusa... prima e tribus virtutibus theologicis, radix ac generatrix spei et charitatis...

Fides illa virtus est, quæ et intellectum illuminat et voluntatem inclinat ad credendum firmiter verbo Dei, per Ecclesiam nobis proposito... Verbo Dei infallibilis credimus, non verbo hominis qui fallere et falli potest.

Quomodo et quando Deus locutus est? *Multifariam multisque modis loquens olim patribus in prophetis, novissime diebus istis locutus est nobis in Filio...* Hebr. 1.

Nec tantum locutus est quondam ac semel ; hodiedum loquitur indies per Ecclesiam suam, jugiter ejus verba repetentem... Per Ecclesiam audimus Christum loquentem longe melius, quam subditi suum temporalem regem audiunt per ministros publicamque administrationem.

Quanta felicitas sic audire Deum loquentem !... *Beati sumus, Israël, quia quæ Deo placent manifesta sunt nobis...* Baruch. 4.

Gratias tibi ago, Domine Deus, pro dono revelationis humano generi concesso : quod hominibus ipsemet loqui dignatus es, ut nos erudires ac doceres omnem veritatem... Gratias quoque ago immensas pro dono fidei quod speciali beneficio mihi, præ tot aliis, es largitus... *Beati qui audiunt verbum Dei et custodiunt illud...* Luc. 11.

II P. AMOR VIRTUTIS FIDEI. — Amanda est virtus fidei, omnique thesauro præferenda... omni desiderio concupiscenda .. et omni sollicitudine custodienda...

Est enim prorsus necessaria ad salutem. *Sine fide impossibile est placere Deo...* Hebr. 6.

Est radix vitæ... vitæ christianæ, vitæ sacerdotalis... *Justus* enim *ex fide vivit,* sicut arbor e sua radice... Quanto hæc radix vivacior, tanto spiritualis arbor robustior, fecundior... *Si radix sancta, et rami :* ex hac enim procedit pietas, zelus et opera sancta... Qualis radix, talis arbor : qualis fides, talis sacerdos... Rom. 1. Rom. 11.

Nonne propterea Christus tantopere fidem commendavit? Apostolis præsertim incredulitatem exprobravit ?... Quia sacerdotes imprimis debent esse viri fidei... An talis ego ?...

Nonne amanda fides, quæ tam jucunda est, ut animam sua luce recreet, imo admiratione rapiat... fere ut lux solaris cæcum natum, cui Christus aperuit oculos, recreavit et rapuit ?... Manifestat quippe nobis mysteria altissima, pulcherrima, gaudiosissima : de Deo, de Christo, de homine... manifestat mundum hunc vanum, qualis est sub mendaci apparentia... ostendens mundum invisibilem... mundum sæculumque venturum...

Nonne fides hominem, præsertim sacerdotem, potentem
Psalm. 115. facit opere et sermone? *Credidi, propter quod locutus*
Marc. 9. 1 Joan. 5. *sum... Omnia possibilia sunt credenti... Hæc est victoria quæ vincit mundum, fides nostra...*

III P. PRAXIS. — Quid fides requirit a me? Nonne imprimis ut gratum me exhibeam pro dono fidei...idemque populum doceam?...

Dein debeo fidem in me augere et perficere... ut sit talis qualis sacerdotem decet... vivida non nebulosa : sicut visio rei e propinquo, non sicut visio a longe... Sit efficax
Marc. 11. et operativa, non iners et mortua : *Habete fidem Dei...*
Matth. 17. *sicut granum sinapis, et nihil impossibile erit vobis...* An fides mea operibus manifestatur?...

Crescit autem fides per divinam gratiam, quæ frequenter
Luc. 17. Marc. 9. petenda : *Domine, adauge nobis fidem... Adjuva incredulitatem meam...*— Crescit per cooperationem nostram, adhibendo exercitia quibus fides fovetur ac roboratur : videlicet meditationem... lectionem sacræ Scripturæ... devotionem singularem erga SS. Sacramentum... crescit per vitam fidei : scilicet vivendo secundum fidei documenta non secundum sensus, exemplo Apostoli dicentis : *In*
II Cor. 10. *carne ambulantes, non secundum carnem militamus...*

An zelo ardenti fidei thesaurum in Christi fidelibus integram servare et augere satago... removendo prava diaria... et clare atque ad captum docendo doctrinam christianam?... Nihil melius protegit fidem quam solida instructio, sicut nihil magis ad defectionem disponit quam ignorantia...

Quomodo doceo in cathedra?... in catechesi, præsertim ad primam communionem præparatoria?... Quid in hac parte prætermisi?... Quid in posterum faciam?...

Oratione finali petat sacerdos, pro se et pro populo, conservationem et incrementum fidei.

De spe et fiducia.

Pr. 1. *Abundetis in spe et virtute Spiritus sancti.* Rom. xv, 13.

P. 2. Ut virtutem spei cognoscam, æstimem, amem et plenius consequi merear.

I. Quantopere sit hæc virtus æstimanda et amanda. II. Quæ sit ejus notio tenenda. III. Quæ praxis.

I P. SPEI PRETIUM ET AMOR. — Amanda et sancto desiderio appetenda virtus spei, cum sit virtutum omnium jucundissima, consolatione plenissima... Quid suavius in hac lacrymarum valle, quam Deum habere consolatorem ?... inque tot necessitatibus, quam Deum habere auxiliatorem ?... *In Deo speravi, non timebo quid faciat mihi caro...* Palm. 55.

In mari procelloso hujus vitæ, ubi navicula nostra tot fluctibus jactatur, *spes est anchora animæ tuta ac firma...* Hebr. 6.

Nonne indigentia nostra magna est... tum secundum animam, virtutibus pauperem... tum secundum corpus, multis miseriis obnoxium ?... Spes autem subsidia omnia invenit in Deo : *Dominus regit me, et nihil mihi deerit...* Psalm. 22.

Sacerdos inopiæ multorum providere debet, nec raro destitutus humanis facultatibus... at ecce, per spem Deum adire potest, qui multiplicat panes ut manducent omnes et saturentur...

Nonne infirmitas nostra in tentationibus... in tribulationibus ferendis... in negotiis tractandis... magna est ? Sed en, spes nobis est principium fortitudinis, ostendens adjutorem Deum...

Nonne spes perpetui gaudii fons est animæ confidenti ? Nonne ostendit ei finem malorum et præmia paradisi ?... *Tristitia vestra vertetur in gaudium...* Propterea servi Dei in ipsis tribulationibus sunt beati, *spe gaudentes...* Joan. 16. Rom. 12.

Spes et fiducia prorsus necessaria ; et quidem magna requiritur sacerdoti : propterea virtutem hanc suis Apostolis plurimum commendavit Dominus. *Quid timidi estis,* inquit, *modicæ fidei ? .. Quando misi vos sine sacculo et pera et calceamentis, numquid aliquid defuit vobis ?...* Matth. 8. Luc 22.

O Domine, confirma in me spem ac fiduciam.

II P. NOTIO. — Spes secunda virtus theologica est, qua exspectamus a Deo promittente, non tantum salutem æternam, sed omnia etiam media quibus ad eam perveniamus...

Spei virtus vocatur *fiducia*, quando efficit ut inter vitæ vicissitudines, in sinu Providentiæ quiescamus tranquilli... nec animum despondeamus...

Fundamenta spei sunt : merita Christi... Dei bonitas et misericordia... ejus omnipotentia... ejus fidelitas in promissis...

Cur non omnia speremus? Nonne Christus Dominus infinitis suis meritis ac satisfactionibus omnia nobis meruit ?...

Luc. 23. Quanta domini bonitas ! *Hodie mecum eris in paradiso*... Et ego non semper confiderem ?...

Quæcumque sint obstacula, quicumque hostes, quid tandem hæc coram omnipotentia Dei?...

Marc. 14. Quanta et quam solemnia promissa Domini ! *Qui crediderit*, inquit, *et baptizatus fuerit salvus erit*... — *Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos*... — *Petite et dabitur vobis*... — *Quærite primum regnum Dei et justitiam ejus, et hæc omnia adjicientur vobis*... Nonne grandia hæc promissa sunt ? Nunquid certa et infallibilia ?...

Matth. 11. 7. 6.

An hæc spei ac fiduciæ fundamenta alte mihi sunt in menie reposita ?... Cur ergo tam facile trepido et conturbor ?... petam a Domino fiduciæ incrementum.

III P. PRAXIS. — Sicut sacerdos debet esse vir fidei, ita vir fiduciæ sit oportet... Ardua enim perficienda ei sunt et quasi montes transferendi... quæ utique non potest nisi *in eo qui ipsum confortat*...

Philipp. 4.

Speranda omnia et cum fiducia exspectanda, non solum spiritualia... sed etiam temporalia quælibet... dummodo petantur in nomine Christi, cum respectu ad vitam æternam, et tanquam *media* : objectum enim spei sunt *vita æterna et idonea ad eam media*... An sic res sperandas intueor ?...

Sic in Deo sperandum, ut ex nostra parte faciamus quod in nostra potestate est positum... Dominus non multiplicat panem, nisi postquam sibi tradiderint discipuli quæcumque cibaria possident...

Sic ex nostra parte laborandum, quasi rei successus unice penderet a nobis... et sic in Deo confidendum, quasi nihil a nobis, tota vero res a Deo esset facienda...

Exercenda præcipue fiducia in magna inopia... in laboribus pro animabus susceptis... in tribulationibus sustinendis... in oratione: *Omnia quæcumque orantes petitis, credite quia accipietis, et evenient vobis...* Marc. 11.

An hanc ego fiduciam habeo?... An nunquam despondeo animum? *Omnium tentationum ignavissima*, ait S. Franciscus Salesius, *est animi dejectio...* An ita Dei famulatui sum addictus, ut omnia petam Domini mei intuitu, omniaque ab ipso accipere merear, dicens in veritate cum Propheta: *Tuus sum ego... salvum me fac?...*

Oratio finalis ad petendum fiduciæ augmentum.

De charitate. Amor Dei.

Pr. 1. Major horum est charitas. I Cor. XIII, 13.

Pr. 2. Ut pretium inæstimabile charitatis perspiciam, ejusque beatis flammis vehementius exardescam.

I. Quam magna sit virtus charitas. II. Quibus motivis charitas erga Deum excitanda. II. Qualis mihi debeat inesse.

I P. CHARITATIS EXCELLENTIA.—Charitas omnium virtutum regina .. mater... perfectio est : *Major horum est charitas...* Hæc virtus per excellentiam, principium est et compendium omnis sanctitatis. Quapropter S. Ignatius de Loyola solam charitatem petebat a Deo, tanquam bonorum omnium complexum, et sic orabat : *Sume, Domine, et suscipe omnia quæcumque habeo et possideo : dispone de illis pro omni voluntate tua... Da amorem tui solum et gratiam, nam hæc mihi sufficit...* An ego sic charitatem amo et appeto?... I Cor. 13. Lib. Exercit.

Nihil charitate excelsius, nihil divinius : charitas enim ex Deo nata est, sicut calor e sole... Imo Charitas substantialis ipse Deus esse legitur : *Deus charitas est ; et qui manet in charitate, in Deo manet et Deus in eo...* I Joan. 4.

Charitas ita Deo placet ut cor ejus rapiat amore : *Ego*, inquit, *diligentes me diligo...* Prov. 8.

Charitas facillimum reddit servitium Dei... *Ubi amatur*, Augustinus ait, *non laboratur*, scilicet gravamen non sentitur ; *aut si laboratur, ipse labor amatur*... — Quod liber Imitationis ita confirmat : *Amans volat, currit, et lætatur... onus non sentit, labores non reputat... et multa effectui mancipat, ubi non amans deficit et jacet...*

Kemp. III, 5.

Charitas ergo omni desiderio appetenda, omni supplicatione a Deo efflagitanda... omnique pretio comparanda : *Si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet eam...*

Cantic. 8.

O Domine, et ego libenter pro hac pretiosa margarita offero tibi universa quæ habeo... Amorem tui solum cum gratia tua mihi dones, et dives sum satis, nec aliud quidquam ultra posco.

II P. AMORIS DIVINI INCITAMENTA. — Primum incitamentum, seu primus stimulus amoris erga Deum, est ipse amor Dei erga nos. *Nos ergo diligamus Deum, quoniam Deus prior dilexit nos*... Et quidem dilexit nos tenerrime : *Numquid oblivisci potest*, inquit, *mulier infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui ? et si illa oblita fuerit, ego tamen non obliviscar tui. Ecce in manibus meis descripsi te*... — Dilexit nos Deus præsertim in persona Filii sui incarnati, qui *cum dilexisset suos qui erant in mundo, in finem dilexit eos...*

I Joan. 4.

Isai. 49.

Joan. 13.

Alter stimulus oritur ex beneficiis Dei. Quanta Dei nostri beneficia in ordine naturæ... et gratiæ !... *Sic Deus dilexit mundum ut Filium suum unigenitum daret*... O homo, o sacerdos, *quid habes quod non accepisti ?*... Si quis vel millesimam partem tot bonorum ab homine accepisset, quanto amore talem benefactorem diligeret !...

Joan. 3.

I Cor. 4.

Tertius stimulus est amabilitas Dei in se spectati. Hæc quidem *lucet Sanctis in cælo perpetua charitate splendida, sed non nisi a longe et per speculum peregrinantibus in terra*.... Scilicet in creaturis tanquam in speculo relucet imago, sed imago suavis ac pulcherrima perfectionum Ejus. Quidquid enim in naturæ spectaculo, in hominum magnificentia aut ingenio, in Ecclesiæ ordine hierarchico, ac vario quo resplendet virtutum ornatu occurrit

Kemp. III, 48.

pulchri aut mirabile... id omne, tanquam rivuli a fonte divino, tanquam radii a sole æterno descendit...

O pulchritudo antiqua et semper nova !... purifica oculum meum ut te videam, et ut videndo tui amore inardescam...

III P. AMORIS QUALITATES. — Quomodo Deum amare debeo ?... Ut sit perfecta mea erga Deum dilectio, debet esse imprimis efficax : *Qui habet mandata mea et servat ea, ille est qui diligit me*... Sacerdos præcipue suum exhibebit amorem pascendo gregem Domini... *Simon, amas me ? Pasce oves meas*... Joan. 14. Joan. 21.

Amor deinde debet esse constans... in prosperis, et præsertim in adversis, in tribulationibus ac tentationibus... *Fortis est ut mors dilectio... Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam*... Cantic. 8.

Amor demum generosus sit oportet, exemplo amoris Christi et Apostolorum... generosus in dando... in laborando indefessim... in patiendo... in immolando omnia... *Qui non est paratus omnia pati, et ad voluntatem stare dilecti, non est dignus amator appellari*... Kemp. III, 5.

Concludatur meditatio oratione ad SS. Cor Jesu, amoris fontem et focum... *Cor Jesu, flagrans amore mei, inflamma cor meum amore tui !*

De charitate. Amor proximi.

Pr. 1. *Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos.* Joan. XIII, 34.

Pr. 2. Ut magis magisque amem charitatem fraternam, et Christi Domini erga homines dilectionem æmulari studeam.

I. Quare dilectio fraterna tantopere amanda est et sectanda ?
II. Quomodo exercenda ?

I P. HUJUS VIRTUTIS AMOR. — Amore prædilectionis amanda, omnique studio sectanda dilectio proximi... eaque

promovenda, tum in me sacerdote... tum in Christi fide-
I Cor. 14. libus... sicut Apostolus monet : *Sectamini charitatem...*
Coloss. 3. — *Super omnia autem hæc, charitatem habete...*

Cur autem tantopere sectanda ? Imprimis *quia*, ut dicebat S. Joannes, *præceptum Domini est ; et si solum fiat, sufficit...*

I Cor. 13. Deinde, nonne hæc prorsus necessaria virtus ? *Si linguis hominum loquar et angelorum, et si tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non*
I Joan. 3. *habuero, nihil sum, nihil mihi prodest...* — *Translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres. Qui non diligit manet in morte...*

Nonne motiva diligendi fratres abundant ex parte Dei ? Si Deus tam bonus, tam beneficus ac misericors erga nos, an non vicissim debemus charitatem ac misericordiam
I Joan. 4. exhibere fratribus nostris ? *Charissimi, si sic Deus dilexit nos, et nos debemus alterutrum diligere...* Quid faciendum erga fratres, dum Christus dilexit nos usque ad mor-
I Joan. 3. tem ?... *In hoc cognovimus charitatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit...* Qomodo tam amantem redamabo ? Amando, inquit, fratres meos, quos in
Matth. 25. meo loco substituo : *Quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis...*

Nonne motiva dilectionis ex parte proximi ?... Sunt enim omnes fratres mei... eodem divino sanguine redempti, ac regenerati ?... filii Dei charissimi, etsi forte prodigi, in quorum persona Patrem eorum cœlestem diligimus ?... Nonne multorum miseria corporalis... aut spiritualis... commiseratione dignissima ?...

Nec desunt motiva ex parte nostra. Si enim nos, miseri peccatores, propter delicta timemus nobis... fiduciam dabit
I Pet. 4. charitas, quæ *operit multitudinem peccatorum... Et*
Matth. 5. *beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur...*

Visne, o anima mea, felicitate frui ? Sectare charitatem. Charitas enim pace, gaudio te replebit... quæ, non tantum corda, sed et parochias, familias, quascumque communitates, ubi regnat efficit felices... Seclusa vero charitate, quid remanet, nisi frigus amoris proprii, asperitas et amaritudo animorum, discordia, omnisque miseria ?... Ubi charitas, ibi cœlum...

Visne fideliter ac facile Deo servire, in virtute ac perfectione proficere? Charitatem sectare. *Qui diligit proximum, legem implevit... Plenitudo legis est dilectio...* — *Charitatem habete, quod est vinculum perfectionis...* Rom. 13. Coloss. 3.

Visne esse sacerdos genuinus secundum Cor Jesu... simulque habere prædestinationis signum?... Sectare charitatem, quæ est signaculum discipulorum Christi. *Si diligamus invicem, Deus in nobis manet... in hoc cognoscimus quoniam in eo manemus, et ipse in nobis...* I Joan. 4.

O amabilissima charitas! Quis mihi tribuat ut inveniam te, ut totus tuo spiritu replear!... Tu, Domine Jesu, qui attulisti beatum hunc ignem in terram, tu, quæso, cor meum sancto ejus ardore inflamma...

II. P. PRAXIS. — Qualis debet esse mea charitas? Sit imprimis vera et efficax. *Filioli mei, non diligamus verbo neque lingua, sed opere et veritate...* I Joan. 3.

Imitetur charitatem Christi Domini: *Ut diligatis invicem sicut dilexi vos...* Joan. 13.

Sit sacerdotalis, id est insignis et exemplaris... nec tantum fraterna, quæ neminem lædat vel oderit, quæ omnia condonet, omnia sufferat... sed paterna, sed pastoralis, id est summe benefica: quæ non solum eleemosynas, labores, tempus, quietem ac valetudinem... sed *animam suam dat pro ovibus suis...* Joan. 10.

Num talis mihi inest charitas?... An a sanctissimo Corde Jesu hunc spiritum mutuare studeo?...

O Domine Jesu amantissime, qui me ad pastorale munus vocare dignatus es, cordi meo, quæso, spiritum charitatis tuæ infunde, ut fratres meos omnes, eosque præcipue quibuscum agere aut vivere debeo, vel qui curæ meæ sunt concrediti... sincero amore diligam, nulla offensione lacessam, omnique bono studeam cumulare.

De charitate erga proximum. Praxis.

Pr. 1. *Ut diligatis invicem sicut dilexi vos.* Joan. XIII, 34.

Pr. 2. Petere gratiam imitandi charitatem Christi quam perfectissime.

I. Charitatis exercitium, officia. II. Charitatis defectus.

I P. EXERCITIUM. — An bene mihi persuasum est, charitatem esse primariam sacerdotis virtutem... ac ita necessariam, ut sine ipsa, neque pacem ac gaudium, neque prudentiam aut successum in sacro ministerio habere possim?... *Ubi charitas est*, inquit S. Augustinus, *quid est quod possit deesse? ubi autem non est, quid est quod possit prodesse?...*

Tract. 83. in Joan.

Homil. 1. in Evang.

Et S. Gregorius : *Ecce binos ad prædicandum discipulos Dominus mittit : quatenus hoc nobis tacitus innuat, quia qui charitatem ergo alterum non habet, prædicationis officium suscipere nullatenus debet...*

Qualis charitas requiritur in me? Nonne exemplaris?... apostolica?... imo quæ similis sit charitati Christi, boni pastoris, Agni pro nobis immolati?... *Qui dilexit nos et tradidit semetipsum pro nobis...* An sicut Christus Dominus, proximum amo pure, solo intuitu animæ ac salutis?... An gratuito, absque respectu proprii interesse?... An libenter laboro etiam pro ingratis?... An amore tenero homines diligo, amore compatiente infirmitatibus, flente cum flentibus, gaudente cum gaudentibus? ... amore forti ac generoso, qui obstacula superet, labores et incommoda sustineat, nec parcat sacrificiis ut fratribus benefaciat... utque eorum sufferat defectus?...

Eph. 5.

An charitas mea est universalis... extendens sese ad homines molestos, ad inimicos... ad pauperes, omnesque miserabiles personas... ad omnes miserias, præcipue tamen ad miserias animarum?...

An diligo proximum meum *sicut me ipsum?*... An ejus causam ejusque commoda sicut mea complector?... An ejus gaudium ejusve tristitiam quasi mea sentio?... An de ipso cogito, loquor... an ipsum alloquor, adjuvo, consolor, excuso, ea benignitate quam mihi exhiberi optarem?... An nihil ipsi facio quod mihi fieri displiceret?... *Quod ab alio oderis fieri tibi, vide ne tu alteri aliquando facias...* An studeo semper *vincere in bono malum?...*

Tob. 4.

Rom. 12.

An charitas mea non tantum est innocua... sed benefica... et pacifica, quæ unionem custodiat cum superioribus, cum confratribus, cum subditis?... et diligentissime

evitet quidquid unionem cordium turbare possit?... *Sint unum, sicut et nos unum sumus...* Joan. 17.

An meditor, servare studeo, aliisque frequenter propono verba Apostoli de charitate? *Charitas*, inquit, *patiens est, benigna est : charitas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati ; omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet...* I Cor. 13.

An demum mea charitas sequitur semper lumen fidei, quo Christum Dominum aspiciat in fratribus suis?...

O Domine Jesu, adjuva servum tuum in adimplendis universis charitatis officiis, sicut tu ipse ea tam mirabiliter implesti usque ad mortem, mortem autem crucis...

II P. DEFECTUS CONTRARII. — Nihil in corde meo, sicut in Corde Jesu, inesse debet nisi charitas, et purissima charitas : quidquid charitati adversatur, sicut tenebræ a luce fugetur... *Hoc sentite in vobis quod et in Christo Jesu...* Philipp. 2.

An proximum non offendo cogitatione sinistra, judiciis vel suspicionibus?.. odio vel malevolentia?.. impatientia vel iracundia?... amaritudine vultus, asperitate verborum, vel etiam frigida taciturnitate?... calumniis, detractione, vituperatione quacumque?...

An non sum parcus nimis in dando, sive eleemosynas... sive fraterna obsequia... vel ea præsto invite ac morose?... *In omni dato hilarem fac vultum tuum.*

An non cuipiam consuetum alloquium denego... vel fraternas cum ipso relationes habere nolo, idque fortassis non sine scandalo?... *Vade prius reconciliari fratri tuo, et tunc veniens offeres munus tuum...* Eccli. 35. Matth. 5.

An non seminavi discordiam... aut verbis malignis vel inconsideratis pacem ac unionem non turbavi?...

An superioribus vel aliis, sinistre agendo, aliquam tristitiæ causam dedi?...

An affectum minus benevolum non fovi erga confratres alterius vocationis?...

In fine formetur propositum defectus hujusmodi fortius impugnandi, adhibendo examen particulare; et petatur gratia congrua.

De virtutibus capitalibus.

Pr. 1. *Imitatores mei estote sicut et ego Christi.* I Cor. XI, 1.

Pr. 2. Ut bene cognoscam virtutes capitales sacerdoti proprias, easque diligentius colendas suscipiam.

Omnibus quidem virtutibus sacerdos, utpote visibilis imago Christi, qui sol justitiæ est, fulgere debet; dantur tamen quinque velut capitales, perfectius ei possidendæ ac studiosius persequendæ: nimirum puritas, pietas, charitas, spiritus laboris et zelus. De singulis singula puncta considerentur.

I P. PURITAS. — Spectata ut sacerdotalis virtus, puritas intelligitur, tum generatim mundities animæ seu conscientiæ, qua excluditur quoad fieri potest culpæ cujuscumque macula .. tum speciatim puritas corporis, seu castimoniæ, qua terrenus homo angelorum nitore decoratur...

Puritas procul dubio virtus sacerdotis est propria. Nonne hanc postulat ministerium ejus erga Deum? Nonne offi-
Malach. 2. cium altaris angelicas manus requirit?... Sacerdos *angelus Domini exercituum est*... minister Agni immaculati
Cant. 2. *qui pascitur inter lilia*...

Nonne puritatem ac innocentiam eximiam requirit ministerium ejus erga homines! .. ministerium verbi, ministerium Pœnitentiæ, quo conatur alios a peccatis mundare et hortari ad virtutem... Nonne, ut id rite efficiat, oportet ut ipse imprimis irreprehensibilis sit, purus, et in puritate fundatus?... juxta exemplum
Joan. 2. Christi, Agni immaculati, *qui tollit peccatum mundi*.. — Quomodo hoc exemplum imitari studeo?.. O Domine
Psam. 118 Jesu, da mihi puritatem Cordis tui: *Fiat cor meum immaculatum in justificationibus tuis, ut non confundar*...

II P. PIETAS. — Hæc virtus, quæ in amore divini cultus rerumque divinarum consistit... quam propria et essentialis sit sacerdoti facile intelligitur. Etenim homo pietatis

esse debet ratione muneris sui, ratione propriæ sanctitatis, ratione animarum.... Merito igitur Paulus sacerdoti Timotheo dicit: *Exerce te ipsum ad pietatem*... I Tim, 4.

1° Nonne sacerdos *homo Dei* est, divina gerens negotia, divinum cultum administrans, mysteria Dei dispensans quæ non licet nisi spiritu pietatis tractari?..... *Constituitur* enim *in iis quæ sunt ad Deum*... Hebr. 5.

2° Nonne sanctitatis sacerdotalis spiritum ex pietate indesinenter haurire et nutrire debet?...

3° Nonne in animas fidelium pietatem diffundere ex officio tenetur, et quidem de plenitudine sua?... Quid ergo, si pietatis spiritu ipse non abundaret?... — Quæ est mea pietas?... Petatur spiritus pietatis...

III P. Charitas. — Sacerdos spectatur merito, tanquam vir charitatis... sicut Christus ad hoc in mundum missus, ut per charitatem et charitatis opera homines ad salutem deducat... *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos*... Joan. 20.

Nonne hinc patet, non tantum requiri charitatem in sacerdote, sed eximiam quamdam charitatem... sacerdotalem nempe seu apostolicam?... qua *impendat se et superimpendatur ipse pro animabus, licet plus eas diligens, minus diligatur*... Quid ego?... Petatur a Jesu charitas Cordis ejus. II Cor. 12.

IV P. Spiritus laboris. — Et hæc virtus est sacerdoti propria, quippe qui a Domino constitutus ut fructum afferat laborando... Nonne operarius in agro Domini?.. Nonne ædificator Ecclesiæ ejus?... Nonne pastor gregis ejus?... Nonne miles exercitus ejus?... *Labora sicut bonus miles Christi Jesu*?... An ego hoc laboris spiritu moveor?... An tempus omne utiliter expendo?... Petatur spiritus laboris. II Tim. 2.

V P. ZELUS. — Ardens illud studium gloriæ Dei et salutis animarum, qui vocatur zelus, quinta virtus est sacerdotis omnino propria...

Nonne Christus et Apostoli fuere zelo pleni?... *Zelus domus tuæ comedit me*... Idem utique spiritus omnem sacerdotem animare debet... Joan. 3.

Nonne zelus est principium sacerdotalis vis et efficaciæ, sicut ignis principium motus esse cernitur?...

Nonne zelus conditio successus et felicitatis in sacro ministerio?...

A Christo Domino accipiendus ignis ille cœlestis, *quem*
Luc. 12. *venit mittere in terram, nec aliud vult nisi ut accendatur*...

Zelus autem non tantum positivus esse debet et operativus, per decursum vitæ; sed etiam, idque non raro, negative exercendus est... Ubi enim per senectutem aut infirmitates, pastorale munus quispiam rite implere jam non valet, requirit zelus gloriæ Dei et salutis animarum, ut bonus pastor, abdicato munere, parochiæ bono consulat... et, translato in alium locum domicilio... officium pastorale validiori brachio relinquat...

An ego in re tam gravi, a me ipso diffidens, viri prudentis consilium perquiro et sequor ?... ne in fine vitæ crimen inferam zelo meo oculis Dei et hominum...

Utinam zelus ille verus, præfatæque virtutes in me floreant omnes! Adjuva me, Domine, auxilio gratiæ, ut constanter me eis assequendis impendendo, proficiam de die in diem.

Methodus examinis conscientiæ.

I Punctum. — Gratiarum actio.

Dominus Deus meus, in cujus præsentia me humillime prosterno, gratias tibi ago pro universis beneficiis, mihi et universo mundo collatis; pro beneficio creationis meæ, redemptionis, vocationis ad fidem, electionis ad sacerdotium... — Gratias tibi ago speciali modo pro beneficiis quæ hodie mihi et subditis meis contulisti; pro meditatione aliisque pietatis exercitiis; pro sacrificio Missæ et sacramentis; pro sancta tua protectione, qua me a tot tentationibus et malis liberasti... Quid retribuam tibi, Domine, pro omnibus quæ retribuisti mihi? Quid possum ego, nisi ut merita omnium Sanctorum, B. M. Virginis, et præsertim D. N. Jesu Christi, tibi in gratiarum actionem offeram?

II Punctum. — Petitio gratiæ Spiritus sancti.

O Domine, emitte Spiritum sanctum tuum, ut gratia ejus adjutus, peccata mea mente cognoscam et corde defleam. — Fac, ut conscientiam meam videam nunc, sicut in die judicii videbo : fac, ut mea peccata defleam, sicut Dominus Jesus ea in horto Olivarum deflevit ; ita fiet, ut quotidie in spiritu compunctionis mea peccata expiando, mundus efficiar, et dignus qui aliquando ante conspectum sanctitatis tuæ infinitæ apparere possim.

III Punctum. — Discussio.

1° EXAMEN PARTICULARE, *quod versatur circa peculiarem defectum corrigendum* [1]*; aut circa selectam virtutem acquirendam* [2].

An mane, a somno surgens, statim propositum renovavi materiam hujusce examinis bene observandi?

Quoties defectum meum commisi? Aut quoties propositæ virtutis actum exercui?

2° EXAMEN GENERALE *de quotidianis actionibus.*

An ordinem diurnum servavi?...

Pridie vespere, an materiam meditationis matutinæ præparavi, — examen conscientiæ per quadrantem institui [3], — et, peracta prece vespertina, hora statuta pie decubui?...

Mane, an hora fixa surrexi prompte et pie? — Post invocata SS. Jesu et Mariæ nomina, an mox pias cogitationes et materiam meditationis mente revolvi? — An hora statuta meditationem institui, diligenter, integro tempore?...

Qua pietate interna et externa Missæ sacrificium obtuli? — Quomodo præparationem et gratiarum actionem perfeci?...

Officium divinum, — Rosarium, — piam lectionem, — visitationem Sanctissimi, — Viam crucis, — et si quod aliud pietatis exercitium mihi peragendum, an diligenter persolvi?...

An tempore debito sacramentaliter confessus sum, et de qualibet infidelitate in exercitiis pietatis me imprimis accusavi?...

Ministerium sacrum, — administratio Pœnitentiæ, aliorumve sacramentorum, — sacra concio et catechesis, —

1 Talis est defectus quilibet dominans : sive externus, ut levitas, loquacitas, oculorum et aliorum sensuum incustodia, dissipatio, inurbanitas, impatientia, duritas, etc. ; sive internus, ut superbia, antipathia, pigritia, sensualitas, tristitia, etc.

2 Cf. *Compendium perfectionis sacerdotalis*, cap. VIII. — Item, Rodriguez, *Perfection chrétienne*, part. I, tract. 7.

3 Alio tamen tempore examen illud fieri potest, dummodo tempus fixum regulariter servetur.

visitatio infirmorum, visitatio scholæ, — visitatio peccatorum, præsertim ægrotantium... seu inquisitio ovis perditæ, — reliqua pastoralia munera, — accurate coram Domino a me impleta sunt?...

Studium nonne neglexi? — An non futilia, aut vana, aut periculosa legendo, tempus pretiosum consumpsi? — An cubiculum amavi?...

Refectionem corporis et recreationem an ut par est sanctificavi?...

An ad mensam non fui effusus super cibos? An sobrietatis in potu non oblitus? An me in aliqua re mortificavi?...

Recreatio mea et conversatio cum proximo fuitne digna, ut sacerdotem decet? — Nonne me clamosum exhibui, vel contentiosum, dissipatum, mordacem, indiscretum, detractiones effutientem?...

An cogitatione, judicio ac suspicione, — verbo, — opere aut omissione, proximos non offendi: sive superiores, sive confratres, sive inferiores? — An nemini scandalo fui?...

An subditos domi et foris cum reverentia et mansuetudine tractavi, ut imagines Dei ac pretium sanguinis Christi? — An cum illis, præsertim cum mulieribus, ab omni familiaritate, levitate, joco, tactu, abstinui, paternam semper dignitatem observando?...

An oculos refrenavi, et modestiæ ac decoris clericalis nunquam sum oblitus?...

An præsentiæ Dei subinde recordatus sum, et orationibus jaculatoriis mentem ad Deum elevavi?...

An tentationibus me sponte non exposui, et quum occurrerent, prompte restiti et oravi?...

An tota mea agendi ratio mansuetudinem Domini, humilitatem, patientiam, charitatem, omnemque bonum odorem Christi Jesu spiravit?...

IV Punctum.—Actus contritionis.

De peccatis et defectibus hodie commissis, nec non de omnibus anteactæ vitæ peccatis, eliciam actum contritionis coram Domino meo, ita ex animo quasi hac nocte essem moriturus...

V Punctum. — Propositum.

Domine Jesu, in conspectu tuo divino, firmiter statuo ac propono, in posterum, et præsertim usque ad proximum conscientiæ examen, ordinem diurnum servare, memetipsum strenue vincere ut omnia mea officia secundum tuam sanctissimam voluntatem impleam.... tuam patientiam imitari, — illum præcipue et illum defectum vitare.... illud et illud periculum cavere... Sed infirmus sum nimis, neque hoc propositum quantumvis serium servabo, nisi tu, Domine Jesu, illud ratum habere et confirmare digneris. Quare humiliter illud per manus Immaculatæ Virginis Matris tibi offero, et in SS. Corde tuo recondo. — *Pater*. — *Ave*.

INDEX

De fine hominis. Cognitio finis 1
De fine hominis. Finis notio 4
De fine consequendo 6
De fine ac missione sacerdotis in mundo. 8
De statu hominis, præsertim sacerdotis, in hoc mundo 11
De mediis ad finem 12
De creaturis 14
De peccato in genere 17
De peccato in sacerdote 19
De inferno. Inferni cogitatio, fuga 21
De inferno. Inferni veritas 23
De judicio particulari. Judicii memoria et materia 26
De judicio particulari. Judicii materia. 28
De judicio particulari. Judicii actus 30
De judicio particulari universim. 32
De judicio universali. Cogitatio, eventus prævii 34
De judicio universali. Ipsum judicium 36
De judicio futuro. Ad judicium præparatio 38
De morte. Mortis memoria 40
De morte. Prævisio mortis meæ 42
De morte. Veritates quatuor 44
De morte. Præparatio ad mortem 46
De æternitate. Æternitatis cogitatio, notio. 48
De æternitate. Æternitatis notio continuatur 51
De æternitate. Æternitatis cura 53
De misericordia 55
De filio prodigo 58
De pœnitentia. 60
De confessione sacramentali 62
De puritate cordis et purganda anima 65

De peccato veniali 67
De defectibus emendandis. 69
De formatione indolis 72
De examine conscientiæ ascetico 74
De vigilantia 77
De mortificatione. Mortificationis necessitas 79
De mortificatione. Excellentia et praxis. 82
De peccatis internis et externis sacerdotis. 84
De peccatis linguæ 86
De peccato superbiæ. 89
De avaritia 91
De luxuria 93
De invidia 96
De gula 98
De iracundia 101
De acedia 103
De vitiis capitalibus sacerdotis 105
De scandalo 108
De decem mandatis. I et II mandatum 110
De decem mandatis. III et IV mandatum 112
De decem mandatis. Mandatum V, VI et IX 114
De decem mandatis. Mandatum VII ac X, mandatum VIII. . . 116
De potentiis animæ 118
De quinque sensibus. Oculi, aures 121
De quinque sensibus. Gustus, odoratus, tactus 123
De sacerdotis obligationibus 125
De statutis diœcesanis 127
Pericula sacerdotis et causæ spiritualis ruinæ 129
De impedimentis et mediis in via sacerdotali positis 132
De vitæ sanctæ proposito 134
De duplici fundamento. 136
De humana vita in hoc mundo 138
Motiva vitam Deo perfecte consecrandi 141
De pugna spirituali 144
De passionibus domandis 146
De tentationibus. Tentationum necessitas, causæ. 149
De tentationibus. Dei permissio 151
De tentationibus. Vincendi ratio 153
De consolatione et desolatione 156
De tepiditate universim 158
De tepiditate. Tepiditatis notio 160
De tepiditate. Signa et remedia. 162
De fervore. Fervoris stimuli 164
De fervore. Fervoris signa et alimenta 166
De contemptu et odio mundi. 168
De mundi vanitatibus 170
De modestia clericali. Ejus pretium 173
De modestia. Ejus necessitas et praxis 175

De dissipatione 177
De sancta recollectione 179
De amore solitudinis 181
De silentio 184
De spiritu laboris. Notio, praxis. 186
De spiritu laboris. Quomodo acquirendus 188
De ordine vitæ. Ordinis amor. 191
De ordine vitæ. Necessitas et praxis 193
De oratione. 195
De meditatione 197
De verbo Dei et lectione spirituali 200
De annuo secessu. 202
De recollectione menstrua et hebdomadaria 204
De instituto Consociationis sacerdotum 207
De via illuminativa 209
De regno Christi. Parabola 212
De regno Christi. Rex noster spectatus in se ipso 214
De regno Christi. — Rex noster spectatus relate ad nos . . . 217
De incarnatione. Mysterium 219
De incarnatione. Historia 221
De visitatione B. Virginis ad S. Elisabeth 223
De nativitate Domini 226
De pastoribus 229
De Magis Christum adorantibus. 231
De circumcisione Domini 234
De purificatione et præsentatione in templo 236
De fuga in Ægyptum 238
De reditu ex Ægypto 241
De vita Christi abscondita. 243
De ascensu Christi duodecennis in templum 246
De baptismo Domini. 248
De tentatione Domini 251
De duobus vexillis. Meditatio S. Ignatii. 253
De duobus vexillis. Applicatio ad nostra tempora 256
De vocatione apostolorum. 258
De negotiatoribus ejectis e templo. 261
De miraculo in nuptiis Cana. 263
De Christi sermone in monte 265
De sedata tempestate 268
De Christo super aquas ambulante 270
De piscatione miraculosa. 272
De magisterio Christi 275
De amore Jesu erga parvulos 277
De vita Christi publica 279
De missione Apostolorum. 282
De conversione Magdalenæ 284
De multiplicatione panum 286
De transfiguratione. 289

De transfiguratione. Colloquium, descensus 291
De Lazari suscitatione. 293
De cœna Bethaniæ 296
De cœna Bethaniæ. Effusio unguenti. 298
De triumpho Domini in die Palmarum 300
De prædicatione in templo 302
De vita Christi dolorosa 305
De passione Domini universim 307
De ultima cœna 311
De institutione sacrificii novæ Legis 313
De horto Olivarum. Prima mysteria 315
De horto Olivarum. Ultima mysteria. 318
De tribunalibus sacerdotum. Prima mysteria 320
De tribunalibus sacerdotum. Ultima mysteria. 323
De morte Judæ proditoris. 325
De tribunali Pilati. Prima mysteria 328
De tribunali Herodis 330
De tribunali Pilati. Barabbas, flagellatio, coronatio. 332
De tribunali Pilati. Mysteria ultima 335
De crucis bajulatione 338
De crucifixione Domini 340
De mysteriis in cruce peractis. Verba Domini. 342
De mysteriis in cruce peractis. Injuriæ et prodigia 345
De sepultura Domini 347
De imitatione Christi Domini 350
De Christo inter homines conversante 352
De cognitione Domini nostri Jesu Christi 355
De amore Domini nostri Jesu Christi 357
De Christi nobiscum præsentia. 359
De felicissima possessione Jesu. 362
De Christo, sacerdotis exemplari 364
De sacerdote altero Christo 366
De dignitate sacerdotis 369
De perfectione sacerdotali 371
De perfectione sacerdotali practice spectata 373
De sanctitate sacerdotali. Necessitas. 375
De sanctitate sacerdotali. Notio 377
De scientia sacerdotali. Necessitas, objectum 379
De sacerdotali seu ecclesiastico spiritu 382
De statu ecclesiastico. Idea falsa 384
De statu ecclesiastico. Idea vera 386
De vocatione sacerdotali. Notio. 388
De vocatione sacerdotali. Amor, impletio 391
De formatione sacerdotali in seminario 393
De formatione sacerdotali post seminarium 395
De duplici seminarii objecto 397
De signis boni seminaristæ 400
De formatione hominis interni et externi. 402

De feriis sancte transigendis 403
De præparatione ad sacros Ordines 406
De tonsura seu clericatu 408
De ordinibus minoribus 410
De subdiaconatu. 412
De diaconatu 414
De presbyteratu. Dignitas, ritus ordinationis 416
De presbyteratu. Obligationes 418
De virtute fidei 420
De spe et fiducia 422
De charitate. Amor Dei 425
De charitate. Amor proximi. 427
De charitate erga proximum. Praxis. 429
De virtutibus capitalibus presbyteri 432
Methodus examinis conscientiæ 435

Bruxellis, typis Alfredi Vromant.

246.731
Sch68
48196
SCHOUPPE, S. J., F.-X.
AUTHOR
Meditationes Sacerdotales.
TITLE
Series Prior.
DATE LOANED
BORROWER'S NAME
DA RET
STORAGE - CBPL
48196